


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.


+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07439315 2



Philologisch
RBA

n opere, cujus titulus est: Notices et Extraits des Manuscrits de la Bib
lioque Nationale, Vol. 5. extr. et Vol. 6. init. Epistola 93 Theodori Hyrtaceni,
nte La Porte du Theil, Græce editæ sunt cum præmissa notitia. Earum multæ
eodorum Metochitam scriptæ sunt, adeoque seculo 13mo.

ιθ. Τῷ Μεγάλῳ Λογοθέτῃ, τῷ Μετοχίτῃ.

μὲν αὐτὸν ἐμὲ παρεῖναι, καὶ λόγοις μᾶλλον ἢ γράμμασιν ἐγκαλέσαι σοῦ·
ἐπεὶ δ᾽ οὐχ οἷόν τε, ὄχλου σε πραγμάτων περιστοιχίζοντος, ὡς μὴ παρὼν, γ
προσθήκη τις, γράμμασιν ἀπὼν ὁμιλῶ. Ἴσθι σοι τὸν φίλτατον ὀλιγωροῦν μὲν π
ἐπιμέλεσθαι δὲ ἱππεύσεως, ἀμέλει κελητίζοντά τε καὶ ῥυτῆρσιν ὅλοις ἐφ
περιελαύνειν τὰς ἀγυιὰς, ἱπποδρόμους τε καὶ θέατρα περιθέειν, ἀγερωχοῦντα
μβεύοντα, καὶ, ὥσπερ παρασήμοις, τοῖς ἐστολισμένοις πομπεύοντα. Ἐπειδὴ δὲ,
θεὶς πολλάκις, οὐκ ἠρυθρίασεν, οὐδὲ σεσωφρόνιστο, μαστιγωθῆναι δεῆσαν, καὶ
τίγωτο. Πεμπταία σήμερον αὕτη, μετὰ τὴν μάστιγα· ἐν αἷς οὔτε παρὰ τὸ
ν πεφοίτηκε, οὔθ᾽, ὅ φασιν, ἄκρῳ δακτύλῳ λόγων ἐγεύσατο· χαίρει δὲ ἱππεί
θυμελικοῖς ὀργάνοις. Ἀλλ᾽, ἢν ἁπάσαν ἐσθημάτων λαμπρότητες, καὶ ζώνη
α τὴν ὀσφὺν περιέζωστο, καὶ μηδ᾽ ἵπποις ἐπωχεῖτο χρυσηνίοις, ποσὶ δ᾽ ἐχ
εζεύουσιν, ἐκράτει μὲν αὐτὸς ἀλογίας, οὐ κατεξωρχεῖτο δ᾽ αὐτοῦ ἀλογία. Ἐμο
ἀγγεῖλαι, σοὶ δὲ καὶ τῇ σῇ ψήφῳ τὸ λοιπὸ μελήσει περὶ τοῦ σοῦ.

ξβ. Τῷ Μεγάλῳ Λογοθέτῃ, τῷ Μετοχίτῃ.

δή σοι καὶ λόγος καὶ πόθος, ἅλματα περὶ λόγους γενναῖα τὸν φίλτατον ἅ
καὶ σκύμνον οἷα λέοντος περὶ θήραν· εἶναί τε πτερωτὸν ἀετιδῆ καὶ πρὸς
λόγων ὀξυδερκέστατον ἥλιον· ἑπέσθω οἱ παιδαγωγὸς, ὅτῳ δὴ καὶ λόγων
παιδεύσεως ἔφεσις, καὶ μηδὲν τῶν ἁπάντων τουτωνὶ βέλτιον οἰομένῳ. Καὶ
ρισπούδαστος λόγος, ἐρᾷ τ᾽ ἂν καὶ μετάσχοι, καὶ μεταδοῦναι φιλοτιμήσαι
ὴν καὶ ὁ πρὸς τοιοῦτον παιδαγωγούμενος, εἴποτ᾽ ἂν ἐκεῖνος ἀπῇ, φροντ
ῆς ἐν ὁδοῖς εὐκοσμίας, φροντιεῖ δὲ τῆς ἐν μουσείοις διατριβῆς, τῆς οἴκοι
ς καταστάσεως, δεδιὼς ἐπανήξοντα τὸν παιδαγωγὸν καὶ λόγον ἀκριβῶς
α, κἂν παρημέληκέ του, δίκας ἀξίας ληψόμενον. Φοβερῶν γὰρ ὄντων
των, οἱ παιδαγωγοὶ φοβερώτεροι, τοῖς νέοις συνόντες ἐφέστιοι. Τοῦτό μ
ἶναι δοκοῦν, εἰ καὶ τῇ σῇ φιλοσοφίᾳ συνδόξει, οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως ἢ παιδεί
όπτης ἂν κριθείην ἐγὼ, ἢ μὴ λόγων τὸν φίλτατον ὄνασθαι.

κη. Τῷ Κανικλείου. (Vid. H. Valesii Emendatt. V. 19. Atramentarii curam geren
δάκνει, φησὶν ἡ παροιμία· ἐγὼ δὲ, μικρὸν ὑπαλλάξας, φαίην ἄν· ἵππος δάκνει. Καί τ
φύσις κερατίζειν, ἵππῳ λακτίζειν, ὥσπερ ἄρα μορμοῖ δάκνειν. Ἀλλ᾽ οὑμὸς ἵππος
μαθὼν, ὥσπερ ἐπιλελησμένος τοῦ τῆς φύσεως ἰδιώματος, τὴν τῶν ποδῶν ἐνέργ
ς ὀδόντας μετήνεγκε. Τῷ γὰρ μὴ εὐπορεῖν ἀκοστᾶν, πεινῆν δὲ, κατὰ τὸ σφετε
ου ἐκμέμηνε, καὶ ταυτὰ δρᾷν αὐτὸν ἅπερ οἱ τοῦ Γλαύκου Γλαῦκον ἐπαματεί
ἱππομανοῦς γευσαμένοις ἔργον Γλαῦκος γέγονε σπαραγμοῦ. Ἀλλ᾽, εἰ μὴ
λίων προσόντα μοι κατεσπάσθηκεν, ἢν μὴ θοιμάτια κατεδηδόκει, οὐδ᾽ οὕτως
υναῖος· νυνὶ δὲ, ὀργῶν συνεσηδοκέναι κἀμὲ, ποῖ ποτ᾽ ἂν τραποίμην φυγών; κ
δὲ πρὸς τίνα; ποίαις δ᾽ ἂν πυραμίσιν ἐπεντρανίσαιμι; ὅτι μὴ ὡς σὲ καὶ τα
δὴ μόνος, οἷα λόγιος Ἑρμῆς, τῶν Ἑρμαϊκῶν κήδῃ θεραπευτῶν, καὶ τούτων μᾶλ
λων, τῶν ἀδόλως καὶ ἀσκήνως φιλούντων.

In Epist. θ. ad Theodorum Metochitam dicit de hoc equo: Ἀλλὰ καὶ ἵππος, ᾧ με βασιλεὺς
οὐκέτι δάκνει κατὰ μορμὼ, λύκιόν τι θηρίον· ἀλλὰ κατασπαθηκὼς βιβλία μὲν πρῶτα,
βροχθικῶς, ἔπειτα καὶ σάρκας διαλαφύξειν, καὶ νεῦρα καὶ χόνδρους διαμασήσεσθαι,
σιν, καὶ στέαρ ἐκμυελίσειν, καὶ λιμοῦ καὶ θανάτου χεῖρον με δράσειν ἐπαπειλεῖ.
Ad Logothetam occurrit hoc: τοῖς εὖ ἔχουσι δαιμονίως πλήρεις μὲν αἱ ἅλως θη
σαυρίδες σίτων.

λη. Τῷ Μεγάλῳ Λογοθέτῃ.


Καὶ λεόντων ἄρα σκύμνοι γήρᾳ καμόντας τοὺς πατέρας, καὶ θηρᾶν ναρκῶντα
σφίσιν αὐτοῖς πορίζεσθαι θοίνην, οἱ δὲ περὶ θήραν ἐξιόντες ἐξάγουσιν· εἶτα σ
σαντες ἐπίτηδες τόπον, ἐγκαθέτους ἐφίζουσιν, αὐτοὶ δὲ, περὶ τὸ τῆς ὕλης δάσος χ
τες, ὀπὰς καὶ λόχμας ἐκκλατοῦντες, σπήλαιά τε καὶ κρησφύγετα, ἐπειδὰν ἐν
σιν ἀνιχνεύοντες ἀγέλαις ἐλάφων, ἢ συῶν κάπρων, ἢ ζώων ἑτέρων· πολλάττα
ὕλαις ἐντρέφεται· στιχηδὸν κατὰ κόσμον διώκοντες ὄπισθεν, ἀντικρὺ τῶν ἐγκ
των ἐλαύνουσιν· οἱ δὲ ἐξάπινα θορόντες ἐπ' ὄνειαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χέ
αλλον· ἐπειδὰν δ' ἐμπλησθῶσι, τὰ τοῦ κόρου λείψανα, μέλπηθρα τοῖς σκύμ
ῶσι. Καὶ τοιαῦτα μὲν σκύμνοι τροφεῖα γεγηρακόσι τοῖς πατράσιν ἐκτίνουσι.
σι δὲ οὐδὲν ἧττον ταὐτὰ καὶ πελαργῶν νεοττοί, ὥς φησιν ὁ περὶ ζώων ἰδιω
των Αἰλιανὸς συγγραψάμενος, καὶ τοῦτ' εἶναι τὴν τῇ παροιμίᾳ θρυλλουμένη
πελαργῶσιν. Ἄνθρωποι δὲ, καὶ ταῦτα λόγῳ τετιμημένοι, καὶ τῶν ἀλόγων ζώ
δεσπόζειν ἠξιωμένοι, πολλοῦ δέουσι τοιαῦτα δρᾶν περί γε τοὺς πατέρας κα
δευτάς. Ἀλλ' ὁ Μακεδὼν ἐκεῖνος καὶ σώφρων Ἀλέξανδρος, ἀμφότερον
λεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητὴς, τὸν παιδευτὴν μᾶλλον ἔφη φιλεῖν
τὸ εὖ εἶναι πεπαιδευκότα, ἢ τὸν πατέρα, πρὸς τὸ ἁπλῶς εἶναι παραγαγ
ναί μέντοι καὶ διὰ πάσης ἦγε τιμῆς. Καὶ μὴν ἀνδρί τις ἐντυχὼν ἀλλοτρί
μικρὸν ἀργύριον ᾐτηκώς, ἔλαβεν, ἢ μὴν οὐκ ἀκήκοεν οὐχὶ λήψεσθαι.
τῇ δὲ προσιὼν παιδευτὴς, βραχίστου ἄρτου αἰτῶν, ὁ δὲ εὐθὺς συνῆξ
ὀφρῦς, κατέσπασέ τε τὸ ἐπισκύνιον, καὶ προσιδὼν ὄμματι βλοσυρῷ, σ
πὸς ἕστηκεν, ἔξαρνός τε μὴ προσεῖναί οἱ μηδὲ γρῦ, τὸ τῆς παροιμία
δακτύλιος μὲν Κολοφωνίου χρυσοῦ δοκιμώτερος κοσμεῖ τῶν δακτύλ
μύωπα· ὁ δὲ περιστρέφων αὐτὸν, καὶ τοῦ Γύγου πλέον φυσῶν ἐλ
μενος, οὐκ αἰσχύνεται, καὶ, βοῦν ἐπὶ γλώσσης φέρων, τὴν δόσιν ἀν
ται. Ἐρυθριάσας τοίνυν ὁ παιδευτὴς, ἐπανήκει κενὸς, ὥσπερ δεδειπ
ἐς Ἴκκου, καὶ παρὰ τὸ τοῦ βασιλέως πρυτανεῖον χωρεῖ τραφησόμ
Καὶ νῦν οὔθ' ὁ μισθός ἐστιν, οὔθ' ἡ τέχνη· καὶ θεράπων Ἑρμῆς ἀλο
κρέκων, *ψαλάττων εἰς κενὸν νευρᾶς κτύπον, ἄσιτα κἀδώρητα φορμίζων
Ἀλλ', ἣν τῶν βασιλέως νοταρίων ἕκαστος ἀργύριον ἓν κατὰ μῆνα βραβεύ
παιδεύσαντι, ὑφαιρέσει μικρᾷ καὶ προσθέσει, γίγνοιτ' ἂν ἰσότης ἐξ ἀνι
τος· αἳ θ' ὑπερβολαὶ καὶ ἐλλείψεις, ὡς κακίας ὑποθέσεις, μακρὰν ἀποι
ται.

* Lycophr. v. 139–40.

ACTA
SEMINARII REGII
ET
SOCIETATIS PHILOLOGICAE
LIPSIENSIS

ADIECTA

BIBLIOTHECA CRITICA



CVRAVIT

CRISTIANVS DANIEL BECKIVS

VOLVMINIS SECVNDI

PARTIC. PRIMA

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
MDCCCXII.

PRAEFATIO.

Placuit singulis semestribus particulam harum commentationum edi, ne, quae vel disputantur vel narrantur, iusto serius in lucem prodeant. Quum quae *de luxurie poetarum latt.* b. *Ernestius* iunior commentari coeperat, probata omnibus fuerint, non dubitavimus, quin integram eius commentationem, eamque utilissimam, lubenter lecturi sint omnes. In ea quamquam iudicabamus brevius nonnulla dici potuisse, non tamen nobis licere existimavimus, ut quidquam mutaremus. Sententiam suam *de Cicer. libris Academicis* ita intelligenter et modeste tuitus est *Ranitius*, ut locum ei concedendum esse putaremus. Plura disserendo complexum est *Longii* acumen. Supplementa et *Longi* et *Phaedri*,

quamquam diversae auctoritatis et aetatis, vel repetita ex Eichstadii V. C. libellis vel iudicata esse, nemo, credo, improbabit. Alias criticas disputationes cum bibliotheca recentium librorum philoll. sequutura habebit particula, proximo semestri edenda. Scr. Idibus Maiis MDCCCXII.

I.

JO. CHRISTIANI ERNESTI,

Philos. D. et Prof. Ord. Eloqu. in Acad. Lips.

Commentationes de elocutionis poëtarum latinorum veterum luxurie.[1])

§. 1.

Prooemium, argumenti rationem, utilitatem, honestatem declarans.

Quum de nobilissimorum poetarum ingenio, doctrina, et eloquentia scribere ita instituerem, ut magis reprehensoris et censoris, quam laudatoris partes mihi agendas putarem, non eram nescius, quam non modo difficilem, sed quam invidiosum etiam laborem susciperem. Quid enim potest esse difficilius, quam reprehendere eos, quos semper a quampluri-

1) Primam commentationem b. auctor et altercatione publica pro loco in ordine Philoss. obtinendo defenderat d. X. Mart. a. II. hui. saec. secundam ediderat d. XIII. Mart. ei. a. munus Prof. Eloqu. ord. aditurus. Reliquas (inde a §. 8.) scriptas et prelo paratas reliquit vir praestantissimus non ita multo post (d. V. Jun. eiusd. a.) immatura morte nobis ereptus. Natus erat Arnstadii Thuringiae a. LVIII. superioris saeculi, patre Jo. Frid. Christophoro, sacrorum eius loci et Dioeceseos primo antistite, atque in patrio Lyceo,

mis, iisque doctissimis hominibus, ingenii, elegantiae, eloquentiae summis laudibus elatos cognovimus? Quid magis obnoxium invidiae, quam severitate quadam censoria tractare et iudicare eos, ad quorum imitationem se semper omnes comparaverunt, hodieque solent comparare, quotquot ingenium suum ad humanitatem, ad sensum pulcri, et ad omnem literarum elegantiam fingere atque acuere instituunt; quorum artem et venustatem et doctrinam, quum omnes imitari studerent, nullus assequi facile poterat; quorum denique carmina inde a renatarum literarum incunabulis usque ad hanc nostram aetatem ita summorum hominum studiis edita, explicata, iudicata accepimus, ut verendum sit, ne arroganter faciat, vel saltem novas res moliri videatur, qui istis carminibus reprehendendis illa studia refutet. Verum ego tamen meam aliquam culpam non extimesco. Nam quod rei susceptae magnitudo et difficultas a scribendi consilio me non potuit deterrere, malui periculum audaciae subire, quam rei, ut opinabar, utilissimae curam meditationemque abiicere. Deinde, vbi reprehensoris ac censoris partes egi, dedi operam, nihil ut temere, nihil cupide, nihil arroganter reprehenderem. Uniuersum opus quomodo exegerim, non meum est existimare; illi, spero, iudicabunt, qui vel ita docti sunt, ut recte atque accurate possint, vel ita humani, ut benigne et iuste

---

tum in hac Academia, magno patruele, *Joanne Augusto* duce, cuius etiam domestica consuetudine vsus est, optimis literis assiduam dedit operam easdemque postea laudebiliter docuit, a. LXXXII. Professor Philos. extraordinem constitutus, egregiis scriptis clarus, inter quae Glossae sacrae ex Hesychio et ex Suida aliisque Grammaticis excerptae et notis illustratae, atque Silii Italici LL. XVII. de bello Punico II. editio cum aduot. perpetua eminent.

ıdicare velint. Quod autem dixi me vereri, ne hoc ensorio interpretandi genere, quod libellus habet, ovas res videar moliri, id, quo pertineat, et quo ensu verum sit, paucis explicabo.

Scriptorum veterum, Graecorum et Latinorum, ecte atque utiliter tractandorum, triplex omnino ra- o est, una, quae vitiis et corruptelis illorum scri- ta liberet, spuria indaget, et a genuinis secernat; tera, quae verborum et sententiarum vim sen- ımque explicet; tertia, in qua de scriptoris inge- io, arte, doctrina, in utramque partem, quaeratur. niuscuiusque harum rationum definita certis causis tilitas est: primae, quae κριτικὴ dicitur, ut quam mendatissima lectio nascatur; secundae, quae voca- ır ἑρμηνευτικὴ, ut, quae scriptoris mens fuerit, erspicue et vere intelligatur: tertiae denique, quam ἰσθητικὴν appellemus licebit, [2]) vt illorum scripto- ım praestantiam, cum eius causis, plane cognoscamus, irtutes imitemur, eiusque imitationis et rectam ra- onem ineamus, et definitos terminos habeamus, tque omnino, quoniam omnis vera doctrina, omnis ıgenii cultus, et liberalis disciplina ex illis aucto- ibus petenda existimatur, hisce rebus animum inge- iumque nostrum imbuere discamus. Sed quum ii- lem scriptores, quamvis scientia, studiis, ingenio-

2) Hodie enim, quum artem *criticam*, et *criticos* dicimus, maxime separato genere αἰσθητικῷ illud primum solum intelligere solemus. Olim autem κριτικὴ latius patebat, et *Criticorum* munus erat, ut Wolfii V. C. verbis utar (in Prolegom. ad Homer. CCXXXIV.) non solum aucto- ritatem et γνησιότητα veterum scriptorum exquirere, et sua cuique vindicare, sed etiam virtutes illorum et vitia percensere, ut discerent auditores, quid in iis imitan- dum, quid veris scribendi legibus contrarium esset, qua- lis inter eos, qui Homerum tractarent, inprimis Aristar- chus fuit. Quae igitur, perspicuitatis gratia, nos tria

que praestantissimi, tamen, animis ingeniique viribus diversi, humanis erroribus et cupiditatibus obnoxii, ad aetatis quisque suae vel sapientiam et gravitatem, vel inertiam, levitatem, luxuriemque ficti et comparati, non possent non ita scribere, ut magnis cogitandi dicendique virtutibus etiam vitia admiscerentur;[3]) facile intelligitur, rationem interpretandi illam, quam tertio loco posui, singulatim duabus rursus partibus distributam esse, quarum una virtutum demonstrationem, altera vitiorum censuram et cautionem habeat.

In uniuerso enim numero et coetu auctorum, qui classici appellari et existimari solent, nonnullos quidem habemus, tanto ingenio, tam singulari sapientia, tam admirabili dicendi facultate, ut, quum plurima in iis niteant, et pauca vitia maximis vir-

---

munera fecimus, ea olim inter γραμματικοὺς et κριτικοὺς distributa erant. Diomedes Scholasticus in Dionysii Artem Gr. ap. Villois. Anecd. T. II. p. 172. κριτικὸς ait, τὴν τῶν ποιητῶν καλῶς ἢ κακῶς, ἢ ἐν δέοντι, ἢ ἐν μὴ δέοντι, ἢ εὐκαίρως, ἢ ἀκαίρως λεχθεῖσαν ἔννοιαν παρεδίδου τῷ νέῳ, καὶ τὴν τούτων αἰτίαν ἐδίδασκεν. Et alio looo p. 175. ἡ κρίσις, quam ibi Scholiastes τῇ γραμματικῇ vt sextam partem subiecerat, definitur ἡ βάσανος, καὶ ἡ ἐξέτασις ποιημάτων. Cf. quae de eadem re docte, vt solet, disseruit Excell. Beckius in Dissert. de ratione, qua Scholiastae poetarum Graecorum veteres inprimis Homeri ad sensum elegantiae et venustatis acuendum adhiberi recte possint.

3) Quintil. Inst. Or. 10, 1, 24. *Neque id statim*, inquit, *legenti persuasum sit, omnia, quae magni auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati: nec semper intendunt animum, et nonnunquam fatigantur; cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus videatur. Summi enim sunt, homines tamen: acciditque iis, qui, quicquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, vt deteriora imitentur*

tatibus obruantur, ab omnibus, qui ad praecipuam elegantiae vel eloquentiae laudem adspirent, tuto legi atque imitatione exprimi possint. Sine dubitatione et merito laudamus, si qui sunt, qui in suo dicendi genere ad Ciceronis, vel etiam Livii aut Caesaris aut Quintiliani formam orationis propius accedant. In poetis Virgilius, Horatius, Tibullus in eo numero sunt, ut eorum carmina omnes admirentur, nec quisquam unquam extitisse existimetur, qui ea assecutus fuerit. Quos si solos haberemus, in quibus legendis et imitandis versari possemus, omnis lectio et imitatio nostra, quamvis brevior et angustior, tamen tuta esset, neque ego hunc libellum conscribere potuissem. Sed habemus Tacitum, Plinium, Florum, Suetonium, habemus Ovidium, Lucanum, Valerium Flaccum, Statium, Silium, Claudianum, Senecam, ne ceteros aetate et dignitate inferiores nominem, egregios scriptores et poetas, quis neget? quis non et hos legendos, laudandos, imitandos putet? At enimvero, si horum scripta cum illorum principum operibus contendamus, vel

(*id enim est facilius*) *ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur.* Sententiam Quintiliani docte et caute Horatio quoque suo accommodauit Mitscherlich V. C. in Praefat. Horat. praemissa p. IX. Itaque nec ipse Quintilianus succensuerit Homio, qui quum illius de hyperbole iudicium (Lib. 8, 6. *melius vltra quam citra orationem stare*) ut ineptum reprehendisset, hanc censurae suae excusationem rationemque reddit: *Ich konnte mich dieser persönlichen Kritik hier nicht enthalten, die auch nicht wider diesen Autor allein gerichtet ist, denn kein menschliches Geschöpf ist vom Irrthum frey, sondern überhaupt wider die blinde Verehrung, die man für die alten klassischen Autoren hat, ohne ihre Flecken von ihren Schönheiten zu unterscheiden; Grunds. d. Krit. Th. 2, p. 276.*

ad pulcri, recti, decori normam, recta ratione et philosophia sancitam, exigamus, multa virtutibus eorum vitia adiuncta reperiemus, quae rudes et incautos oculos eo facilius fallunt, quod et vicinarum virtutum patrocinio sustinentur, et in magnis ingeniis splendido fuco illita saepe maximarum formam virtutum mentiuntur.

Iam si universa doctorum hominum studia persequimur, quae in scriptores Graecos et Latinos, per quatuor fere secula, collata sunt, reperimus quidem omnibus temporibus extitisse, qui vel ad emaculanda atque emendanda illorum scripta industriam suam, vel ad interpretanda doctrinam conferrent, ut nemo esset, qui veterem aliquem auctorem, Graecum Latinumve, tractandum sibi sumsisset, quin in alterutro genere, vel in utroque desudaret; illam autem rationem *αἰσθητικὴν*, quam modo descripsi, olim quidem a nullo, nisi quis casu in eam delapsus fuisset, recentiori autem aetate a paucissimis, qui consulto eam sequerentur, expetitam atque usurpatam deprehendimus. Ac veteres quidem illos, qui literarum atque omnis humanitatis primi statores conservatoresque extiterunt, Manutios, Victorios, Stephanos, Sylburgios, Gruteros, alios, si iuste volumus iudicare, huius negligentiae culpa eximere debemus. Qui si iam tum in illo interpretandi genere elaborassent, quiddam portenti simile fecissent. Omnium enim mentes manusque tum criticus labor exercebat. Neque is brevi tempore aut mediocribus studiis confici poterat; quum ne hodie quidem, post tot hominum doctissimorum tanta studia, post tam accuratam codicum veterum pervestigationem, artis criticae auxilio carere possint, qui in tractandis veterum auctorum libris accurate velint versari. Itaque eius artis studium semper postea etiam viguit, quum doctior interpretatio accessisset. Haec autem

ipsa, quamvis ex omnibus Grammaticae, historiae vel antiquitatis opibus instruebatur, tamen erat eiusmodi, quae in illustrando et demonstrando potius, quam in iudicando et censendo versaretur. Si qui erant eo ingenii acumine, ea sensus elegantia, ut non solum, quid recte et eleganter et divine cogitatum aut dictum a veteribus, sed etiam quid his virtutibus contrarium esset, intelligere et sentire possent, (quales praeter Manutium multi alii ex illa aetate extiterunt,) tamen solebant in iis acquiescere, quae laudem et commendationem haberent, cetera, in quibus corrigendi aut reprehendendi occasio esset, non attingebant. Habet enim omne illud interpretandi genus, de quo disputamus, plus libertatis et audaciae, quam in tanta veterum scriptorum existimatione et auctoritate doctorum hominum verecundia, nondum usu vel consuetudine temperata, ferre aut probare poterat; ut fere in amicitiis ad obiurgationem aliquam non prius descendi solet, quam primum pudorem frequentior congressus et familiaritas excussit. Nam omnium animis tum, opinor, insidebat sapientiae et doctrinae in veterum scriptis expositae, quaedam formido ac religio, quae, quo est ad admirationem et obsequium pronior, eo minus reprehendentium voces aut corrigentium conatus admittit. Denique, si quaeritur, qua arte, quo ingenio, quo iudicio aliquis scripserit, utrum, quid esset animis commovendis aut sedandis aptum, quid in moribus describendis distribuendisque rectum, decorum, venustum, quid temporibus et locis accommodatum, quid in omni orationis conformatione aptum, elegans, facetum, ornatum, grave, iucundum, acute intellexerit, vel accurate observaverit, an artis neglectu vel ignoratione, ingenii abusu, iudicii inopia, ad vitia virtutibus illis contraria deflexerit; in singulis his quaestionibus, quae proprie ad

rationem illam αἰσθητικὴν pertinent, aliqua vel sentiendi liberalitate[4]), vel iudicandi subtilitate opus est, quae non sponte venit, sed studio philosophiae, et philosophorum disceptationibus perficitur. Enimvero tum philosophia prorsus caruit ea luce, quae illis quoque literis illustrandis sufficeret. Quamobrem, quum ex iis, quae huc usque exposuimus, intelligi posse videatur, primis temporibus illis complures causas fuisse, cur docti homines illam interpretandi disciplinam αἰσθητικὴν neque expetiverint, neque adhibuerint, totum illud intervallum relinquamus, et ad ea tempora accedamus, quae nostram aetatem propius attingunt.

Quis non facile recordatur temporis illius, quo omnis doctrinae humanitatisque principatum Batavi tenere existimabantur? Cuncti quidem scriptores Graeci et Latini, si ex inferis redirent, et aliquis ex iis quaereret, quibus e terris, quorumve hominum studiis maximum ad ipsorum scripta ornatum, summamque auctoritatem et lucem redundasse iudicarent, Batavam gentem, opinor, et Heinsios, Graevium, Gronoyios, Hemsterhusium, Valkenarium, Dorvillium, Drakenborgium, Wesselingium, Burmannos similesque literarum heroes, et qui ex his ultimus obiit,

---

4) Liberalitatem volo, qualem olim Petrarca, in iis, qui primi studium literarum veterum adiuverunt, mirifice eminens, declaravit. Qui quum veteres legeret et studiose evolveret, non, vt illis temporibus fere omnes alii, vt in verbis et nugis grammaticis immoraretur, sed, *ut bonus fieret*, (vid. Opp. Petr. pag. 1039. de ignorantia sui ipsius etc.) hinc sine dubio factum est, vt pronus esset ad vitia quoque scriptorum illorum, quos unice colebat et legebat, rimanda atque ostendenda. Haec sentiendi liberalitas coniuncta erat natura sua cum illo consilio, quod sibi in legendis his scriptoribus proposuerat. vid. Opp. p. 704. in Epistola ad Viros quosdam ex veteribus illustres.

Ruhnkenium, appellarent. Neque hodie quisquam est, qui hoc genus literarum amplectitur, quin, si quem illorum commemoret, exemplum summae eruditionis nominasse sibi videatur, aut, si libros ab illis editos usurpet, in thesauris doctrinae se versari existimet. Sed qualis illa omnis Batavorum propria interpretandi ratio fuit? Primum, quam maxime critica, quis ignorat? deinde grammatica, hoc quidem ambitu, ut non verba solum et sententias docte, accurate, acute explicarent, sed et omnibus historiae antiquitatisque opibus uterentur, exemplorum copiis abundarent, immensum lectionis apparatum instruerent, ut, quum unum scriptorem tractassent, in hunc contulisse ea viderentur, quae ceteris pene omnibus explicandis sufficere possent. Sed in uno illo genere, quod quaerimus, non elaborarunt; sive quod leve et supervacaneum, praesertim in illo doctrinae splendore, videretur, siue quod non satis dignum illa scriptorum veterum excellentia putarent, siue denique, quod omnis illa gens, quum ad severum et grande et splendidum quoddam genus eruditionis se comparasset, non valde inclinaret ad eam rationem interpretandi, quae subtiliorem quendam sensum, et moderatam iudicandi elegantiam desideraret[5]). Neque hic quaeritur, quid

---

5) Immensa propemodum doctrinae grammaticae atque industriae criticae opes sunt, quas Valkenarius et Dorvillius in Euripidem et Charitonem contulerunt. Sed uterque, poetarum, quos tractabant, fere immemores, linguae Graecae, amatorum instar, unice inhaerent. Nempe Valkenarius in Call. Fragm. Eleg. ed. Luzac. haec fatetur: *Iam iuvenis et vir*, inquit, *in linguae graecae formoso corpore minutissima ligamenta, fibrillas ipsas, attentus spectavi.* Quantum similis doctrinae apparatum nuper Locella in futilissimo Xenophontis Ephesii opusculo consumsit! Sed frustra vel verbulum quaeras, ex quo eum de hominis ingenio vel scriptionis pretio quicquam cogitasse intelligas.

illorum unus aut alter passim ex illo genere notaverit. Nam plures in praefationibus, ut Burmannum ad Ovidium, ad Lucanum, ad Valerium Flaccum, videmus ea disputare, quae ad ingenium et doctrinam scriptoris sui iudicandam pertineant [6]). Sed ea plerumque de genere universo dicuntur, vel contra eos, qui aliter iudicassent, ut contra Scaligerum, qui quum in Poetica inprimis poetarum veterum iudicem censoremque agere instituisset, tamen saepius cupide et petulanter et audacter, quam vere et recte iudicasse existimari debebat [7]). In ipsis autem commentariis et adnotatione nihil adferebant eiusmodi, quod ad recte aestimandas ingenii poetici virtutes, vel ad cognoscenda vitandaque vitia lectores potuisset adducere. Interim tamen hanc Batavorum interpretum rationem et disciplinam, quia aliis de causis laudabilis et ampla et splendida quodammodo erat, plerique doctissimi homines, etiam in Germania, unice sequuti sunt. Quid multa? Dubito, ante Gesnerum an nemo fuerit, qui praeter grammaticam interpretationem, hanc veluti censoriam, de qua loquor, consulto expeteret, vel cum illa coniungeret. Erat enim in illo viro non ea solum ingenii vis et doctrinae copia, qua posset veteres scriptores subtiliter et accurate interpretari, sed et ea iudicii elegantia et liberalitas, ut, quae in illorum scriptis laudanda quaeve vituperanda essent, et facillime videret, et libere auderet profiteri. Itaque

---

6) Hoc in loco inprimis commemoranda est Graevii ad Florum praefatio, quam quum libello meo iam confecto primum et accuratius perlegissem, vidi Graevium de Flori ineptiis ita disputare, ut prope videri possem ex illa praefatione omne meum huius dissertationis scribendae consilium arripuisse. Haec ergo Graevius in praefatione: in notis solam prope verborum crisin exercet.

7) Talis disputatio est Casp. Barthii contra Ludov. Vivem ad Stat. Theb. II. vers. 156. sqq.

quum incidisset in Claudianum, poetam satis ingeniosum et doctum, at ingenio et doctrina saepius inepte abusum, non fecit id, quod quamplurimi editores solent, qui, tanquam causarum quidam patroni, quem scriptorem edendum atque interpretandum sumserunt, eum et laudandum sibi et defendendum putant, sed passim illius ineptias scite et graviter notavit. Audiamus ea, quae in praefatione Claudiano praemissa de studio suo et instituto ipse profitetur. *Non volui*, inquit, *Commentarios scribere collectos undique, aut locos communes, non volui dictionem poetae congestis aliorum poetarum formulis illustrare; sed cum illud volui efficere, poeta ut intelligatur: tum judicio meo juvare volui juniorum judicium, quid pulcrum atque decens, et summorum poetarum simile putarem, ostendendo, et contra ea, ubi aberrasse illum a natura, a magnis exemplis, a decoro, arbitrarer, cum fide indicando.*" Hunc postea modico interallo sequutus Heynius, primus interpretationem ornavit. Qui quum in Virgilio, politissimo et perfectissimo poeta, non dubitaret ea commemorare, quae minus apte et recte dicta viderentur, quid eum putamus facturum fuisse, si in interpretando Ovidio, Lucano, Valerio Flacco, Statio aut Seneca, elaborare voluisset? Heynianam rationem, qua praestantior et elegantior et doctior non alia extiterat, multi, dissimili ingenio, et in dissimillimis Virgilio scriptoribus ita imitati sunt, ut interpretationis illam potissimum partem exprimerent, quae admirationis et laudum significationes habet, alteram, quae, quum in aestimando et censendo versetur, acutiorem sensum limatiusque iudicium desiderat, prorsus negligerent. Quid mihi ipsi nuper in Silio Italico acciderit, paucis dicam. In quo poeta quum ego, sensu quodam meo et judicio ductus (nam constat fuisse, qui non modo nulla ex parte reprehen-

ilendum illum, sed et anteponendum Virgilio arbitrarentur) et carminis constructionem atque οἰκονομίαν non omnino laudassem, et in adnotatione nonnulla monstrassem, quae ieiunius, luxuriantius, argutius, pinguius ineptiusque dicta essent, fassus est aliquis se mirari, quomodo ego, cuius poetae editor essem, eius tam acrem censorem agere potuissem. Sic se res habet. Plerique veterum librorum editores cum scriptore suo, tanquam cum aliquo Maecenate, agere et versari solent, quem, ne a se abalienent, si verbulum dixerit, praeclare, scite, divine dixisse clamant, non nisi venerabundi intuentur, non nisi dulcibus alloquiis appellant. Vereor, ne huius omnis rei consuetudo ex scholarum fontibus dimanet, unde plerique, non vitae solum, sed et doctrinae quendam colorem, quo mature imbuti sunt, ducere solent. Nullum sane tempus, hoc scholastico tempore, opportunius esse videtur, quo tenera ingenia iustum auctoribus antiquis pretium statuere, imitationis rectam rationem et terminos cognoscere, denique de prisca arte et doctrina liberaliter atque ex sensu quodam suo iudicare discant. Sed dubito, an hodie sat multi reperiantur scholarum magistri, qui scriptores poetasque veteres ita explicent, ut illa discere tirones possint[8]).

Sed alias etiam ob causas mirum possit videri, quid fuerit, cur illam interpretandi rationem, quae in censendo et iudicando versatur, tam pauci, qui se veterum poetarum editores profiterentur, expetiverint atque usurparint. Primum enim ab illis ipsis scripto-

---

8) Talem, qualem volo, inprimis Gierigius V. C. se praestitit in Ovidiana interpretatione, in editione Epistol. et Panegyrici Pliniani, et in eo libello, quem de vita et doctrina Plinii docte et accurate scripsit: *Leben, moralischer Character und schriftstellerischer Werth des jüngern Plinius.* Dortmund 1798.

ribus veteribus, quorum auctoritatem tanti aestimamus, ea ratio commendata est. In Graecis quidem, Aristoteles quid de ea re senserit, et quomodo se ipse ad iudicandam artem doctrinamque veterum scriptorum comparaverit, non potest obscurum esse cuiquam, qui vel primis labris rhetoricos eius libros, vel de re poetica commentarios attigit. Et hos quidem mutilos accepimus. Quos si integros haberemus, vel alios quos, si Diogeni Laertio credimus, de re poetica et arte dicendi Aristoteles, et quos Theophrastus, Theodectes, Hermagoras scripsere, haud dubie sententiam nostram plenior auctoritas comprobaret. Quis autem Longinum legens, vel Dionysium Halicarnassensem, vel Demetrium Phalereum, dubitare potest, quin artis criticae hanc partem praecipuam existimaverint, quae in elocutionis vitiis exquirendis notandisque versaretur? Ex Latinis Ciceronem et Quintilianum nominasse sufficiet, quorum alter universum fere librum, quem Bruti nomine inscripsit, non oratorum clarorum nominibus solum, sed et censuris iudiciisque implevit; alter, quos oratori futuro scriptores poetasque legendos commendare instituisset, eos ita recensuit, vt suis quemque virtutibus et vitiis distingueret.

Deinde serioribus etiam temporibus, maxime inde a renatis literis usque ad nostram aetatem, haud pauci fuere, qui, quum omnem dicendi vim et disciplinam subtilius explicare studerent, tamen in veterum quoque illorum artem doctrinamque inquirerent, et, dissimili quamvis ingenio, imparique successu, de utraque iudicia ferrent. In his eminent, qui olim de re critica, poetica et rhetorica scripserunt, Scaliger, Vossius, Clericus, Morhofius, nostraque memoria, Homius, Blairius, ut ceteros omittam, qui non data opera similes de veterum scriptorum vitiis aut virtutibus sententias dixerunt. Sed, praeter Homium et

Blairium, quorum acumen eiusmodi est, ut et alere recentiora ingenia possit, superiorum illorum praecepta et paene libri ipsi obsoleverunt. Hodie autem in eo genere maxime viget atque excellit consortium illud virorum doctorum, qui, quae olim Sulzerus in Theoria artium et literarum de veterum poetarum ingeniis et scriptis notare vel inchoaverat vel omiserat; ea plenius absolvere, et doctius addere coeperunt. Qui si volent institutum persequi, facile perficere poterunt, ut suo labore superiorum studia superent. Sed quum horum tamen librorum ea ratio sit, ut omnia de genere universo disputentur, nec, ubi iam ad veteres poetas legendos accesseris, in singulis locis, et verbis et sententiis, quid recte aut male se habeat, certo scire possis, optandum sane est, ut ista omnis ratio interpretandi censoria ad ipsas etiam veterum auctorum editiones propagetur, et in ipsis adnotationibus regnet. Nam si qui hodie sunt, qui edendis veterum libris hoc unice vel maxime agant, ut totas paginas copiis et disputationibus criticis impleant, variarum lectionum, saepe levissimarum, et nihil prorsus opis adferentium, turba referciant, vel ambitioso coniecturarum apparatu instruant, vereor, ne isti arte critica, re vtilissima, abutantur, et suae potius famae vel auctoritati fauere, quam commodis lectorum consulere videantur.

Iam, quoniam his, quae hactenus exposui, satis mihi videor utilitatem et honestatem eius interpretandi rationis, quam in libello secutus sum, declarasse, propius ad ipsam rem, quam tractaturus sum, accedere licebit. Ego quidem, ex quo tempore studii mei, quod legendis veterum Graecorum et Latinorum scriptis consecraveram, hunc fructum tuli, ut omnis eloquentiae, qua oratores et poetae usi essent, origine, progressu, ambituque, cognito, singulorum ingenia, virtutes, vitia, distinguere atque aestimare possem,

facile in hanc sum sententiam adductus, ut statuerem corruptae eloquentiae inquinataeque pulchritudinis, quae dicendi scribendique arte et facultate declarari queat, tum primum initium factum esse, quum scriptores a dicendi frugalitate, parsimonia, et verecundia, quam veteres naturae veritatisque obsequio deberent, ad luxuriem, libidinem et audaciam descicerent, quum ea, quae in veteribus natiua vis ingenii, sensusque opportunus et rebus congruens vigor produxisset, ad ambitiosum et sollicitum artis studium referrent, pro puro honestoque ornatu, pompam et splendorem, pro casta elegantique munditia, fucati candoris et ruboris veluti medicamina, et calamistros, et cincinnos, pro sublimitate tumorem, pro gravi et solido acumine, pueriles lusus adhiberent. Haec singula quum ita colligerem, ut summa quaedam fieret, et omissis ceteris scriptoribus, ad solos poetas referrem, relinquebatur, maximam partem eorum, quae in Latinorum poetarum compositione et elocutione reprehendi possint ac debeant, ad nimiae abundantiae vitium et culpam pertinere. Hanc sententiam, quam mea mihi lectio et meditatio commendaverat, ipsis summorum auctorum veterum iudiciis comprobatam videbam. Accedebat, quod, quum vitia illa non exilitate, vel manifesta turpitudine terreant, sed aliqua potius foecunditatis et splendoris specie fallant, semper multos cognoveram fuisse, qui illa in vitiorum numero non haberent[9]) multos qui defenderent[10]), multos

---

9) Schwarzius quum in Panegyrici Pliniani, luxuriantissimae orationis, capite 28 unam eandemque sententiam septies variatam vidisset, hanc in ipsa brevitate copiam admiratus est; quam tamen postea Gierigius ineptam potius loquacitatem multo rectius iudicavit.

10) Graevius quum in praefatione Floro praemissa, de Flori dictione graviter et accurate ita iudicasset, ut eam toto

etiam, qui, vt viderentur ex antiquis profecisse, in tatione expressa propagarent. Quibus de causis dig mihi ea res visa est, de qua accuratius quaereret Itaque universum vitiorum illorum genus, cui singı tanquam formae vel partes subessent, veterum La norum auctoritatem et consuetudinem sequutus, *lux riem* nominavi, totumque libelli argumentum ita p titus sum, ut primum, quam late pateret illa luxuri et quas causas haberet, deinde, quibusnam in reb poetae Latini huius luxuriei culpam contraxerint, si gulatim demonstrarem.

§. 2.

Luxuries elocutionis poeticae qualis sit, et que ambitum habeat.

Quamquam in iis, quae hactenus praefati sum nonnulla praemonuimus, e quibus luxuriei oration poeticae non vis et potestas solum, sed et ambitus i telligi possit, tamen utriusque rei accuratius redden ratio est, ut sententiam nostram et luculentior persp cuitas, et antiquior auctoritas commendet.

Luxuriem igitur nunc ei poetarum orationi se elocutioni tribuimus, quae tum in verbis et sente

---

genere tumidam, affectatam, ineptam et corruptam dic ret, non multo post Laur. Begerus suae Flori editio praeposuit praefationem, qua Flori dictionem tanqua sublimem miris laudibus effert, sine discrimine omn quae in ea reprehensione digna iudicaverat Graevius, tu tur, ipsumque Graevium non obscure arrogantiae, teme tatis, non intellectae sententiae Flori, et ad extremu calumniae arguit, et iudicandi libidine ultra captus s modulum provectum subindicat. Sed non impune Beg rus ineptus fuit. Nam primum eum hoc nomine Burma nus ad Petron. Cap. 31. suo sale naviter perfricuit; dei de Dukerus in Praefatione ad Florum Graevii causam co tra Begerum accuratissime et doctissime defendit.

iis, tum in omni conformatione, ornatu, cultuque uo nimia redundantia diffluit. In vocabuli quidem su ipsum veterum Latinorum, qui omnis eloquentiae rtiumque optimarum praeceptores ac iudices extiteunt, consuetudinem sequuti sumus. Quum enim illorum studium iudicandi de rebus ad artem dicendi ertinentibus incidisset in eam aetatem, quae linguae atinae formam fere absolutam, ambitumque quodammodo conclusum haberet, et iam id appellandum eset, cuius, propter rerum novitatem atque ignorationem, nullum antea nomen fuerat, inopia quadam et ecessitate coacti sunt, a rebus similibus verba muuari. Quo ex fonte, quum in ceteras artes, tum in intitutiones Graecorum Latinorumque rhetoricas redundarunt ὀνόματα illa τεχνικά, quae a nobis duplici ibello congesta nuper et exposita sunt. In harum netaphorarum delectu et usu, tantam elegantiam, tanumque acumen, Latini inprimis, declararunt, ut, ognita illarum similitudine, singularum virtutum vel itiorum, quae iis expresserant, non vim solum et naturam, sed causas etiam intelligere possimus.[11]) In

11) Hos tamen Latinos Graeci, ut in caeteris rebus, ita illa quoque metaphorarum luxuriosam dicendi rationem declarantium copia et varietate superarunt. Ad librum usque haec adnotatio excresceret, si singula criticorum graecorum loca, quae huc pertinere possint, perscriberemus. Itaque totam illam metaphorarum veluti sylvam exponamus. Nam dubitari nequit, quin varias illius vitii de quo nunc quaerimus, particulas notaverint, quum ἁβρότητα λόγου, τὴν ἀπειροκαλίαν, τὸ γαῦρον, τὸ κακόζηλον, τὴν κακοτεχνίαν, τὸ κολπῶδες, κουφολογίαν, κενολογίαν, κωδάνας, τὸ μειρακιῶδες, τὸ νεαρὸν, τὸ ὄγκος vel ὀγκῶδες, τὸ οἰδεῖν, τὸ παιδαριῶδες, τὸ παράβακχον, τὸ παρακεκινδυνευμένον, τὰ παρατραγῳδά, τὸν παρένθυρσον, τὸ περίεργον, τὴν περισσοτεχνίαν, et περιττολογίαν, τὸ πολύχουν τῆς λέξεως, τὸ κομπικὸν et τρυφερόν, τὴν ὑπερέκπτωσιν, τὸ φυσῶδες, in poetis vel oratoribus commemorant; quorum quidem omnium verborum

etiam, qui, vt viderentur ex antiquis profecisse, imitatione expressa propagarent. Quibus de causis digna mihi ea res visa est, de qua accuratius quaereretur. Itaque universum vitiorum illorum genus, cui singula tanquam formae vel partes subessent, veterum Latinorum auctoritatem et consuetudinem sequutus, *luxuriem* nominavi, totumque libelli argumentum ita partitus sum, ut primum, quam late pateret illa luxuries et quas causas haberet, deinde, quibusnam in rebus poetae Latini huius luxuriei culpam contraxerint, singulatim demonstrarem.

§. 2.

Luxuries elocutionis poeticae qualis sit, et quem ambitum habeat.

Quamquam in iis, quae hactenus praefati sumus, nonnulla praemonuimus, e quibus luxuriei orationis poeticae non vis et potestas solum, sed et ambitus intelligi possit, tamen utriusque rei accuratius reddenda ratio est, ut sententiam nostram et luculentior perspicuitas, et antiquior auctoritas commendet.

Luxuriem igitur nunc ei poetarum orationi seu elocutioni tribuimus, quae tum in verbis et senten-

genere tumidam, affectatam, ineptam et corruptam diceret, non multo post Laur. Begerus suae Flori editioni praeposuit praefationem, qua Flori dictionem tanquam sublimem miris laudibus effert, sine discrimine omnia, quae in ea reprehensione digna iudicaverat Graevius, tuetur, ipsumque Graevium non obscure arrogantiae, temeritatis, non intellectae sententiae Flori, et ad extremum calumniae arguit, et iudicandi libidine ultra captus sui modulum provectum subindicat. Sed non impune Begerus ineptus fuit. Nam primum eum hoc nomine Burmannus ad Petron. Cap. 31. suo sale naviter perfricuit; deinde Dukerus in Praefatione ad Florum Graevii causam contra Begerum accuratissime et doctissime defendit.

s, tum in omni conformatione, ornatu, cultuque o nimia redundantia diffluit. In vocabuli quidem n ipsum veterum Latinorum, qui omnis eloquentiae tiumque optimarum praeceptores ac iudices extiteunt, consuetudinem sequuti sumus. Quum enim illoum studium iudicandi de rebus ad artem dicendi ertinentibus incidisset in eam aetatem, quae linguae itinae formam fere absolutam, ambitumque quodamnodo conclusum haberet, et iam id appellandum eset, cuius, propter rerum novitatem atque ignoratioiem, nullum antea nomen fuerat, inopia quadam et iecessitate coacti sunt, a rebus similibus verba muuari. Quo ex fonte, quum in ceteras artes, tum in institutiones Graecorum Latinorumque rhetoricas redmdarunt ὀνόματα illa τεχνικά, quae a nobis duplici ibello congesta nuper et exposita sunt. In harum netaphorarum delectu et usu, tantam elegantiam, tanumque acumen, Latini inprimis, declararunt, ut, ognita illarum similitudine, singularum virtutum vel ritiorum, quae iis expresserant, non vim solum et naturam, sed causas etiam intelligere possimus.[11]) In

11) Hos tamen Latinos Graeci, ut in caeteris rebus, ita illa quoque metaphorarum luxuriosam dicendi rationem declarantium copia et varietate superarunt. Ad librum usque haec adnotatio excresceret, si singula criticorum graecorum loca, quae huc pertinere possint, perscriberemus. Itaque totam illam metaphorarum veluti sylvam exponamus. Nam dubitari nequit, quin varias illius vitii de quo nunc quaerimus, particulas notaverint, quum ἀβρότητα λόγου, τὴν ἀπειροκαλίαν, τὸ γαῦρον, τὸ κακόζηλον, τὴν κακοτεχνίαν, τὸ κολπῶδες, κουφολογίαν, κενολογίαν, κωδάνας, τὸ μειρακιῶδες, τὸ νεαρὸν, τὸ ὄγκος vel ὀγκῶδες, τὸ οἰδεῖν, τὸ παιδαριῶδες, τὸ παράβακχον, τὸ παρακεκινδυνευμένον, τὰ παρατραγωδά, τὸν παρένθυρσον, τὸ περίεργον, τὴν περισσοτεχνίαν, et περιττολογίαν, τὸ πολύχουν τῆς λέξεως, τὸ πομπικόν et τρυφερόν, τὴν ὑπερέκπτωσιν, τὸ φυσῶδες, in poetis vel oratoribus commemorant; quorum quidem omnium verborum

nullo autem genere vitiorum, quibus oratores vel poetas carere volebant, maiore atque elegantiore metaphorarum varietate usi sunt, quam in illo, quod nimia copiae ubertatisque affectatione conspicuum esset. Itaque universum hoc vitium eo vocabulo notarunt, quod de herbarum segetumque insolenti et inani ubertate dictum accepissent: *luxuriem* orationis damnarunt, eosque, quos viderent hoc vitio laborare, *luxuriari* dixerunt. Ac si hoc maxime, ut opinor,

---

et metaphorarum accuratiorem interpretationem, una cum veterum scriptorum locis, dedimus in eo libello, quem nuper de technologia Graecorum rhetorica conscripsimus. Ac multo etiam maiorem istarum metaphorarum copiam haberemus, si Scholiastis placuisset, in iis, quae ad veteres poetas scriptoresque adnotarunt, illa commemorare quae vitiose dicta iudicassent. Sed admodum pauca et exigua sunt, quae ab illis, ad grammaticam et historicam interpretationem maxime comparatis, et ad corruptae eloquentiae sensum vel animadversionem fortasse hebetioribus, ex eo genere observata reperimus. Itaque omnes illas metaphoras, quibus luxuriosae elocutionis censuras contineri diximus, sapientioribus criticis, Longino, Hermogeni, Demetrio, Dionysio Halicarn. Philostrato, debemus. Pauciores cur Aristoteli et antiquioribus criticis debeamus, causae in promtu sunt. Omnis non vitae solum aut cultus victusque, verum etiam orationis luxuries simplicitatem et frugalitatem illam, quam natura et recta ratio et veritas commendant, longo demum intervallo sequitur. Antiquissimi Graecorum poetae et oratores, quo longius a doctrinae ostentandae ambitione, atque imitandi cupidine aberant, ad naturae veritatisque simplicitatem comparati, eo rarius in illud luxuriei vitium incidere poterant, nisi quem ingenii naturalis fervor vel invitum illuc rapiebat, ut in nonnullis locis Aeschylo ac Pindaro accidisse novimus. In Homero, Hesiodo, Demosthene, Lysia, Isaeo, Lycurgo aliisque vel ingenio vel aetate paribus, quorum oratio solida et sicca, et casta, et in veris causis tractandis maxime occupata erat, vel nulla, vel non alte impressa luxuriantis ingenii vestigia reperiebantur.

declarare voluerunt, eos, qui hanc vitiosae ubertatis culpam contraxissent, ingenio et arte abuti, a simplicitate veritateque naturae desciscere, speciem inanem gravi verecundiae anteponere, haec omnia vix poterant luculentiori aliqua, quam luxuriantium herbarum similitudine significare. Harum enim ubertas casso apparatu fertilitatem mentiens non natura provenit, sed plerumque extorquetur perversitate hominum, qui integras solidasque naturae vires, dum suis artibus immensum in modum augere student, ad inanem herbarum sylvam extenuant.[12])

12) Plin. Hist. Nat. 18, 17. p. 460. Gronov. inter vitia segetum, inquit, et *luxuria* est, quum onerata fertilitate procumbunt. Ad quem locum non praetermittendus Theophrastus H. N. 7, 8. ubi insanam illam foliorum luxuriam, eleganti vocabulo φυλλομανίαν dixit. Illum metaphorae, quam vocabulo *luxuriae* Plinius declarat, fontem insigni in loco Cicero quoque monstravit de Or. 3, 25, ubi, quum de imitatione, qua plerique se similes alicui esse vellent, loquutus esset, de Sulpicio hanc sententiam fert: „quod si hic noster Sulpicius faceret, multo eius oratio esset *pressior;* in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest *luxuries quaedam, quae stilo depascenda est.*" cf. Cic. de Or. 2, 21. et Quintil. 2, 4. — Iul. Capitol. in vita Gordiani iun. Cap. 20. „extant, inquit, dicta Gordiani iunioris, quae hodie ab eius affinibus frequentantur, non magna, non minima, sed media, et quae apparent esse hominis ingeniosi, sed *luxuriantis*, et suum deserentis ingenium. *Macrobius* Sat. 5, 1. genus dicendi commemorat *pingue* et *floridum*, in quo Plinius secundus quondam, et nunc nullo veterum minor *luxurietur*. Unde et Horatius, quum dicere vult, priscam Musices artem auctam fuisse recentioribus temporibus, numerorumque et modulationis maiorem copiam atque ambitum accepisse, Art. poet. 214. Sic priscae, inquit, motumque et *luxuriem* addidit arti Tibicen. Eandem *cantus luxuriem* appellavit Plinius H. N. 16, 36. cui *simplicem musicam* opponit, τὸ αὐλεῖν ἁπλάςως Theophrasti. cf. Technol. Graec. Rhetor. v. ἄπλαςον.

nullo autem genere vitiorum, quibus oratores vel poetas carere volebant, maiore atque elegantiore metaphorarum varietate usi sunt, quam in illo, quod nimia copiae ubertatisque affectatione conspicuum esset. Itaque universum hoc vitium eo vocabulo notarunt, quod de herbarum segetumque insolenti et inani ubertate dictum accepissent: *luxuriem* orationis damnarunt, eosque, quos viderent hoc vitio laborare, *luxuriari* dixerunt. Ac si hoc maxime, ut opinor,

---

et metaphorarum accuratiorem interpretationem, una cum veterum scriptorum locis, dedimus in eo libello, quem nuper de technologia Graecorum rhetorica conscripsimus. Ac multo etiam maiorem istarum metaphorarum copiam haberemus, si Scholiastis placuisset, in iis, quae ad veteres poetas scriptoresque adnotarunt, illa commemorare quae vitiose dicta iudicassent. Sed admodum pauca et exigua sunt, quae ab illis, ad grammaticam et historicam interpretationem maxime comparatis, et ad corruptae eloquentiae sensum vel animadversionem fortasse hebetioribus, ex eo genere observata reperimus. Itaque omnes illas metaphoras, quibus luxuriosae elocutionis censuras contineri diximus, sapientioribus criticis, Longino, Hermogeni, Demetrio, Dionysio Halicarn. Philostrato, debemus. Pauciores cur Aristoteli et antiquioribus criticis debeamus, causae in promtu sunt. Omnis non vitae solum aut cultus victusque, verum etiam orationis luxuries simplicitatem et frugalitatem illam, quam natura et recta ratio et veritas commendant, longo demum intervallo sequitur. Antiquissimi Graecorum poetae et oratores, quo longius a doctrinae ostentandae ambitione, atque imitandi cupidine aberant, ad naturae veritatisque simplicitatem comparati, eo rarius in illud luxuriei vitium incidere poterant, nisi quem ingenii naturalis fervor vel invitum illuc rapiebat, ut in nonnullis locis Aeschylo ac Pindaro accidisse novimus. In Homero, Hesiodo, Demosthene, Lysia, Isaeo, Lycurgo aliisque vel ingenio vel aetate paribus, quorum oratio solida et sicca, et casta, et in veris causis tractandis maxime occupata erat, vel nulla, vel non alte impressa luxuriantis ingenii vestigia reperiebantur.

declarare voluerunt, eos, qui hanc vitiosae ubertatis culpam contraxissent, ingenio et arte abuti, a simplicitate veritateque naturae desciscere, speciem inanem gravi verecundiae anteponere, haec omnia vix poterant luculentiori aliqua, quam luxuriantium herbarum similitudine significare. Harum enim ubertas casso apparatu fertilitatem mentiens non natura provenit, sed plerumque extorquetur perversitate hominum, qui integras solidasque naturae vires, dum suis artibus immensum in modum augere student, ad inanem herbarum sylvam extenuant.[12])

12) Plin. Hist. Nat. 18, 17. p. 460. Gronov. inter vitia segetum, inquit, et *luxuria* est, quum onerata fertilitate procumbunt. Ad quem locum non praetermittendus Theophrastus H. N. 7, 8. ubi insanam illam foliorum luxuriam, eleganti vocabulo φυλλομανίαν dixit. Illum metaphorae, quam vocabulo *luxuriae* Plinius declarat, fontem insigni in loco Cicero quoque monstravit de Or. 3, 25. ubi, quum de imitatione, qua plerique se similes alicui esse vellent, loquutus esset, de Sulpicio hanc sententiam fert: „quod si hic noster Sulpicius faceret, multo eius oratio esset *pressior;* in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest *luxuries quaedam, quae stilo depascenda est.*" cf. Cic. de Or. 2, 21. et Quintil. 2, 4. — Iul. Capitol. in vita Gordiani iun. Cap. 20. „extant, inquit, dicta Gordiani iunioris, quae hodie ab eius affinibus frequentantur, non magna, non minima, sed media, et quae apparent esse hominis ingeniosi, sed *luxuriantis*, et suum deserentis ingenium. . *Macrobius* Sat. 5, 1. genus dicendi commemorat *pingue* et *floridum*, in quo Plinius secundus quondam, et nunc nullo veterum minor *luxurietur*. Unde et Horatius, quum dicere vult, priscam Musices artem auctam fuisse recentioribus temporibus, numerorumque et modulationis maiorem copiam atque ambitum accepisse, Art. poet. 214. Sic priscae, inquit, motumque et *luxuriem* addidit arti Tibicen. Eandem *cantus luxuriem* appellavit Plinius H. N. 16, 36. cui *simplicem musicam* opponit, τὸ αὐλεῖν ἁπλάρως Theophrasti. cf. Technol. Graec. Rhetor. v. ἁπλάρον.

Sed operae praetium est, ceteras quoque metapheras cognoscere, quibus veteres idem illud abundantiae vitium significarunt. Quum enim *orationis lasciviam* reprehendunt, quae vox proprie de animalibus in aliquo qualicunque voluptatis sensu exultantibus, gestientibus vel petulanter ludentibus dicta est, eos scriptores notant, qui ingenii sui viribus mentisque alacritati et motibus ita indulgent, ut nullam copiam, nullum lusum, nullum fucum praetermittant.[13]) In quo genere quoniam ingeniorum maxime iuvenilium levitas et praecipitantia cernitur, *puerilem* quoque elocutionem, *iuvenilem* dicendi licentiam et impunitatem, in eodem vitiorum numero ponunt, adscita a Graecis metaphora, qui *τὸ μειρακιῶδες, τὸ παιδαριῶδες, τὸ νεαρὸν* et *τὸ νεανιεύεσθαι* in oratione passim commemorarunt.[14]) Quum porro *redundantiam,* et *oratio-*

---

13) Ita Quintil. 10, 1, 88. *lascivum* Ovidium et nimium ingenii sui amatorem, et Lib. 4, 2, 39. quosdam *toto et rerum et verborum et compositionis genere lascivire*, dicit. Et Seneca Epist. 154. „si disciplina civitatis laboravit, inquit, et se in delicias dedit, argumentum est luxuriae publicae, *orationis lascivia* etc. Neque obscurus sensus est, quum Quintil. 2, 4. 3. *lascivam* arcessitis descriptionibus narrationem reprehendit, quam variata metaphora et *sinuosam* dixerat. Cetera, quae huc pertinent, accuratius tractavimus in Lex. technol. Latin. rhet. v. *lascivire* et *saltare.* — Affini usus metaphora Quintilianus 2, 38. *exultantia* commemorat, cum iisque *tumida, praedulcia, abundantia, accersita* coniungit. cf. Auct. Dial. de Oratt. 26. Omnino enim, ubi non de moribus sermo est, *lascivia*, de petulantia quadam et protervitate orationis dici solet. Unde et *lascivos* et *dicaces* iungit Quintil. 6, 3, 41. cf. Dial. de Or. Cap. 29. et Quint. 10, 1. 43. ubi *recens lascivia deliciaeque* satis significanter *veterum naturali eloquentiae et robori viris digno* opponuntur.

14) Vid. quae in Technol. lat. rhet. ad v. *puerilis* disputavimus. Illustris locus est apud Cic. Orat. 30. ubi, dum de iuvenili orationis redundantia et nimio fervore exponit,

nem effusam, et *circumfluentem* damnant, facile intelligitur, cogitasse eos quandam temeritatem et impetum eorum, qui copiam non bene dispensant, sed, prodigorum instar, omnia simul profundunt.[15])

Neque minus acuta vel perspicua abundantiae notatio illa est, quam *pinguetudinis, tumoris,* aut *ebrietatis* similitudo adferebat. Nam in *pinguetudine* nimium succorum adfluentiam, et aliquam frugalitati sanaeque siccitati contrariam ubertatem; in *tumore* magnitudinem et ambitum inanem; in *ebrietate* denique non solum id quod nimium est, sed etiam, quod ad fastidium et nauseam usque abundat, cogitare solemus.[16])

---

hanc ipsam redundantiae notionem, metaphora a musto fervente sumta, egregie illustrat: nam ipse hic musti fervor vini immaturitatem et iuventutem arguit. „Quantis illa, inquit, clamoribus *adolescentuli* diximus de supplicio parricidarum, quae nequaquam satis *defervuisse* post aliquanto sentire coepimus." Unde de Or. 2, 21. verba *effervescentia* et paullo nimium redundantia *aetatis* esse iudicat. cf. Brut. 91. et Quint. 12, 7. ubi eadem illa Ciceronis (ex Orat. pro Rosc. Am. 26) *iuveniliter dicta* commemorat.

15) Vid. Cic. Brut. 6, 13. 55. Orat. 30. Quintil. 8, 3. 40. Unde et Ammian. Marcell. 30, 4. *fluentiam* dicendi, gravi veterum eloquentiae opponit, quae semper temperantia et castitate insignis fuit. Quanta varietate istam *redundantiae* vel *abundantiae* metaphoram veteres ad orationis nimiam copiam luxuriemque notandam adhibuerint, data opera declaravimus in Technol. lat. rhet. ad vocc. *cursus, diffluens, effundere, loquacitas.*

16) *Pinguetudinis* metaphora quam affinis sit illi, quam in *luxuriei* vocabulo veteres declararunt, patet ex loco Macrobii Saturn. 5, 1. ubi, quum a copioso genere dicendi *pingue* et floridum distinguit, idque Plinio secundo tribuit, in *pinguedine* cogitasse non tam corpus humanum videtur, quam herbas ex pingui solo luxuriantes. Nam Plinium

Praeter has metaphoras illustres, et cum scito quodam delectu adhibitas, multas alias a serioris inprimis aetatis scriptoribus usurpatas reperimus, quibus vel universam dicendi luxuriem, vel eius aliquam partem notarunt, ut quum quibusdam *spumam*, *fumum*,

---

cum Symmacho *luxuriari* dicit, eandemque paullo post *laetitiam pinguem* appellat, ex qua ipsa in herbis luxuries cognoscitur. Sola enim herbarum segetisque laetitia perfectissimam indolem et optimum genus fertilitatis designat, ut vel ex Virgilii primo Georgicorum versu notum est. Plura diximus in Lex. Techn. lat. ad voc. *opimus*. — *De tumore*, orationis abundantis et luxuriantis vitio, non necessarium videtur ea repetere, quae l. l. ex multis veterum locis docuimus ad vocc. *tumidus*, *inflatus*, *sufflatus*. — Seneca quum Epist. 19. Maecenati *ebrium sermonem* tribuit, haud dubie in mente habuit illam dicendi redundantiam, quae omnibus verborum ac sententiarum lusibus indulget, ubique calamistros adhibet, fuco, pigmentis, omnibusque ornamentis orationem obruit, quae omnia etiam luxuriei illius, de qua quaerimus, partes sunt. Nam huiusmodi formam indolemque orationis, qua Maecenas usus fuerit, non Seneca solum, in nominata et inprimis 114. epistola, sed et alii passim, ut Sueton. Aug. 86. Quintil. 9, 4. 28. Macrob. Saturn. 2, 4. et Auct. Dial. de Orat. 26. prodiderunt. Sed hunc metaphorae sensum propria etiam ebrietatis vis et notio commendat, quae in nimia copia inest. Unde Graeci, quicquid aliqua re nimis repletum esset, id μεθύειν et μεθύσκειν translate dixerunt, vt μεθύων λύχνος Aristoph. Nub. et Homer. Il. 17, 390. βοείη μεθύουσα ἀλοιφῇ. Et quum humorum redundantiae contraria sit siccitas (unde ebriis, proprie sic dictis, vino madidis illis, *sicci* opponi solent) hac quoque metaphora ita Latini Rhetores et Critici usi sunt, ut in oratione *sicca* dicerent, quae ad simplicitatem gravitatem et veritatem comparata, ab ambitioso copiae oratoriae apparatu, et ab ornandi libidine remota essent, ipsosque oratores *siccos*, qui eiusmodi eloquentiae genere uterentur. Vid. Cic. Brut. 55 et 84. et de Nat. D. 2, 1, vbi *flumini* orationis, quod copiosi oratoris est, *siccitas* ex subtilitate opponitur; et Macrob. Sat. 5, 1. ubi orator *siccus* et *sobrius* et *tenuis*,

vesicam, phaleras exprobrant.[17]) Sed nos iam, his omissis, in Ciceronis, Quintiliani, et nonnullorum similium doctrina et acumine acquiescimus.

Quodsi colligimus illa, quae singulatim exposuimus, intelligitur, quum omnis compositionis atque elocutionis, sive oratoriae, sive poeticae, haec universa vis existimata sit, ut copiose et graviter et ornate diceretur, *luxuriei* culpam tributam illis esse, qui contraria illis virtutibus vitia sectarentur, copiam loquacitate et redundantia, gravitatem inani tumore, ornatum fuco et cincinnis exilibusque deliciis ac lusu puerili corrumperent. Itaque Quintilianus, (Lib. 12. 10. 37.) cuius aetas inprimis luxuriosa illa eloquentia laborabat, hoc *vitiosum et corruptum dicendi genus* appellat, *quod aut verborum licentia resultet, aut puerilibus sententiolis lasciviat, aut immodico tumore turgescat, aut inanibus locis bacchetur, aut casuris, si leviter excutiantur, flosculis niteat, aut*

---

et quandam dicendi frugalitatem sectans, pingui et florida oratione lascivienti opponitur. cf. quae in Technol. Lat. rhet. ad voc. *siccus* dicta sunt. Sed ut *ebrii sermonis* sensus perfecte teneatur, praeter redundantiam, cuius notionem in ebrietate primariam esse dixi, cogitandam arbitror mollitiem quoque hominis delicias ubique et ornatum sectantis, quam Lucianus de conscr. hist. cap. 57. λιχνείαν appellavit et σωφροσύνῃ opposuit. Nam illa mollities nec ab ebrietate aliena est, et a nonnullis in eloquentia Maecenatis diserte commemoratur. Macrobius enim Saturn. 2, 4. Maecenatis *stilum remissum*, *mollem*, et *dissolutum* dicit; et Suetonius Aug. 86. Augustum narrat Maecenatis *μυροβρεχεῖς cincinnos* usquequaque persequutum, imitando per iocum irrisisse. Hinc Seneca epist. 114, eius eloquentiam dicit eloquentiam *hominis ebrii involutam*, et *errantem* et *licentiae plenam*.

17) Loca ipsa attulit Cressollius in Theatr. Rhet. 3, 26. p. 367. Nos addimus, iam Persium eo sensu *spumosum* dixisse Sat. 1. ubi vid. Casaub. p. 138.

praecipitia pro sublimibus habeat, aut specie libertatis insaniat. Et non longe post illum locum, *et copia habet modum,* inquit, *sine quo nihil nec laudabile nec salutare est, et nitor ille cultum virilem, et inventio iudicium. Sic erunt magna, non nimia, sublimia, non abrupta, fortia, non temeraria, severa, non tristia, gravia, non tarda, laeta, non luxuriosa, iucunda, non dissoluta, plena, non tumida. Tutissima fere per medium via, quia utriusque ultimum vitium est.*

Ceterum non existimamus fore, qui Ciceronis, Quintiliani, aliorumque criticorum veterum, luxuriem orationis reprehendentium, auctoritatem ad poetas coarguendos adhiberi posse negent propterea, quod illorum praecepta, non tam ad poesin, quam ad artem dicendi oratoriam pertineant. Nam, si modo illas tractandi eloquendique formas separemus, quae poetis et oratoribus propriae sunt, ne in carminis quidem conformatione aut elocutione quicquam potest laudabile esse, quod in omni eloquentia vitiosum et turpe habetur. Luxuriei autem, qualem supra descripsimus, in utroque dicendi genere eadem perversitas est. Nam et communes causas habet, ut mox videbimus, et in iisdem fere operis partibus locisque cernitur, et quae eam consequuntur, eiusmodi sunt, ut oratorem aeque ac poetam dedeceant. Quicquid enim luxurie peccatur, quum naturae et veritati adversum sit, in nullo orationis genere placere aut delectare, aut fidem habere potest. Accedit, quod illa ipsa impunitas, quam ingenio, sensibus, ac phantasiae poeticae dare solemus, poetas eo maioribus peccandi periculis exponit: ut summae rationis et cautissimi consilii sit, sublimitatem sine tumore consequi, concinnitatem verborum ac sententiarum sine puerilis lusus suspicione obtinere, atque omnem reliquum ornatum orationis sine pompa et vanitate instruere. Itaque si quid a ve-

teribus ad coercendam orationis luxuriem praeceptum legimus, id non oratoribus solum, sed et poetis dictum recte et merito existimabimus; ut taceamus, multas veterum, inprimis Quintiliani, sententias reperiri, quae ipsis poetis et illam luxuriem dicendi, et cetera elocutionis oratoriae vitia exprobrent.

§. 3.

De causis luxuriei poeticae.

Sed ante, quam, quomodo poetae latini veteres in his omnibus elocutionis poeticae formis luxuriati sint, exponamus, utile erit causas investigare, e quibus omne illud eloquentiae vitium nasci soleat. Eae si noscantur, quum rectius, quicquid veteres in hoc genere peccaverint, iudicare poterimus, tum vero etiam hodie multi, quos vel vis divinior ingenii, vel levior vanitatis pruritus ad carmina componenda impulerit, illis cognitis, ne in eadem luxuriei poeticae vitia incidant, facilius cavebunt. Nam omnibus temporibus horum vitiorum non modo idem periculum, sed et eaedem fere causae extiterunt. Itaque hunc omnem locum ita tractabimus, ut, quamvis ad veteres poetas maxime mentem intentam habeamus, tamen ad universam poeticam, etiam recentiorem, quae dicturi sumus, pertinere possint.

Illarum causarum, ut nobis quidem videtur, duplex genus est. Aliae in ipso poeta insunt; aliae aliis rebus externis continentur; illas *internas*, has *externas* nominabimus. Quarum, et externarum quidem maxime, etsi ea necessitudo et coniunctio est, ut in aliis poetis pauciores, in aliis plures, in nonnullis universae ad luxuriem illam absolvendam concurrant, tamen, quo luculentius earum vis et ratio intelligatur, de singulis separatim dicendum videtur.

Quas luxuriei causas in poeta ipso sitas, vel *internas* diximus, eas ad ingenium poetae pertinere, atque ex eo proficisci necesse est. Omnis enim eloquentiae poeticae non virtutes solum, sed et vitia, ex poetae ingenio, tanquam ex fonte, dimanant. Et quum in superioribus demonstratum sit, universam luxuriei vim rationemque in nimia copia et redundantia cerni, illius vitii causas oportet esse eiusmodi, ut vel maxime hanc redundantiam adferant. Duae autem res sunt inprimis, quae hanc vim habeant, *ingenii abusus*, in eo quidem poeta, qui, quum a natura felici splendidoque ingenio instructus sit, ei immoderate indulget, et *ingenii penuria*, in eo poeta, qui, quum ingenio vere poetico se destitutum sentiat, remediis quibusdam et artibus studeat illam inopiam explere.

Iam quomodo ex isto abusu, et hac penuria ad omnem elocutionem poeticam illa luxuriei genera, quae supra recensuimus, redundare possint, facile intelligitur, quum cognoverimus, quibus rebus hominumque studiis prima et nativa artis virtutisque poeticae facies paullatim soleat usque eo immutari, dum eam formam induat, quae capere istam luxuriem possit. In unaquaque enim gente primum poesis *natura* et *veritate* valet. Natura fit, ut primi poetae non alieno admonitu aut instituto, sed interno mentis vegetae calentisque stimulo acti, rerumque cogitatarum vel magnitudine et gravitate vel pulcritudine commoti, quos sensus animis conceperunt, verbis sententiisque ad illos sensus aptis exprimant. Veritatis autem haec vis est, ut res carmine tractandas non longe petant aut confingant, sed ex naturae vel vitae humanae contemplatione oblatas arripiant. His igitur natura et vita pro penu, ingenium pro arte est. Ex his fontibus, ne longius exempla petamus, Homeri, Aeschyli, Pindari aliorumque Graecorum veterum praestantissima opera fluxerunt, et si quos illis similes poetas recentior ali-

qua aetas tulit, hos, quo illis similiores fuerunt, eo propius a natura et veritate abfuisse videmus. In tales poetas nec lascivia, nec abusus ingenii cadere potest. Validae vires sunt, magni conatus, acerrimi sensus, sed quos naturae veritatisque obsequium coercet, ne extra fines ab utraque constitutos exsultent.[18]) Paullatim vero, ubi nativa talium ingeniorum opera se prodiderunt, ubi propius considerantur, et in admirationem contemplantes rapiunt, tum vero variis rebus, aemulatione, cupiditate, vanitate, illi virtutis poeticae fontes turbantur. Quae divini poetae beneficio ingenii invenerunt, et dictante veluti natura eloquuti sunt, ea observantur, colliguntur, praeceptorum formulis concluduntur. Poesis docetur et discitur; poetae, quum antea nascerentur, iam fiunt, et quum antea essent, iam esse volunt.[19]) Sed ponamus, hac tali aetate quosdam efflorescere, qui ingenio mentisque viri-

---

18) Neque tamen in his desunt, quae luxuriantius dicta et ab ingenii quadam intemperantia orta videantur. Nam et natura saepe luxuriat, et monstra parit. Itaque in Tragicis, quibus phantasiae ardorem lubenter concedimus, quaedam vix ferenda sunt. Sic Schützius, alioquin mitis Aeschyli iudex, et saepe defensor, iudicat de Prometh. vinct. verss. 399—401. Sed haec ingenii naturaliter effervescentis atque exsultantis foecunditas, a sequiorum poetarum levitate distinguenda videtur. De Aeschylo cf. Quintil. 10. 1. 66.

19) Adposite ad nostram sententiam Blairius, cuius auctoritas in hoc genere plurimum valere debet, Lectt. Rhetor. XXXVIII. pag. 50. Tom. 4. vers. germ. *Die meisten alten originellen Dichter,* inquit, *einer jeden Nation sind fast durchaus einfach und gedrungen. Jener Ueberfluſs, jene üppigen Auswüchse der Schreibart, sind das Werk der Nachahmung in spätern Zeiten, als die Darstellung in schwächere Hände kam, und mehr Sache der Kunst und des Studiums wurde, als ausgezeichneter natürlicher Fähigkeiten.*

bus nulli praestantissimorum poetarum veterum concedant, (neque enim hoc flore ulla aetas prorsus carere solet) quid existimamus futurum esse? Magnum periculum erit, ne illi, quum ad tantas naturae opes artis etiam auxilia accesserint, ingenio indulgeant, viribus abutantur, ac sese dent in omnia licentiae genera praecipites. Est enim hoc in omni arte, ut naturam quoquo modo adiuvare, explere, ornare velit. Itaque illi, et naturae stimulis excitati, et callida artis disciplina tincti, quum ad carmina scribenda animum adplicuerunt, nullum phantasiae figmentum, si rarum, si ingeniosum, si splendidum est, aversabuntur, nullis orationis pigmentis parcent, omnes lusus, omnia acumina, omnes delicias adhibebunt. Haec, ni fallor, luxuries est Ovidii, Lucani, Senecae Tragici, qui, uti carminibus suis omnes illas virtutes ostenderunt, quae splendidi uberrimique ingenii propriae esse solent,[20]) ita non potuerunt se liberos praestare iis vitiis, quae abusum talis ingenii necessarie consequuntur. Non est huius loci, hanc sententiam exemplis confirmare, quae infra magno numero sequentur. Itaque nunc in iudicio Quintiliani, acutissimi ingeniorum aestimatoris, acquiescamus. Is enim, quum Instit. Or. Lib. 10, 1. 88. *Lascivus*, ait, *in Heroicis quoque Ovidius, et nimium amator ingenii sui,* dubitari non potest, quin abusum ingenii Ovidianae lasciviae causam statuerit. Huic iudicio simillimam Senecae (Controvers. Lib. 2, 10.) sententiam adiungamus. *Ovidius*, inquit, *non ignoravit vitia sua, sed amavit. Ex quo apparet, summi ingenii viro iudicium non defuisse ad compescendam licentiam carminum suorum, sed animum.*

---

20) Nempe de his in universum valet, quod Quintilianus II, 12. 5. scite observavit: *evenit nonnunquam, ut aliquid grande inveniat, qui semper quaerit, quod nimium est.*

Aiebat interim, decentiorem faciem esse, in qua aliquis naevus esset. [21])

Optime vero cum poesi ageretur, si praeter illum ingenii felicis abusum, de quo modo diximus, nulla deterior luxuriae poeticae causa esset. Multa enim sunt in magnis ingeniis, quibus eorum vitia expiantur. Ovidiani ingenii venustate, acumine, splendore capti, ad eiusdem argutias et lusus et praestigias non inviti connivemus; neque in Seneca, Lucano, Valerio Flacco, sensuum affectuumque gravitatem et sublimitatem rarius admiramur, quam sententiarum monstra fastidimus. Plerumque etiam in magnis ingeniis vitiorum tam aperta atque expressa vestigia esse solent, ut facilius et animadverti et caveri possint. Sed illa ipsa vitia, quae antea demonstravimus luxurie contineri, omnibus temporibus, et multo quidem maiori numero, ab his quoque in poesin inducta sunt, qui *ingenio vere poetico destituti* carminibus scribendis operam navarent. Pauci nascuntur poetae: plures vel disciplina et studium fingit, vel opinio et error agnoscit.

---

21) Unum exemplum addamus, quod haec iudicia luculentius confirmare possit. Nobilissimus de Fama locus est Virgilii Aen. 4. 173. sq. Nemo in hoc loco aliquam luxuriem deprehendet. Omnia congruunt ad imaginem Famae absolvendam. Non est lusus in verbis, non effusa ubertas, sed singula cum delectu et graviter dicta. Statius Theb. 3, 426. et Valer. Flacc. 2, 116. sensisse videntur, quam sit arduum cum Virgilio severa aemulatione contendere; itaque breviter et sobrie in imitatione versati sunt. Unus Ovidius, audax inprimis poeta, et ingenii sui viribus fretus, periculum facere voluisse videtur, an posset Virgilio palmam eripere. Novo igitur de Fama phantasmate invento descriptoque Metam. XII, 39. sqq. ita in singulis luxuriatus est, ut, dum Famae loquacitatem describit, versans et varians verbis hanc unam notionem, ipse loquacissimus fiat, et magnum legentibus fastidium adferat.

Nullum enim compositionis genus aut elocutionis tam multa, quae specie fallant, quam poetica, habet. Verum ingenium, quod naturae beneficio venit, vera vis dicendi atque inventionis, vulgo latet, nec nisi a prudentissimis animadvertitur: cetera quae tanquam robustioris artis sunt in carminibus, et usu illo, quem τριβὴν ἄλογον Graeci scite dixerunt, obtinentur, facilius in oculos incurrunt, et aliquo virtutis poeticae simulacro indoctos decipiunt. Ita et olim multi poetae facti sunt, et hodie fiunt, homines non hebetes, quamvis ad omnes alias artes magis, quam ad poeticam nati, si mature versibus faciendis adsueti sunt, si veteres poetas principes lectos relectosque perdidicerunt, omnem mythologiam imbiberunt, poematum formam et habitum cognoverunt, si sciunt, qui quodque carminis genus numeri deceant, denique phantasmatum, comparationum, locorum communium, descriptionum, metaphorarum, imaginum, epithetorum, artificiorum ornamentorumque poeticorum sylvam tenent. Hos autem necesse est in carminibus scribendis ita se comparare, ut, quas ingenio et phantasiae virtutes natura denegavit, eas arte, contentione, aemulatione, cura, compensent, quae tamen, si vere velimus iudicare, totidem infirmitatis velandae remedia sunt. Id nemo veterum et acutius vidit, et elegantius eloquutus est Quintiliano, qui Lib. 2, 3. 8. quamvis de oratoribus iudicabat, tamen, si de poetis dicendum fuisset, non aliter iudicasset: nam in eo genere non diversa poeseos ab eloquentia oratoris ratio reperitur. *Quo quis ingenio minus valet, inquit, hoc se magis attollere et dilatare conatur: ut statura breves, in digitos eriguntur, et plura infirmi minantur. Nam tumidos, et corruptos, et tinnulos et quocunque alio κακοζηλίας genere peccantes, certum habeo, non virium, sed infirmitatis vitio laborare.* Teneamus illud, quod scite et docte Quintilianus iudicat, *infirmi-*

tatis vitio laborare, quicunque κακοζηλίας generibus peccent. Nam in hoc iudicio omnia insunt, quibus sententia illa nostra vel defendi vel confirmari possit. Κακοζηλίας enim, tum Quintiliani, tum aliorum veterum sententia, haec vis est, ut et a pravo imitandi studio proficiscatur, et cernatur maxime in iis generibus dicendi, quae ad luxuriem pertinere saepe diximus. Iam ut in omni literarum genere, praecipue autem in eloquentia et poesi, summi ingenii maximarumque virium est, non pendere ex alienis opibus, sed omnes dicendi copias et virtutes e proprio veluti penu expromere: ita haud dubie infirmitatis vitio laborare existimandi sunt, vel oratores, vel poetae, qui se ad imitandum totos compararunt; de qua quidem re paullo post accuratius dicetur. Sed et ipsam eloquentiae poeticae luxuriem ex infirmitate oriri, non difficile intellectu videtur. Primum illud, quod luxuriantium maxime proprium est, ut nullius rei, quae ad ornandum valere possit, modum teneant, expressam imbecillitatis notam habet. Nam omnis immoderatio animi et virtute et firmitate caret; ut, qui cupidi et intemperantes sunt, iidem impotentes recte habeantur. Deinde, quoniam in summi ingenii scriptoribus ac poetis certae exornandae orationis virtutes reperiuntur, acumen, venustas, concinnitas, splendor, festivitas, gravitas, sublimitas, profecto tardi et infirmi existimandi sunt, qui, quum has virtutes assequi non possint, in contrariis vitiis haerentes, lusum, argutias, cincinnos, fucum, inanem pompam, frigora, tragoedias, tumorem, et quicquid est ultra virtutem, amplectuntur, atque omnino specie boni fallunt, quod iudice Quintiliano (Inst. Or. 8, 3. 56. coll. 9, 4.) omnium in eloquentia vitiorum pessimum est. Denique nihil tam potest esse cum ingenio et iudicio coniunctum, quam in oratione, quid deceat, recte videre. Hac autem, quam sapientiam Cicero appellat (Orat.

21.) atque omnis eloquentiae fundamentum iudicat, destitui necesse est, quicunque illis luxuriei vitiis tenentur. Nihil enim potest decere, quod naturae et veritati repugnat: a qua utraque illi longissime absunt.

§. 4.

Causae luxuriei poeticae externae.

Sed praeter illas luxuriei poeticae causas, quas in diversa ingeniorum indole sitas esse demonstravimus, plures alias nobis videmur cognovisse, quas, quum in rebus externis insint, *externas* appellavimus. Quarum etsi tanta inter se coniunctio et necessitudo est, ut in quamplurimis poetis propemodum cunctae ad luxuriem illam efficiendam concurrant, tamen, ut sua cuiusque vis et ratio recte intelligatur, de singulis, ut instituimus, quantum fieri potest, separatim dicamus.

Ex hoc genere prima omnium, et propter nominis et rei ipsius similitudinem, *morum publicorum omnisque vitae privatae luxuries et lascivia* occurrebat. Nam quum natura ita comparatum est, ut oratio, quam cogitationum, sensuum, cupiditatumque omnium interpretem accepimus, ex ipsa hominum vita, quae illarum vel honestate vel turpitudine declaranda continetur, colorem trahat; tum haec morum et orationis necessitudo omni tempore valuit apud eas gentes, quae eloquentiae laude maxime floruerunt. Graecorum quidem ars et ratio dicendi, à summa virtute et elegantia, qua ceteras gentes universas superarunt, non prius ad inanem verborum pompam, tumorem, atque omnes artis abundantiaeque ineptias deliciasque deflexit, quam Ptolemaeorum mollis et luxuriosa aetas scriptorum poetarumque ingenia illis vitiis patefecisset.[22]) Apud Romanos luxuriei poeticae, de qua

22) Cf. Heynii, viri summi, dissert. de genio Seculi Ptolemaeorum, in Opusc. Acad. Tom. I, pag. 76.

loquimur, prima vestigia in Ovidio deprehendimus, hoc est, ea aetate, quae et ipsa morum licentia, luxu, et molliori vitae cultu laborabat.[23]) Sed illa licentia et mollities animos tum magis et vitam occupans, levi duntaxat contagione poetarum orationem infecerat, sive quod gravis virilisque eloquentiae, qua proxima aetas viguerat, recentior memoria et illustrior existimatio esset, sive quod istius aetatis mollities, certe in hominibus doctis, temperaretur ea sensus iudiciique elegantia, quae nec in oratione quicquam ineptum vel puerile ferre posset, sive denique quod haec aetas concursum haberet eorum ingeniorum, quae suis se viribus sustinerent. Itaque quum mediocri temporis intervallo disiuncti, Tibullus, Propertius, Horatius, Virgilius, Ovidius florerent, in solius Ovidii oratione, quem ipsa natura videtur ad omnes et vitae et ingenii lusus proclivem finxisse, illa luxuries haesit, ceteros sua quemque ingenii indoles et virtus hac labe liberos praestitit. Nam si forte in his quoque, et in ipso Virgilio, castissimo poeta, nonnulla reperiantur, quae luxuriantis ingenii suspicionem movere possint, tamen ea tam pauca sunt, et tot tantisque virtutibus obruuntur, ut vix appareant. Sed post illam aetatem, quum multis causis corrupta omnis eloquentia iacebat, tum vero aucto indies luxu, et a pristina morum gravitate et modestia ad libidinem ac levitatem traductis animis, dubitari non potest, quin eodem vitio imbuta fuerit ars et oratio poetarum, qui et natura ita facti sunt, ut sensuum illecebris facilius fortiusque moveantur, et hac venia utuntur, ut lascivire impune queant. Liceat hunc omnem locum auctoritate et testimonio

23) Perfectiorem huius aetatis imaginem si quis intueri cupiat, adeat Supplement. ad Sulzer. Vol. 4. part. 2. p. 448. sq. una cum Meinersii Hist. mor. corrupt. apud Romanos.

Senecae concludere, qui non modo talibus temporibus vixit, sed et ita scripsit, ut, quae eloquentiae vitia publicis civitatis moribus adsignat, ea ipse ex eodem fonte traxisse videatur.[24] *Quare quibusdam temporibus provenerit corrupti generis oratio, quaeris: et quomodo in quaedam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, ut aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta, et in morem cantici ducta: quare alias sensus audaces, et fidem egressi placuerint, alias abruptae sententiae et suspiciosae, in quibus plus intelligendum est, quam audiendum: quare aliqua aetas fuerit, quae translationis iure uteretur inverecunde; hoc, quod audire vulgo soles, quod apud Graecos in proverbium cessit, talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Quemadmodum autem uniuscuiusque actio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. Si disciplina civitatis laboravit, et se in delicias dedit, argumentum est luxuriae publicae orationis lascivia: si modo non in uno aut in altero fuit, sed approbata est et recepta. Non potest alius esse ingenio, alius animo color. Si ille sanus est, si compositus, gravis, temperans, ingenium quoque siccum et sobrium est, illo vitiato hoc quoque afflatur.*[25])

---

24) Memorabile de Seneca iudicium est ac testimonium Quintiliani Instit. Or. 10, 1. 129. *Multae in eo claraeque sententiae, multa etiam morum gratia legenda: sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contemsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset; consensu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur.*

25) Epist. 114. quae tota hunc locum exemplis et praeceptis tractat. In multis locis huc pertinentibus eminet is, qui

Magna pars luxuriei illius, qua omnium poetarum Latinorum post Virgilium oratio laborat, e *rhetorum scholis* profecta, et universo artis declamatoriae studio adiuta poesin occupavit.[26]) Nullus enim fere illorum poetarum fuit, quin institutus rhetorum disciplina, et omnibus dicendi artificiis instructus, a cau-

C 2

quandam veluti historiam propagatae ex moribus publicis ad orationem luxuriae continet. *Ubi luxuriam late felicitas fudit, cultus primum corporum esse diligentior incipit: deinde supellectili laboratur: deinde in ipsas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor: deinde ad coenas lautitia transfertur, et illic commendatio ex novitate et soliti ordinis commutatione captatur. Cum adsuevit animus fastidire quae ex more sunt, et illi pro sordidis solita sunt; etiam in oratione, quod novum est, quaerit: et modo antiqua verba atque exoleta revocat et profert, modo fingit, et ignota deflectit, modo id, quod nuper increbuit, pro cultu habetur, audax translatio ac frequens. Sunt qui sensus praecidant, et hinc gratiam sperent, si sententia pependerit, et audienti suspicionem sui fecerit; sunt qui illos detineant et porrigant; sunt qui non usque ad vitium accedant (necesse est enim hoc facere, aliquid grande tentanti) sed qui ipsum vitium ament. Itaque ubicumque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque a recto descivisse, non erit dubium.* Multae sunt Quintiliani etiam querelae, quae huc pertinent. Sic, ubi docet, quantum lectio veterum Latinorum ad eloquentiam conferat, Lib. 1, 8. 9. *Oeconomia quoque in his,* inquit, *diligentior, quam in plerisque novorum erit, qui omnium operum solam virtutem, sententias putaverunt. Sanctitas recte, et ut sic dicam, virilitas ab his petenda, quando nos in omnia deliciarum genera, vitiaque, dicendi quoque ratione, defluximus.*

26) Etiam apud Graecos, quum primum eloquentiae publicae usus et honos esse coepit, poetarum omnis compositio et elocutio ex illa colores duxit. Itaque hoc factum esse videmus in Euripide (qui eloquentiae doctorem Prodicum habuit), cuius aetate primum eloquentia publica effloruit.

sis orandis ad carmina scribenda se contulerit.[27]) Omnem autem hanc eloquentiae institutionem et disciplinam eiusmodi fuisse, ut illa luxurie animos discentium facile imbueret, multis ex rebus intelligi potest. Primum eloquentiae publicae et forensis, cui praeparandae omnis scholarum exercitatio serviebat, haec propria virtus atque indoles existimata est, ut in rebus tractandis vim et copiam et ubertatem, in verbis autem et sententiis summum splendorem et suavita-

---

In singulis huius poetae tragoediis quum multa sunt rhetorica arte tractata, tum pleraque, quae in elocutionis habitu et ornatu vel nimia, vel non satis apta rebus personisque reperiuntur, ex oratoriae consuetudinis et artis imitatione vel potius abusu profecta. Talis, ut exemplo utar, Ulyssis est oratio, (Hecub. 299. sq.) ea, quae Hecuba dixerat, persuadendi causa refutantis. Unde Scholiastes ad h. l. οἱ μὲν τῆς Ἑκάβης λόγοι παρασκευῇ ἐοίκασιν οἱ δὲ τοῦ Ὀδυσσέως ἀνασκευῇ. Et in orationibus alternis, Orest. 492. sq. Menelai quidem culpantis et accusantis et Orestis se defendentis, varia sunt, quae chrias rhetoricas et altercationum forensium artificia olent. Plura exempla vid. in Additam. ad Sulzer. Vol. 5. p. 353. etc. Quare et Quintilianus de Euripide, Inst. Or. 10, 1. 67. *Illud quidem nemo inquit, non fateatur necesse est, iis, qui se ad agendum comparant, utiliorem longe Euripidem fore. Namque is et in sermone magis accedit oratorio generi, et sententiis densus, et in iis quae a sapientibus tradita sunt, paene ipsis par, et in dicendo et respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus.* Et Dionysius Hal. Tom. V. ed. Reisk. p. 423. ὁ Εὐριπίδης πολὺς ἐν ταῖς ῥητορικαῖς εἰσαγωγαῖς. Ad idem vitiorum genus notandum illi etiam Aristophanis aculei pertinent, quibus tum alibi tum inprimis in Ranis 970. sqq. Euripidem pungit.

27) Ovidius quidem foro et causis agendis destinatus, in rhetorum disciplina non diu haesit, sed mox ad poesin tractandam, quam unice amabat, se contulit. Ipse hanc studiorum commutationem eleganter describit Trist. Lib. 4, 10. 15. sqq.

tem et numerum adhiberet. Quicquid in oratione temperatum, aut tenue, aut lene, aut breve esset, id historicis vel philosophis aptum, sed indignum oratore iudicabant, cui genus dicendi diffusum, multiplex, varium, vehemens, et nervis aculeisque instructum tribuebant.[28]) Haec una opinio ad scholas traducta, et inculcata discentium animis, omnem moderationem expellere, illosque ostentationi et libidini adsuefacere poterat. Deinde declamationes, quibus iuvenes ad pugnam forensem exercebantur, quum vitio docentium, tum re ipsa et forma quadam sua semper ita compara-

---

Protinus excolimur teneri, curaque parentis
Imus ad insignes urbis ab arte viros.
Frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo;
Fortia verbosi natus ad arma fori.
At mihi iam puero coelestia sacra placebant,
Inque suum furtim Musa trahebat opus.
Saepe pater dixit, studium quid inutile tentas?
Maeonides nullas ipse reliquit opes.
Motus eram dictis; totoque Helicone relicto,
Scribere conabar verba soluta modis.
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam dicere, versus erat.

Seneca Controv. 2, 11. Ovidium ait Latronis Rhetoris, quem maxime admirabatur, sententias in versus suos transtulisse. Sed impatientioris animi et alacrioris ingenii Ovidius erat, quam ut scholae angustias et eloquentiae severitatem ferre potuisset. Itaque idem Seneca ibidem narrat rarissime eum controversias declamasse, quia molesta ei fuisset omnis argumentatio. — Propertius iurisprudentiae deditus, quam tamen et ipse, amore poeseos captus, abiecit, haud dubie multum in rhetorum scholis versatus est. vid. Eleg. Lib. 4, 1. 131. sqq. De ceteris, qui post Virgilium poetae floruere, res nota est. De Claudiano vid. iudicium Gesneri Praefat. ad Claud. p. 8.

28) V. Cic. Orat. 19. de Orat. 1, 16. et 2, 27. fin. Quintilian. 12, 2. 11. sqq.

tae fuerunt, ut, qui illis innutriti essent, a vera orationis simplicitate, gravitate et veritate, ad lusus, figmenta, omnisque generis delicias et luxuriem pertraherentur. Nam et fictis controversiis universa dicendi materies instruebatur, et perversitate magistrorum, qui ad ostentationem ingenii totam declamandi operam referebant,[29]) necessario fiebat, ut non nisi ad speciem, ad fucum et splendorem composita oratio probaretur.[30])

Ex hoc scholarum rhetoricarum fonte ad poetas Latinos inprimis etiam illud artis et doctrinae ostentandae adfectandaeque studium manavit, quod non varia solum luxuriantis eloquutionis genera, sed et ineptias et vitia attulit. Nam partim, ut artem declarent, verbis ludunt, antitheses fingunt, sententias in

---

29) Hanc perversitatem describit Quintil. Or. Inst. 2, 2. 9—14. cf. Petron. Satyr. init. et Auct. Dial. de Oratt. cap. 31.

30) Has eloquentiae corruptelas multi veterum, qui meliori iudicio imbuti erant, querelis suis prosecuti sunt. Petronius Satyr. 1. *Nunc et rerum tumore*, inquit, *et sententiarum vanissimo strepitu, hoc tantum proficiunt, ut quum in forum veniunt, putent se in alium terrarum orbem delatum. Et ideo ego adulescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quae in usu habemus, aut audiunt, aut vident.* Praecipue autem huc pertinent, quae deinde addit: *ne carmen quidem sani coloris enituit, sed omnia quasi eodem cibo pasta non potuerunt usque ad senectutem canescere.* Tironibus inprimis legenda sunt, quae de hoc argumento erudite disputavit Monboddo de Orig. et Progress. Lingu. T. II. Lib. 4, 4. — Seneca Controv. Lib. 4. praef. *Qui declamationem parat, scribit, non ut vincat, sed ut placeat. Omnia itaque lenocinia conquirit: argumentationes, quia molestae sunt, et minimum habent floris, relinquit, sententiis audientes delinire contentus est. Cupit enim se approbare, non causam* etc. Multa similia apud Quintilianum inprimis et Auctorem Dial. de Or. reperiuntur. cf. Cap. 19. et 20.

immensum vel variant, vel acuunt, vel distendunt,[31]) partim, ut doctrinae specimina exhibeant, si quis locus ex vetere historia, mythologia, geographia, physica, vel philosophia inciderit, eum non prius relinquunt, quam omnes lectionis thesauros effuderint? [32]) Quare iisdem illud quoque accidit, quod in omni eloquentia pessimum vitium recte habetur, ut, dum sui maxime, hoc est, suae doctrinae, suae artis, et ingenii, et eloquentiae venditandae potius, quam rei tractandae memores essent, multis in locis, quod deceret, non viderent, adeoque ineptissime dicerent.

---

31) Unde τὸ σοφίζεσθαι, σοφιστικὸς λόγος, σοφίσματα a veteribus commemorantur, ubi dicendi argutias, callida persuadendi artificia, quaesitosque ad fallendum ornatus et fucos significare volunt. Exempla multa dedimus in Technol. rhet. Graec.

32) Exempla declamationum, quibus res ad philosophiam et mores pertinentes luxuriosissima eloquentia pertractarunt, Claudianus imprimis et Seneca habet. In his multa inesse, praeclare cogitata, et eleganter acuteque dicta, quis neget? Sed hi poetae, si quid optime instituerunt, quia non possunt iusto in loco desinere, et, ut Aristotelis verbis utar, ἅπαντα ἐπὶ τὸ μᾶλλον καὶ σφοδρότερον ἁμαρτάνουσι, plerumque male absolvunt. Talis est apud Claudian. VIII, 214. sq. subtilissima Theodosii ad Honorium oratio de virtutibus regalibus persequendis, vitiisque fugiendis. Inseritur disputatio Platonica de animis in corpus tanquam carcerem detrusis, de triplici anima, de affectuum ortu et sede; deinde institutio politica et militaris sequitur. Et haec Honorio dicuntur vix decimum annum nato, ut e vers. 372. intelligitur. Alio loco XVII, 65. quum Mallii Theodori studium literarum laudasset, iam summarium aliquod historiae philosophicae adnectit, terminatum quidem illis, quae de hoc universo, de elementis, sideribus, meteoris et phaenomenis naturae dudum a Lucretio et Ovidio praecepta fuerant. Incesserat poetam cupiditas tentandi, quid in his rebus oratione ornandis humeri valerent. Itaque locum abso-

Seneca in tragoediis, quas non suorum hominum, vel theatri ornandi, sed sua potius causa, hoc est, ut sui ingenii, vel phantasiae vel doctrinae periculum faceret, scripsisse mihi videtur,[33]) illas doctrinae copias saepenumero in iis locis exposuit, ubi talis expositio minus apta erat, sed magis ad scribentis libidinem et arbitrium, quam ad personae tragicae indolem atque animum pertinebat. Legant, qui id addubitant, initium Hippolyti, in quo Hippolytus ministris suis et comitibus munera significat et dispensat. Peream, ni putabunt prologum ideo scriptum esse a Seneca, ut posteritati declararet, se in geographia et mythologia vetere non rudem fuisse. Nonne a natura omniumque hominum exemplis alienissimum est, in summo affectu et paene furore, verbis ludere, et sententiarum acumina spargere, quae neque oriri ex illo affectu, neque hunc furorem adiuvare possunt, sed solam ingenii lasciviam arguunt? At id profecto Senecae Medea agit, quum haec exclamat vers. 29.

Spectat hoc nostri sator,
Sol generis? et spectatur? et curru insidens
Per solita puri spatia decurrit poli?
Non redit in ortus, et remetitur diem?

Quis in eadem Medea, cum acerbissima indignatione se in exilium expulsam querente, doctam illam

---

num, et qui omnem laudandi veluti calorem extinguit, pertractare, quam cupiditatis illius expletae iucundo pruritu carere maluit. — Seneca in Tragoediis locos communes, sententias, et γνωμας, Euripidem inepte imitatus, plerumque usque ad nauseam inculcat. cf. Agamemn. Act. 2, 144. sq. De Lucani ineptiis ethicis vid. Homii Critic. Cap. 22, p. 400. Omnino autem huc pertinent, quae de sententiarum illarum densitate acute notavit Quintil. 8. 5. 26. sq.

33) Vid. Iacobsii Dissert. de Seneca in Additam. ad Sulzer. Theor. Vol. 4. part. 2. p. 338. et 348.

loquacitatem expectet aut ferat, qua paterni imperii ambitum describit vers. 211 — 16.:

Quodcunque placidis flexibus Phasis rigat,
Pontusque quicquid Scythicus a tergo videt,
Palustribus qua maria dulcescunt aquis,
Armata peltis quicquid exercet cohors
Inclusa ripis vidua Thermodontiis:
Hoc omne noster genitor imperio regit.[34])

Ovidium optime, quid deceret, cognitum habuisse, quum multis ex locis intelligitur, tum ex Amat. Art. Lib. 1, 461 sq. ubi, quid inter eloquentiam amatoris, qua eum in literis ad amicam dandis uti oporteat, et eloquentiam oratoriam et forensem intersit, docte praecipit:

Quam populus, iudexque gravis, lectusque senatus,
Tam dabit eloquio victa puella manus.
Sed lateant vires, nec sis in fronte disertus.
Effugiant cerae verba molesta tuae.
Quis, nisi mentis inops, tenerae declamet amicae?
Saepe valens odii litera causa fuit.
Sit tibi credibilis sermo, consuetaque verba
Blanda tamen, praesens ut videare loqui.

Cur igitur hic ipse Ovidius, cur alii, qui non minus artem dicendi callerent, non ubivis apte rebus, locis, affectibus locuti sunt? Nempe in omnibus talibus locis vel imitandi ambitio, vel acuminis et doctrinae exponendae cupiditas fecit, ut ab illo decoro, et notis legibus aberrarent. Metamorphos. 13, 384.

---

34) Plura exempla Senecae attulit et de hoc omni argumento docte et subtiliter iudicavit Iacobs in Addit. ad Sulzeri Lex. P. 4. p. 382. vid. inprimis Thyest. Act. 3. 498. Act. 4. 642. Oedip. Act. 2. 210.

Ajax inducitur amara adversus Ulyssem victorem invidia affectus, et eo ira ac desperatione perductus, ut sua se manu interficere, quam Ulyssi victori superstes esse, malit. In hoc loco antitheses et argutiae et quidam lusus orationis aliquid ironiae produnt, animumque amaris sensibus plenum ostendunt. Invidia enim ira et contumeliae sensu mixta argutam saepe et bilosam orationem efficit. Ita minus fortasse displiceat locus Claudiani XV, 161 sq. ubi Africa introducitur flagitia Gildonis irato animo recensens. Ludit poeta antithetis, at quae bilem excitatam declarant.[35] Sed cum illis locis comparentur ea, quae Ovidius Metam. l. c. vers. 494 sq. Hecubam loquentem fingit. De matre agitur, summo cum affectu doloris, et *laniato pectore* filiae mortem lugente. In tali oratione profecto ferri non possunt lusus, quibus poeta indulsit, verborum et sententiarum. Talia non solent in tali affectu dici vel cogitari. Copiam orationis et loquacitatem, qua utitur Hecuba, fero magis. Nam ea lugentium tanquam solatii pars est, ut omnes sensus expromere, et veluti exonerare animum possint. Sed sententiarum cincinnos fingere, et verborum antitheses affectare, animi graviter moerentis nec officium nec studium esse solet.[36] Locus sequens vers. 536 sq. ubi Polydori cadavere spectato stupor Hecubae paullatim in iram et furorem adversus interfectorem

---

35) Ad similem locum Claud. XVIII, 274. Gesnerus, alliteratio, inquit, in *telas non tela*, hic non reprehendenda, quia facit ad augendum contemtum ex illusione.

36) Haec est *περισσοτεχνία*, et *κακοτεχνία*, cui προσέχων ὁ ἀκροάτης ἔξω γίνεται θυμοῦ παντός. Demetr. de Eloqu. §. 247. Unde et his locis ψυχρότης recte tribuitur. Dionys. Hal. de Isocr. Cap. 13. σχηματίζει φορτικῶς, καὶ τὰ πολλὰ γίνεται ψυχρὸς, ἢ τῷ πόῤῥωθεν λαμβάνειν, ἢ τῷ μὴ πρέποντα εἶναι τὰ σχήματα τοῖς πράγμασιν, ἢ διὰ τὸ μὴ κρατεῖν τοῦ μετρίου. cf. Home Critic. P. I. p. 636.

transit, praeclare tractatus est, et lectores cum ingenio poetae luxuriante quodammodo in gratiam reducit. Nihil autem potest esse magis ludicrum et luxurians, quam quae Thisbe mortem Pyrami gravissime lugens dicit Metam. 4, 148 — 54.

Tua te manus, inquit, amorque
Perdidit infelix. Est et mihi fortis in unum
Hoc manus: est et amor; dabit hic in vulnera vires.
Persequar extinctum: letique miserrima dicar
Causa comesque tui: quique a me morte revelli
Heu! sola poteras, poteris nec morte revelli.

Incidimus, haec legentes, in molestam cogitationem, poetam nunc Thisbes suae oblitum, in acumine et ingenio suo sibi nimium placuisse. Quae enim femina, tali affectu prope exanimata, ita ludat verbis et sententiis? — Neque minus contra naturam est, ut quis de se ipso cum formidine et sollicitudine aliquid narrans comparationibus narrationem distinguat. Sed ita videmus Arethusam narrare apud Ovid. Metam. 5, 626.:

Quid mihi tunc animi miserae fuit? anne quod agnae est,
Si qua lupos audit circum stabula alta frementes?
Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullosque audet dare corpore motus?

Plena sunt similium exemplorum quum Ovidii, tum ceterorum, Senecae, Claudiani, Valerii Flacci, Statii, et seriorum poetarum carmina. Sed consulto nos nunc ab illis cumulandis abstinemus, ne, quando ad varias luxuriei poeticae partes recensendas venerimus, inopes reperiamur. Nam iste tanquam furor rhetoricus, qui in his poetis saepe locum poetici occupat, in omnibus ornamentorum generibus dominatur.

Hanc artis et ingenii acuminisque ostentandi cupiditatem, quam ex disciplina rhetorica ortam dixi, illi poetae mihi videntur, argumentorum etiam dele-

ctu declarasse. Nam ut Graeci Latinique rhetores declamandi materias ejusmodi maxime arripiebant, quibus pertractandis omnes opes ingenii, omniaque eloquentiae artificia facillime exprimere possent;[37]) ita illos poetas videmus magna et atrocia bella, pugnas nobiles, et, si quid in historia vel in natura vel in hominum vita terribile aut admirabile occurreret, multo frequentius tractasse, quam ceteras res, quarum tractatio, quum nativum ingenii cultum, temperatam phantasiae vim, teneros affectus, et ad quandam elegantiam iudicii comparatos sensus, denique verecundos castosque orationis colores desideret, artis lenocinia respuit. Quaesitum nuper est a Wernsdorfio (in Praefat. ad Calpurnii Bucol. p. VI.) cur Virgilius habuerit quidem, qui Aeneida tentare, quamvis impari successu, vellent, habuerit etiam, qui Georgica imitarentur, sed qui tenuissima eius poemata, Bucolica, leviore opera exprimere cuperet, omnino neminem invenerit? *Fortasse*, inquit, *incusandus est fastus et luxus Romanus, qui cum summa quaeque humanae fortunae fastigia, triumphos, ludorum publicorum apparatum, tectorum splendorem, et congestas in urbem orbis terrarum opes videre consuevisset, et nihil nisi magnificum et deliciarum plenum amaret, fastidiebat tenue genus carminum, quod simplicem agrestium vitam et humiles casas pingere videretur.* Ego ut hanc causam non plane repudiem, tamen ei nunc non multum tribuendum esse censeo. Verior causa mihi esse videtur, imitandi difficultas in ipso argumento exposita. Qui argumentum epicum, grave, tragicum, tractare instituebat, magnum campum habebat, quo posset spiritum poeticum, copiam di-

37) V. Cic. Offic. 1, 18. Brut. 11. Quintil. 2, 10. Iuvenal. Sat. 7, 150. Auct. Dial. de Or. 35. et Cresoll. Theatr. Rhett. 3, 7. sqq.

cendi, novos colores, mutatas imagines, fictiones mythologicas, et ceteras artes declamatorias explicare atque expromere. Sed tenue et tenerum illud bucolici carminis filum has artes non ferebat. Non doctrina antiquitatis, non lusus ingenii, non sententiarum argutiae, non metaphorarum aenigmata, vel descriptionum ambages, vel hyperbolarum monstra, vel varii mythorum flexus adhiberi poterant. Quae in Bucolicis regnat natura, simplex est, et verecunda, et casta propemodum virgo, quae fucum fictosque ornatus aversatur. Itaque illi poetae, hoc genere relicto, ea potius argumenta amplexi sunt, in quibus excusatius ludere, et liberius bacchari possent.

Eidem rhetoricandi studio et consuetudini tribuendum puto, quod nonnulli vel in iis argumentis poetica veste amiciendis elaborarunt, quae, quum per se cultum poeticum non valde adiuvarent, ut carminum speciem acciperent, omni modo ornari debebant. Qua quidem re factum est, ut non luxuriei solum, sed et migrandae virtutis illius, quae in apte dicendo et in decoro servando cernitur, periculum incurrerent.[38]) Tale exemplum Gratius Faliscus in Cynegeticis praebuit, qui, quamvis non valde pronus ad libidinem ornandi et comendi, sed in universum satis severus et directus et pressus, tamen illud ineptiarum vitium non potuit effugere. Itaque vers. 308 sq. ut doceat, quantopere cibaria sumtuosa et delicata *catulis* (nam de his unice sermo est) noceant, quid facit? Excurrit in locum communem de luxu humano generi perni-

38) Similes oratoribus illis, quos reprehendit Quintil. Inst. Or. 12, 9. 8. *Quidam*, inquit, *etiam si forte susceperunt negotia paullo ad dicendum tenuiora, extrinsecus adductis ea rebus circumliniunt, ac, si defecerint alia, conviciis implent vacua causarum; si contingit, veris; si minus, fictis, modo sit materia ingenii, mereaturque clamorem, dum dicitur.*

cioso, laudatque exempla frugalitatis in Cyro, in Camillis, quorum virtute Romae imperium comparatum fuerit. Quid, quaeso, est inepte et sine iudicio excurrere et comparare, si hoc non est? At poeta, dum locum istum ornatus varii capacem mente concipiebat, hac quadam concipiendi laetitia captus, quid in eius usu ineptum esset, non videbat. Atque haec eadem causa, quam supra commemoravimus, illud quoque exordii portentum quoddam et monstrum peperit, quod Nemesius carmini suo Cynegetico praefixit. Quantas ille tragoedias canit! Quot imagines summis summorum poetarum locis natas corradit et congerit, ut in loco ineptissimo consarcinare possit! Non enim satis fuit huic poetae luxurioso et inepto, in Musis invocandis luxuriari, sed etiam versus multos perdidit, ut lectoribus diceret, *quid nunc vellet non canere.*[39])

---

39) Non vereor, ne quis hic mihi Virgilii Georgica serio obiiciat. Versabatur quidem poeta in argumento, quod, si cum Aeneide compares, exile atque humile existimandum sit. Itaque illud a Virgilio ita tractatum videmus, ut omnes paene colores poeticos adhiberet, ut omnes eloquentiae et doctrinae opes exhauriret, quibus illa argumenti humilitas nobilitari posset. Quamquam quaeri possit, annon res illae, si verum iis pretium statuamus, neque ad levium opinionum et perversissimi fastidii normam eas aestimemus, per se ita nobiles sint, ut ingenium poeticum in eas facillime incidat, inque iis lubentissime elaboret. Haec certe veterum de omni agricolatione sententia fuit, ut Columella rem rusticam sine dubitatione proximam et quasi consanguineam sapientiae iudicaverit. Quicquid sit, Virgilius hoc totum argumentum vere nobilitavit, et quum, ut Heynii auctoritate et iudicio utar, a tumore, a frigore, aut inepto aliquo studio, ac nimia sedulitate liberum opus praestiterit, satis declaravit, poetam ad id, non rhetorem accessisse. Unde factum puto, ut, quum ea, quae in omni re rustica saluberrima et maxime mirabilia sunt, agrorum, vinetorum, equorum iumentorumque, et apium culturam pertractandam car-

In variis autem luxuriei generibus, quae poetae latini ex disciplina et arte rhetorica traxisse existimandi sunt, inprimis commemorandum videtur illud, quod in laudandi, adulandi blandiendique libidine et furore quodam cernitur. Nullus rhetorum Graecorum Latinorumque illustrior et celebrior campus fuit eo, qui laudandi exercitationes haberet. Nam quum totum illud dicendi genus, quod *ἐπιδεικτικόν*, *πανηγυρικόν*, aut *ἐγκωμιαστικὸν* a Graecis, demonstrativum et laudativum a Latinis appellatur, maxime amplificando et or-

---

mine sumsisset, de hortorum cura argumentum, exile illud et leve, neque cum illis agricolationis partibus vel utilitate vel gravitate comparandum, aliis tractandum relinqueret. Locus est Georg. 4, 116. sqq. et 147.

Atque equidem, extremo ni iam sub fine laborum
Vela traham, et terris festinem advertere proram;
Forsitan et pingues hortos quae cura colendi
Ornaret, canerem — — —
Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis
Praetereo, atque aliis post me memoranda relinquo.

Fallor, aut haec poetae sunt, argumentum non satis dignum ingenio suo detrectantis. Sed non defecit alter. Columella enim Libr. 10. de cultu hortorum versibus exposuit. Quid is de tota re senserit, qua spe, qua mente et fiducia se ad hunc laborem paraverit, cognoscere operae pretium erit, ut non poetam, sed declamatorem accessisse intelligamus. *Cum sequens*, ait in Praefatione, *et praecipue nostra aetas dapibus libidinosis pretia constituerit, coenaeque non naturalibus desideriis, sed censibus aestimentur, plebeia paupertas submota a pretiosioribus cibis ad vulgares compellitur. Quare cultus hortorum, quoniam et fructus magis in usu est, diligentius nobis quam tradiderunt maiores, praecipiendus est: isque sicut institueram prosa oratione prioribus subnecteretur exordiis, nisi propositum meum expugnasset frequens postulatio tua, quae pervicit, ut poeticis numeris explerem Georgici carminis omissas partes, quas tamen et ipse Virgilius significaverat, posteris se memorandas relinquere. Neque enim aliter istud nobis fuerat audendum, quam ex voluntate va-*

nando contineretur,[40]) non alia poterat aptior materies esse, in qua tractanda eloquentiae suae vires et artificia et ornamenta exponerent. Itaque vel coniectura assequi licet, poetas illos rhetoricis praeceptis artibusque imbutos, non praetermisisse hanc opportunitatem, qua possent duas res maximas simul consequi, ut et apud homines potentes et magnos gratiosi essent, et ingenii, acuminis ornatusque poetici documenta ederent. Sed tali coniectura ne opus quidem est, ubi exemplis abundamus. Ex quo enim tempore apud Latinos corruptae luxuriosaeque eloquentiae vestigia in scriptoribus ac poetis apparuerunt, non in Panegyricis solum utrique,[41]) sed poetae

---

tis maxime venerandi: cuius quasi numine instigante adgressi sumus tenuem admodum, et pene viduatam corpore materiam, quae tam exilis est, ut in consummatione quidem totius operis annumerari velut particula possit laboris nostri, per se vero et quasi suis finibus terminata nullo modo speciose confici. Nam etsi multa sunt eius quasi membra, de quibus aliquid possumus effari, tamen eadem tam exigua sunt, ut, quod aiunt Graeci, ex incomprehensibili parvitate arenae funis effici non possit.

40) V. Quintil. 2, 10. p. 85. et 7, 7. p. 146. ed. Gesn. Cassiodorus Art. Rhet. p. 336. Pith. *Sunt*, inquit, *qui genus demonstrativum in scholis sic relegant, ut oratori nec faciant copiam alterius partis, aut maiorem aut frequentiorem, quam iudicialis. Qua quidem in re quid spectent, video. Nam eam demum partem multo speciosissimam se tantum iudicant dignam, in qua multum sit et ostentationis et utilitatis; quum interim, ut ad hanc forensem lucem perveniatur, in demonstrativis fere ludamus, ideoque fit, ut in scholis, ubi, verarum actionum progymnasmata tractantur, nullus locus tractetur aut felicius, aut saepius, quam laudis vituperationisque, qui est demonstrativi generis proprius.* cf. Cresoll. Theatr. Rhet. 3, 7. 8. sqq.

41) Hos Panegyricos: non Plinii solum, qui ceteris doctior et elegantior est, sed et reliquorum, ut Cl. Mamertini, Eumenii, etc. qui accurate legat, facile intelliget, quic-

passim in carminibus laudandi vel officio vel aucupio ita abusi sunt, ut summam et sentiendi et eloquendi luxuriem declararent. Qua quidem re non inepti modo iudicii culpam contraxerunt, sed saepe exaggerando eo progressi sunt, ut virtus, quam laudare cupiebant, contrarii vitii formam indueret. Hoc luxuriei genere Claudianus ceteros omnes facile superavit, qui et plurima eius argumenti poemata conscripsit. In Carm. VII, 73. fortitudinem Honorii et indolem bellicosam laudaturus, ea dicit, quae magis immanitatem bestiarum, quam virtutem bellicam probaverint:

Quae tibi tunc Martis rabies, quantusque sequendi
Ardor erat? quanto flagrabant pectora voto,
Optatas audire tubas, campique cruenta
Tempestate frui, truncisque immergere plantas?

Opprobrium iecit, quum laudare vellet, nulla alia de causa, quam quod in laudando modum excedebat, colores poeticos cumulans inepto in loco. *Descriptio ipsa,* Gesnerus inquit ad hl. *picturam habet pulcram, quia horribilem, sed ἦθος laborat.* — Mox quam insana exaggeratio est, qua imperatorem laudat vers. 106 — 10.

Quamvis emeritum peteret natura reverti
Numen, et auratas astrorum panderet arces
Nutaretque oneri venturo conscius Atlas,
Distulit Augustus cupido se credere coelo,
Dum tibi pacatum praesenti traderet orbem.

---

quid in iis insit bonae frugis ex ingenio, acumine, doctrina, id omne adulandi consilio artificioque, tanquam fundamento aliquo, niti. Blanditias istas si orationi exemeris, nihil restabit, quod valde placeat: nota omnia et vulgaria erunt.

quae etiam placuit Lucano, Neronis adsentatori, Lib. I, 56.

Aetheris immensi partem si presseris unam,
Sentiet axis onus: librati pondera coeli
Orbe tene medio — —

e cuius imitatione vel aemulatione monstrum illud adulationis ortum videtur. Huc etiam pertinet omne phantasma siderum Theodosio in coelum relato locum offerentium a vers. 163. sq. in quo genere adulationis inprimis frequenter ludit Carm. VIII. de 4. Consul. Honorii. In hoc toto carmine mire luxuriat Theodosii et Honorii laudibus cumulandis, ut, si quid tale semel phantasia complexus est, non possit id relinquere, donec verbis universum exhauserit. Scite Gesnerus in aliquo loco huius carminis adnotat, *Claudiani vitium et ingenium esse, non posse desinere.* Quid cogitaverit Barthius, qui principem locum huic carmini adsignavit, immensamque ei explicando, prae ceteris, operam impendit, equidem non intelligo. Ego hoc opus ingenii luxuriantis monstrum existimo. Legat mihi aliquis locum inde a vers. 518. sq. in quo omnis habitus et dexteritas militaris Honorii describitur. Quanta ibi blanditiarum congeries! quanta argutiarum omnis generis redundantia! — In laudatione Stilichonis, quam in universum splendidissimis ingenii et eloquentiae luminibus distinxit, saepe tamen, praesertim in rebus gestis exaggerandis, phantasiam effusis veluti habenis ruere passus est, ut Lib. I, 131. sq. et 170. sq. — In laudando Serenae genere et patria Claudianum modum excessisse, singuli paene versus declarant. Quam ridicule, ut uno exemplo utar, notum illud phantasma poeticum, quo Solis equi Oceano occidentali circa Hispaniam mergi dicuntur, in ipsius Hispaniae, Serenae patriae, laudem convertit vers. 51 — 53.

Quid dignum memorare tuis, Hispania, terris
Vox humana valet? primo levat aequore Solem
India; tu fessos exacta luce iugales
Proluis, inque tuo respirant sidera fluctu.

Sed liber scribendus esset, si omnes Claudiani ineptias ex illo genere commemorare vellem. Pauca eiusdem luxuriei exempla e ceteris delibemus. Nihil potest esse argutius, ne dicam puerilius, blanditiis istis, quibus Ovidius Fast. 2, 127 — 45. Caesarem ita laudat, ut cum Romulo comparet. In toto loco antithesibus et acuminibus ludit. Verum is tamen semper cum ingenio ludit, et ineptiae eius habent aliquid, quo delectamur, quod amamus; quamvis in alio loco, Metam. 15, 741 — 61. ingenio suo et laudandi adulandique libertati ita indulsit, ut minus excusandus videatur. Sed comparemus Statium, ut, quid sit sine iudicio ludere, intelligamus. Is Sylv. I, 1. de Domitiano:

— *Tua sidereas imitantia flammas*
Lumina, contemto mallet Rhodos aspera Phoebo.

Ipse Barthius in hoc loco Papiniani incogitantiam notat. *Nolens*, inquit, *stultissimos Rhodios facit. Quid enim vecordius, aut absurdius, quam contemto Apolline, qui est Sol, malle non sidereas saltem flammas, sed eas demum imitantia lumina.*

Cuncti Romae parasiti si ad laudes coenae Domitianae ingenia contulissent, Statii laudantis (Sylv. 4, 2.) luxuriem non superassent. Ecce poetam beatae huic mensae accumbentem!

— — *mediis videor discumbere in astris*
Cum Ioue, et Iliaca porrectum sumere dextra
Immortale merum. Steriles transmisimus annos:
Haec aevi mihi prima dies, haec limina vitae.
Te ego, regnator terrarum, orbisque subacti
Magne parens, te spes hominum, te cura Deorum,

Cerno iacens? datur haec iuxta, datur ora tueri
Vina inter, mensasque, et non assurgere fas est?

Iam regiae Principis imaginem intueamur:

Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis,
Sed quantae Superos, coelumque, Atlante remisso,
Sustentare queant. Stupet hoc vicina Tonantis
Regia; te pari laetantur sede locatum
Numina.

Et tamen haec ipsa regia audaciorem architectum Martialem nacta est Epigram. Lib. 8, 36.

Septenos pariter credas assurgere montes,
Thessalicum brevior Pelion Ossa tulit.
Aethera sic intrat, nitidis ut conditus astris
Inferiore tonet nube serenus apex;
Et prius arcano satietur lumine Phoebi,
Nascentis Circe quam videt ora patris.
Haec, Auguste, tamen, quae vertice sidera pulsat,
Par domo est coelo, sed minor est domino.

Addo Ausonii ad Theodosium Praefat. vers. 11.

Non habeo ingenium: Caesar sed iussit; habebo,
Cur me posse negem, posse quod ille putat?

Haec talia si examinaveris, quid, praeter frigidam blanditiam, relinquetur? — Totum carmen ad Messalam, quod vulgo Tibulli elegiis accensetur, poetae est, in Messalae laudibus vel doctrinam poeticam ostentantis, vel omnino laudandi artem ad scholae rhetoricae praecepta exercentis. Itaque totum, iudice etiam Heynio, ieiunum, sterile, parum ingeniosum est et saepe puerile, ut mirandum sit, quomodo doctissimi interpretes in Tibulli, limatissimi, ingeniosissimi, et elegantissimi poetae foetibus id numerandum reponendumque putaverint.

Caeterum si quod adulandi vel blandiendi studium Virgilius etiam in Augusti laudibus, quibus aliquoties carmina sua distinxit, (ut Georg. 1, 24 sq. 2, 16 sq. Aeneid. 6, 790 sq.) declaraverit, non tamen id ex eodem fonte derivare ausim. Quae Anchisem inducit apud inferos de Augusto eiusque gente praedicantem, tam gravia laudandi argumenta sunt, et tam splendide verbis sententiisque elata, ut poetam Principis amore et reverentia plenum facilius, quam rhetorem ingenio suo indulgentem agnoscas. Quid? quod poetae cum Principe eam scimus coniunctionem fuisse, ut iniquum videatur, illius ingenio tribuere, quod ad consuetudinem vel ad officium pertineret. In nobili apotheosi illa, quam in Georgicorum initio posuit, pleniore ore laudat, et ea dicit, quae, ex nostris sensibus moribusque aestimata, nimiae adulationis culpam et ingenii aliquam ostentationem vix effugiant. Sed si tempora recte distinguamus, et illius in laudando gravitatem cum seriorum poetarum humilitate et sordibus argutiisque contendamus, lubentius Virgilium a scholastico illo laudandi adulandique studio vindicabimus. Quare, quod multi poetae post Virgilium, etiam recentiores, inprimis Italici, ut Ariostus, Tassus, et similes, illa Virgilii auctoritate et exemplo ad adulandi libidinem abusi sunt, non illius, sed imitatorum vitio tribuendum erit, neque illud certe quisquam probaverit, quod aliquem virum doctum statuere memini, primum fuisse Virgilium, qui ad illius generis blanditias ingenii inventa adhibuerit.

Ad eandem normam Horatium quoque iudicabimus, qui quum omni fere luxuriei genere liberum se praestitit, tum maxime ab ostentatione et levitate rhetorica abhorruisse videtur.[42])

42) Certe, si quas Maecenati vel Augusto subinde laudes dixit, id pro sua cum utroque familiaritate vel satis mo-

§. 5.

Causarum luxuriei poeticae externarum continuatio.

Sed nulla res ad luxuriem illam, de qua loquimur, plus valuit, quam *imitatio*. In hac enim non modo ea insunt, quae luxuriosam eloquentiam necessario efficiunt, sed facile etiam demonstrari potest, illis temporibus, quae Augusteam aetatem proxime secuta sunt, omnem fere artem facultatemque poeticam ex imitandi studio et calliditate quadam pependisse. Quodsi testimonii auctoritate res conficienda sit, Quintilianum testem producere possumus, qui, quum de corrupta eloquentia sui temporis iudicat, de poetis etiam sententiam dicere existimari debet: nam utriusque facultatis, oratoriae et poeticae, quum antea, tum hac maxime aetate, non admodum diversa ratio fuit. Ille ergo Lib. 10, 2. in eo loco, qui de omni imitatione praestantissima praecepta habet, *si omnia percenseas*, inquit, *nulla sit ars, qualis inventa est, nec intra initium stetit: nisi forte nostra potissimum damnamus huius infelicitatis, ut nunc demum nihil cre-*

---

derate fecit, vel ita, ut laudandi institutum magis illorum vanitati, quam huius assentationi tribuendum videatur. Seculare quidem carmen ipsius Augusti iussu ab Horatio compositum esse, Suetonius in vita Horatii tradit. cf. eiusd. Vit. Augusti cap. 89. De hoc omni argumento, quantum quidem ad Virgilium et Horatium pertinet, bene iudicasse vidi aliquem virum doctum anonymum, qui de Tasso dissert. scripsit in Nov. Bibl. bon. artium Lips. Tom. 41. p. 175. Woodium de ingen. Homeri p. 229. sqq. et nuperrime Hüblerum Gymnas. Friberg. Conrect. in libello perutili, cuius hanc inscriptionem fecit: *der verkannte Werth der classischen Schriftsteller, in Rücksicht auf Bildung des Geistes*, pag. 128. sqq. quem libellum, ego quidem auctor sim, ut omnes literarum studiosi, in omnibus scholis, prius quam ad auctores veteres legendos accedant, penitus cognoscant et ediscant.

scat. Nihil enim crescit sola imitatione. Sed luculentius illud videbimus, si, qualis apud Romanos omnis res poetica fuerit, consideraverimus.

Quemadmodum omnis doctrina, omniaque literarum genera apud Graecos diu ante nata atque exculta fuerunt, quam ad Romanos transirent: ita hi poeticam quoque serius acceperunt. [43]) Quicquid fingi potest earum rerum, quibus poesis instruitur et ornatur, felicissimis Graecorum ingeniis inventum et constitutum, totus mythorum phantasmatumque poeticorum veluti orbis conclusus, omnia eloquentiae poeticae praesidia collecta, universaeque artificiorum et ornamentorum copiae exhaustae erant, quum eodem studio Romanorum ingenia incalescerent. Itaque, si excipias ea quae imitabilia non sunt, vel gentis non tam ad mansuetiores literas quam ad bella natae propria esse debebant, omnis illorum ars poetica Graecorum imitatione valuit; [44]) cuius ope fieri etiam potuit, ut illa intra duorum seculorum intervallum, a parvis initiis in Livio Andronico, Naevio, Ennio, factis, hoc est, a rudi et incondita simplicitate escenderet ad summam elegantiam et virtutem illam, quae in Horatio

---

43) Vid. Cic. Tusc. Qu. 1, 1. et Horat. Epist. 2, 1. 161.

44) Unam Satyram ab Ennio Lucilioque inchoatam et absolutam ab Horatio, germanum Romani ingenii foetum fuisse, tum veterum tum recentiorum iudiciis et argumentis ita demonstratum est, ut vix dubitari possit. Horatius Sat. 1, 10. 66. Ennium rudis et *Graecis intacti* carminis auctorem appellat. Quintilianus Inst. 10, 1. *Satira tota nostra est*, inquit, *in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius.* cf. Diomed. Gram. Lib. 3. p. 482. Putsch. Casaubon. de Satyr. Gr. poesi et Rom. Satira Lib. 2, 2. De ceteris quae ad hanc quaestionem pertinent, lectu dignissima sunt, quae Manso V. C. disseruit in Additam. ad Sulzer. Theor. Vol. 4. part. 2. pag. 410. sq. — In ipsis poetis unus Tibullus a Graecorum

Virgilioque enituit.[45]) Enimvero tantum aberat, ut hi poetae, et si quos eorum similes haec aetas tulit, tanquam servum imitatorum pecus, iis contenti essent, quae a Graecis acceperant, ut potius, propria ingenii vi et virtute, aut multa ab illis omissa invenirent, aut accepta meliora facerent, expolirent, nobilitarent. Quum enim, ut iam Quintilianus acutissime vidit, omnis artis magna pars imitatione contineatur, quia et honestum et ad perfectionem artis necessarium est, ut bonis similes esse, et quae ab aliis bene inventa sint, sequi velimus: illi primi Romanorum poetarum, quid esset liberaliter et eleganter et cum iudicio imitari, perfectissimis carminibus declararunt.[46])

imitatione se abstinuisse videtur, non de industria, vel fastidio quodam, sed quod ita verecundo et tranquillo ingenio erat, ut nunquam a se ipso discederet, et quod res, quas tractaret, ita ex animo suo hauriebat, ut ceteros fontes non requireret. Itaque vere Scaliger Poet. 6, 7. de Tibullo, *Uniformis ille paene totus est*, inquit, *vixque decedens a se ipso, eodem paene gyro concluditur. Audis enim casas, focos, rura, nemora, praela, spicas, sacra tum saepe, tum multum.* Et Hadr. Turnebus Lib. 14. Adversar. cap. 19. *Tibullus ille politus et suavis poeta et quidam Phoebeus olor, in quo sincerus esse videtur et ingenuus Latini sermonis sapor, nullo peregrino vitiatus succo.* Quare et recte nuper a viro docto aliquo reprehensus est Strombecius, qui Tibulli Elegias germanice vertit, quod illum totum a Graecis pependisse iudicaverat.

45) Omnem rei poeticae Romanae historiam docte et eleganter traditam qui requirat, adeat Additam. ad Sulzeri Theor. Tom. 1. p. 1. inprimis p. 16. sqq.

46) Inprimis Horatius, quum Graecis multum deberet, tamen ita versatus est in imitatione, ut raro aperta eius vestigia cernantur. Huius rei duas causas esse existimo. Primum eo ingenio erat, ut eum neque infirmitatis suae sensus, nec vanitas, nec alia quaevis inhonestior ratio ad Graecorum scrinia compilanda impellere posset. Ipse, quid rectum et pulcrum et sanum esset, acute videbat.

Sed post illos arti poeticae idem, quod post Ciceronis aetatem eloquentiae accidit. *In deterius* (Senecae verba sunt in Controvers. I. praefat.) *quotidie data res est, sive luxu temporum, sive quod, quum praemium pulcherrimae rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia, aut inania, multo honore quaestuque vigentia, sive fato quodam, cuius perpetua in omnibus rebus lex est, ut ad summa perducta, rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderant, relabantur.* Illi poetae non optima solum quaeque e Graecis praeripuerant, sed et ipsi propria praestantia digni existimabantur, ad quorum imitationem se alii compararent. Quamobrem, qui illos sequebantur, etsi nec ingenio ad inveniendum,

---

Sed Graecorum artibus literisque eruditus et penitus tinctus, quicquid ab iis divine inventum aut eleganter dictum intellexisset, ita in usum suum convertit, ut ipse potius Graecus factus, quam Graecos imitatus videretur, ita adhibuit, refinxit, tractavit, ut saepe incertum sit, meliusne inventum a Graecis, an ab illo tractatum fuerit. Graecarum virtutum *non solum cutem*, ut Quintiliani verbis utar, *effinxit, sed introspectis penitus virtutibus vim dicendi et inventionis assecutus est.* vid. Wieland. ad Horat. Epist. Part. I. p. 295. — Deinde in ipsis poeseos generibus, quae Horatius praecipue tractavit, mihi quidem inesse aliquid videtur, quod ad imitandi studium et curam non valde impellat, vel saltem verecundam reddere imitationem possit. Qui Odam aut Elegiam aut Satyram mente conceperunt, ita mihi videntur suas res agere, ita penitus in suum animum descendere, suisque sensibus occupati esse, ut, nisi forte ingenio ipsi minus valeant, aut libenter ingenio indulgeant, raro sui obliviscantur, raro extrinsecus aliorum artem vel doctrinam vel ornatum circumspiciant. Sic Ovidius nullibi minus Graecae doctrinae vel acuminis subsidia expetiit, quam in Libris Amorum, quibus praecipue suos amores, suos sensus, suos dolores exposuit. vid. quae de ea re disputavit Manso in Addit. ad Sulz. Vol. 3. part. 2. p. 336. — Diversa

Virgilioque enituit.[45]) Enimvero tantum aberat, ut hi poetae, et si quos eorum similes haec aetas tulit, tanquam servum imitatorum pecus, iis contenti essent, quae a Graecis acceperant, ut potius, propria ingenii vi et virtute, aut multa ab illis omissa invenirent, aut accepta meliora facerent, expolirent, nobilitarent. Quum enim, ut iam Quintilianus acutissime vidit, omnis artis magna pars imitatione contineatur, quia et honestum et ad perfectionem artis necessarium est, ut bonis similes esse, et quae ab aliis bene inventa sint, sequi velimus: illi primi Romanorum poetarum, quid esset liberaliter et eleganter et cum iudicio imitari, perfectissimis carminibus declararunt.[46])

imitatione se abstinuisse videtur, non de industria, vel fastidio quodam, sed quod ita verecundo et tranquillo ingenio erat, ut nunquam a se ipso discederet, et quod res, quas tractaret, ita ex animo suo hauriebat, ut ceteros fontes non requireret. Itaque vere Scaliger Poet. 6, 7. de Tibullo, *Uniformis ille paene totus est*, inquit, *vixque decedens a se ipso, eodem paene gyro concluditur. Audis enim casas, focos, rura, nemora, praela, spicas, sacra tum saepe, tum multum.* Et Hadr. Turnebus Lib. 14. Adversar. cap. 19. *Tibullus ille politus et suavis poeta et quidam Phoebeus olor, in quo sincerus esse videtur et ingenuus Latini sermonis sapor, nullo peregrino vitiatus succo.* Quare et recte nuper a viro docto aliquo reprehensus est Strombecius, qui Tibulli Elegias germanice vertit, quod illum totum a Graecis pependisse iudicaverat.

45) Omnem rei poeticae Romanae historiam docte et eleganter traditam qui requirat, adeat Additam. ad Sulzeri Theor. Tom. 1. p. 1. inprimis p. 16. sqq.

46) Inprimis Horatius, quum Graecis multum deberet, tamen ita versatus est in imitatione, ut raro aperta eius vestigia cernantur. Huius rei duas causas esse existimo. Primum eo ingenio erat, ut eum neque infirmitatis suae sensus, nec vanitas, nec alia quaevis inhonestior ratio ad Graecorum scrinia compilanda impellere posset. Ipse, quid rectum et pulcrum et sanum esset, acute videbat.

ed post illos arti poeticae idem, quod post Ciceronis etatem eloquentiae accidit. *In deterius* (Senecae erba sunt in Controvers. I. praefat.) *quotidie data es est, sive luxu temporum, sive quod, quum praenium pulcherrimae rei cecidisset, translatum est mne certamen ad turpia, aut inania, multo hoore quaestuque vigentia, sive fato quodam, cuus perpetua in omnibus rebus lex est, ut ad summa perducta, rursus ad infimum, velocius quidem uam ascenderant, relabantur.* Illi poetae non optina solum quaeque e Graecis praeripuerant, sed et ipsi ropria praestantia digni existimabantur, ad quorum mitationem se alii compararent. Quamobrem, qui llos sequebantur, etsi nec ingenio ad inveniendum,

---

Sed Graecorum artibus literisque eruditus et penitus tinctus, quicquid ab iis divine inventum aut eleganter dictum intellexisset, ita in usum suum convertit, ut ipse potius Graecus factus, quam Graecos imitatus videretur, ita adhibuit, refinxit, tractavit, ut saepe incertum sit, meliusne inventum a Graecis, an ab illo tractatum fuerit. Graecarum virtutum *non solum cutem*, ut Quintiliani verbis utar, *effinxit, sed introspectis penitus virtutibus vim dicendi et inventionis assecutus est.* vid. Wieland. ad Horat. Epist. Part. I. p. 295. — Deinde in ipsis poeseos generibus, quae Horatius praecipue tractavit, mihi quidem inesse aliquid videtur, quod ad imitandi studium et curam non valde impellat, vel saltem verecundam reddere imitationem possit. Qui Odam aut Elegiam aut Satyram mente conceperunt, ita mihi videntur suas res agere, ita penitus in suum animum descendere, suisque sensibus occupati esse, ut, nisi forte ingenio ipsi minus valeant, aut libenter ingenio indulgeant, raro sui obliviscantur, raro extrinsecus aliorum artem vel doctrinam vel ornatum circumspiciant. Sic Ovidius nullibi minus Graecae doctrinae vel acuminis subsidia expetiit, quam in Libris Amorum, quibus praecipue suos amores, suos sensus, suos dolores exposuit. vid. quae de ea re disputavit Manso in Addit. ad Sulz. Vol. 3. part. 2. p. 336. — Diversa

nec eloquentia ad ornandum destituti, tamen vel necessitate, vel consuetudine, vel aetatis quadam levitate et socordia, in iis maxime, quae ex Graecorum Latinorumque lectione arripuerant, imitatione exprimendis, acquieverunt.

Restat, ut videamus alterum, quomodo fieri potuerit, ut hoc imitandi studium luxuriosam illam, de qua disputamus, eloquentiam produceret. Atque illud quidem facile intellectu est, si qui se comparent ad eorum scriptorum imitationem, qui ipsi luxurianti dicendi genere utuntur, eos nisi acutissimo iudicio et summa cautione illorum vitia devitent, et, ut saepe ex perniciocissimis herbis dulcissimos et saluberrimos succos apes, ita bona solummodo et recta colligant, aut versando tractandoque corrigant et emendent, non

---

epici carminis ratio est. Nam id quum per se maiores splendidioresque ornatus capit et desiderat, tum in rebus maxime alienis versatur, et plerumque tantam rerum varietatem et ambitum habet, ut propriis ingenii animique opibus tanto operi poeta vix sufficiat, nisi ex se ipso veluti exeat, et alienas copias petat. Itaque luxuries illa dicendi, quae quidem ex imitatione proficiscitur, in epicis tragicisque poetis maxime dominatur, in ceteris vel nulla est, vel multo rarius occurrit. Equidem non dubito, quin una Ovidii Medea effusiorem omnis generis luxuriem, quam cetera omnia eius carmina, habuerit. Neque id obscure significat Quintilianus Lib. 10, 1. 98. ubi, *Ovidii Medea videtur mihi ostendere*, inquit, *quantum vir ille praestare potuerit, si ingenio suo temperare, quam indulgere, maluisset.* — De imitatione Virgiliana, post ea, quae Heynius in Disquis. de Carm. ep. Virgilii ad Opp. Tom. 2. p. 25. sq. exposuit, vix addi quicquam potest, quod subtilius excogitatum vel melius dictum videatur. Quae autem de omni imitatione in utramque partem disputari possunt, nescio an a nullo alio accuratius et acutius proposita sint, quam ab Hurdio aliquot disputationibus, quae Commentario ad Horatii art. poet. scripto additae leguntur.

posse non iisdem vitiis inquinari. [47]) Sed alia sunt imitationis propria, quae huc pertinent. Primum omnis imitationis, quae quidem ad alienam artem vel ingenium adhibetur, haec vis est, ut cuiusdam inertiae atque infirmitatis suspectum eum, qui imitatur, reddat. Sua enim quisque bona, suum ingenium, suam doctrinam ita amat, ut, nisi sibi ipse magnopere diffidat, suis uti, quam aliena amplecti malit. Deinde, ut acute Quintilianus (Lib. 10, 2. 20.) monuit: *nemo potest aequare eum, cuius vestigiis sibi utique insistendum putat; necesse est enim, semper sit posterior, qui sequitur; et quicquid alteri simile est, necessario minus est eo, quod imitatur, ut umbra corpore, et imago facie, et actus histrionum veris affectibus.*[48]) Haec autem omnia, quae cum imitatione coniuncta esse videmus,

---

47) Sic Propertius, quum Alexandrinos poetas, Callimachum maxime et Philetam sequeretur (vid. Eleg. 3, 1. 1. et 4, 1. 61.), Elegias, castum et verecundum genus, omni illorum tumore, argutiis, fuco et operoso ornatu oneravit. Ovidius in nullo magis carmine et ingenio et animo luxuriatur, quam in Ibide, quod carmen totum ex imitatione Ibidis Callimachiae ortum videtur. Callimachum autem, doctissimum poetam, at valde aridum, frigidum, nullo spiritu, nulla venustate, ad historicam mythologicamque doctrinam unice comparatum, et carminum reliquiae, et veterum iudicia declarant. v. Heynii Opusc. Acad. T. I. p. 93. et Additam. ad Sulzer. Vol. 2. part. 1. p. 86. sq. — De Claudiano, Alexandrino ipso, Gesnerus Praefat. p. VII. *Accessit praesertim*, inquit, *ingenium patrium, quale efficere studebant in his, quos Alexandrinas delicias appellabant, pueris et puellis, facile, fertile, et solo, quod Nilus suus irrigavit, simile, idemque cum hilaritate et lascivia ludibundum, quale in Theocrito, Apollonio, Callimacho animadvertimus.*

48) De his imitationis periculis aut incommodis, si quis plura non minus acute cogitata legere velit, adeat Wolfii Prolegom. ad Demosth. Leptin. p. 38. sq. et Blairii Lectt. Rhetor. Tom. 3. p. 182. inprimisque pag. 196. vers. germ.

non eam difficilem solum, sed et invidiosam et periculosam reddunt. Igitur, quicunque imitantur, operam dabunt, ut vel imitandi consilium arte tegant, vel certamine quodam facto illos, quos imitantur, superasse videantur. Utrumque autem tribus maxime modis consequentur, si, quae ab aliis iam dicta sunt, *exaggerent*, aut *varient*, aut *nove dicere studeant*. Hinc omnia paene luxuriei genera oriantur necesse est. Nam qui *exaggerant*, dum vires intendunt, altiusque nituntur, in magno periculo versantur, ne ultra naturam evagentur, et ad praecipitia deveniant; unde plerumque declinant in peius, proxima virtutibus vitia comprehendunt, pro grandibus tumida, pro mirabilibus monstra, pro laetis lasciva atque exultantia, pro tristibus foeda et molesta, amplectuntur. In *variandis* autem verbis et sententiis, dum copiam et acumen adfectant, plerumque in inanem loquacitatem vel ineptias incidunt. Postremo, qui *nove dicere* multa student, ne servile quoddam imitandi obsequium aut inopiam suam prodant, nisi exactissimo iudicio utuntur, vix ullo modo possunt ineptissimae luxuriei periculum effugere. Nam illud totum studium maxime tum demum oriri solet, quum iam ab iis, qui praecesserunt, omnes dicendi virtutes ita declaratae, omniaque eloquentiae ornamenta ita occupata et exhausta sunt, ut nihil relictum videatur, quod melius dici possit. Et tamen omnes, qui legunt, nova quaerunt, novis delectantur, tenentur. Itaque hi, qui scribunt, operam dabunt, ut specie, splendore, fuco et artis praestigiis quibusdam novitatem mentiantur; ex quo plerumque summae ineptiae consequuntur. 49)

---

49) Lubet hanc sententiam aliquot criticorum summorum iudiciis confirmare. Legatur igitur Longini de Subl. Cap. 5. in quo omnem tumorem et frigus ex studio no-

Plena sunt poetarum Latinorum carmina exemplorum, e quibus illa, quae de imitatione universe diximus, confirmari possint. Ex multis locis, infra commemorandis, nunc unum seligamus, in quo tractando illi diversissima exaggerandi, variandi, novandique studia mira cum luxurie declararunt. Is est locus de pugnis, cladibus, et calamitatibus bellicis, summa inde ab Homero insequentium poetarum aemulatione variatus. Primus pugnae confertissimae et acerrimae imaginem ad naturam depictam dederat Homerus Il. ν, 130. sq.

Φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ
Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κό ρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Eam Tyrtaeus p. 101. ed. Kloz. pauca addens, Euripides Heracl. 836. Ennius p. 303. ap. Columnn. Virgiliusque Aen. X, 360. omnes sobrie et simpliciter re-

---

vitatis oriri docet. Deinde locus est insignis in Marmontelii, acutissimi critici, Essai sur le goût (Oeuvr. Tom. 4. Paris 1787.) p. 448. „Ce qui rend l'art si difficile, c'est que dans le tems même où l'on est le plus avide de nouveautés, il semble qu'il n'y ait presque plus rien de nouveau à produire dans aucun genre. Environné de toutes parts de modèles inimitables, chacun veut être original. Mais l'originalité doit être dans le genie et non pas dans le goût. — Mais c'est surtout lorsqu'on n'a pas à soi un talent propre et veritable, et qu'on veut se donner, à force d'art, une originalité factice; c'est, dis-je, alors qu'il faut, que l'on epuise les raffinements d'un faux goût, et les inventions d'une fausse industrie. De-là ce fard, ce vernis, cette enluminure du style, qu'on donne pour du coloris; cette manière de contourner une idée commune, ou de l'entortiller d'une expression fausse, qu'on appelle de la finesse; ce vain fracas de mots incohérens et de métaphores outrées, qu'on fait passer pour de l'éloquence; enfin, cette prétention de créer des genres nouveaux, et de passer pour inventeur, en ramassant tout ce qui jusqu'à nous avoit été le rebut de l'art.

Prosiluit, terraque ferox sua viscera traxit,
Tractaque calcavit, calcataque rupit, et illis
Crura quoque impediit, et inani concidit alvo.

Ad hunc locum Gierigius, doctus inprimis Ovidii interpres haec notat: *Bellicosis Romanis talia nauseam non fecisse videntur foeditate sua: itaque etiam in Virgilio similia loca reperiuntur.* Immo vero in aetatem Virgilii et Ovidii, vario literarum cultu, et vitae elegantia emollitam, iste stupor et importunitas cadere non videtur. Haec proprio poetarum ludentium, ingenio abutentium, et undique novas sententiarum phantasmatumque formas captantium vitio tribuenda sunt. Nec ipse Virgilius, si similia habet, quae tamen istam foeditatem profecto non assequuntur, prorsus liberum se illo vitio praestare potuit. In simili imagine, quae vers. 435. sequitur, foeditatis sensum duabus etiam comparationibus adiuvit [50]).

Ridiculo lusu caedum miracula canit Statius Theb. 7, 634 sq.

---

50) Burmannus, qui haec talia in poetis rarissime iudicare et reprehendere solebat, ad Valer. Flacc. 6, 555. ubi aliquis gladio percussus *sanguinis globos effusaque viscera gestare*, dicitur, illum locum confert, et *modestior*, inquit, *Ovidio noster poeta, et magis verosimilia narrare gestit, quam ultra fidem ingenii luxuriem extendere. Quare intelligamus, eum viscera ex corpore effusa manibus sustinuisse, qui gestus est maxime naturalis, cum sufficere vires ad effusa viscera calcanda, vix sit credibile.* Atqui nihil ille de modestia dixisset, si meminisset; quomodo haec talia Homerus enunciaverit, ut Il. 4, 525.

οὖτα δὲ δουρὶ παρ' ὀμφαλόν· ἐκ δ' ἄρα πᾶσαι
χύντο χαμαὶ χολάδες.

vel de Polydoro ab Achille percusso Iliad. 20, 417.

— νεφέλη δέ μιν ἀμφεκάλυψε
κυανέη, προτὶ οἷ δ' ἔλαβ' ἔντερα χερσὶ λιασθείς.

Homerus ergo solus modestus est; illi prope inhumani.

— — *Venit hasta per armos*
Tydeos, et laevum iuvenis transverberat inguen,
Labentemque adfigit equo. Fugit ille peremto
Consertus domino: nec iam arma aut frena tenentem
Portat adhuc; ceu nondum anima defectus utraque
Cum sua Centaurus moriens in terga recumbit.

Et mox velut intentiori ad argutias et ineptias animo

Caeneos Inachii ferro Mavortius Haemon
Colla rapit: cui dividuum trans corpus hiantes
Truncum oculi quaerunt, animus caput.

Similes inepte fingentis phantasiae lusus habet Lib. 8. 441 — 44. deinde 494 — 97. Sed monstrosissimum foetum exposuit vers. 506 sqq.

Ecce, ducem turmae, certa indignatus in hostem
Spicula, felici Prothoum torquere lacerto
Turbidus Oenides, una duo corpora pinu
Cornipedemque equitemque ferit. Ruit ille ruentem
In Prothoum, lapsasque manu quaerentis habenas
In vultus galeam, clypeumque in pectora calcat,
Saucius extremo donec quum sanguine frenos
Respuit, et iuncta domino cervice recumbit.
Sic ulmus vitisque, duplex iactura coloni,
Gaurano de monte cadunt; sed moestior ulmus
Quaerit utrumque nemus, nec tam sua brachia labens
Quam gemit adsuetas, invitaque proterit, uvas.

Saepe, quum haec et similia legimus, subit nos cogitatio, illos poetas illudere lectoribus suis voluisse, vel haec data opera ita confinxisse, ut puellos et nutrices delectarent. Sic, ubi apud eundem Statium, callidissimum harum nugarum artificem, haec legimus Lib. Theb. 9, 128. de trabe emissa,

— — *hunc retro conversum, et tela petentem*
Dum spes nulla necis, crinito a vertice figit.
Faucibus ille cavis hastam non ore receptam
Miratur moriens, pariterque et murmure plenus
Sanguis, et expulsi salierunt cuspide dentes.

Vel vers. 280. miraculum vulneris, ex cuspide, quam fluvius advexerat, in tergum alicuius nantis impulsa,

Induit a tergo Mycalesia cuspis Agyrten.
Respexit, nusquam auctor erat; sed concita tractu
Gurgitis, effugiens invenerat hasta cruorem.

haec, inquam, quum legimus, oculos et mentem nos talibus ineptiis praebuisse indignamur. Neque haec rara sunt in istis poetis, sed ex innumeris pauca, quae attulimus. Itaque, ne ad libri molem dissertatio crescat, Silii, Valerii Flacci, Claudiani, aliorumque similia luxuriei portenta non attingimus. Iam enim ad eam partem huius dissertationis progredimur, quae singulorum locorum, in quibus poetae illi veteres luxuriosam eloquentiam suam maxime declararint, recensum exemplis firmatum exhibebit.

§. 6.

De praecipuis luxuriei poeticae sedibus.

1) *In mythologiae abusu.*

Latini, ut omnem literarum doctrinam, ita mythologiam quoque a Graecis, apud quos nata et educata fuerat, acceperunt. Sed ea iam in terra peregrina, et apud homines diversissimi ingenii nec usum illum, quem semper habuerat, nec vim, qua viguerat, retinere potuit. Antiquissima imaginum fabularumque, quibus mythologia constat, congerie, prima hominum in summa rerum ignoratione summaque linguae inopia naturam contemplantium philosophia declarata est. Qui quum omnis vegetationis, elementorum, virium, mutationumque causas neque assequi cogitando, neque verbis iis, quae notiones animo conceptas redderent, explicare possent, nec ullam vitam aut ullum motum nisi in animantibus et

sui similibus cogitare adsueti essent, omnes illas res personarum significationibus declararunt. Ita paullatim, auctis rerum naturalium observationibus, opinionibusque cumulatis, deinceps narratis et ad humanarum actionum similitudinem refictis, vel Deorum, vel Titanum, vel Gigantum nomina, naturae, stirpes inventae sunt. Huic tanquam fundamento postea non variae solum religiones superstructae sunt, sed ab iisdem illis Diis Heroum etiam, et si qui vel gentis auctores, vel urbium conditores, vel magnis facinoribus illustres extitissent, natales et origines repetitae. Sic mythologia non philosophiae modo cuiusdam, verum etiam religionis atque historiae primordia habuit. Accessere vates, qui hymnis Deorum, heroum laudibus, aliisve carminibus ex epico genere illos mythos varie tractarent. Ex hoc antiquissimorum vel carminum vel narrationum fonte mythis haustis Homerus Iliadem ornavit, quem deinde secuti multi poetae, inprimis Lyrici et Tragici, veteres mythos carminum suorum argumenta sumserunt, saepe etiam pro suo quisque ingenio aut consilio multis modis immutarunt. Ab hoc tempore, et deinceps, quamquam aucto philosophiae studio multum de fabularum illarum fide et usu detractum esset, tamen poetae, inprimis Alexandrini, ut haberent, quo lectionis copiam et doctrinam antiquitatis ostentare possent, mythologiae opibus pro ornamentis poeticis usi

---

51) Quae in hoc loco de mythologiae graecae origine et usu extremis modo lineamentis adumbrare potui, copiosius et doctius exposita sunt ab Heynio in Comment. de orig. et causs. Fabul. Homer. in Nov. Commentat. Vol. 8. — de Theogonia ab Hesiodo condita in Comment. T. 2. — de causis fab. physicis in Opusc. Acad. Vol. 1. p. 184 et Comment. de Apollodor. Bibl. Part. 3. notar. ad Apollodor. p. 911 sq. (nunc praem. T. I. ed. sec.) Illas Heynii sententias ex illis libellis collectas brevique dissertatione

sunt. [50]) Sed hic tamen usus, apud Graecos, ne remotioribus quidem (a mythica aut heroica aetate temporibus, nec inutilis nec ineptus videri poterat. Magna illas res vetustatis sanctimonia commendabat. Omnis Graecorum historia, omnis memoria maiorum, omnis religionum cultus et auctoritas, uno tanquam filo cum mythologiae doctrina cohaerebat. Et illi qui scribebant, et hi qui legebant vel audiebant, in suis rebus versabantur, suarum rerum memoriam recolebant, in qua non capere animos maior quaedam admiratio et delectatio non poterat.

Iam cum his Graecorum rationibus Latinorum rationes comparemus. Alio aevo, ab heroicis temporibus multum remoto, inter diversissimas hominum, rerum, temporum, locorum et coeli rationes Latini, una cum ceteris artium et literarum copiis, Graecae etiam mythologiae opes ab Homero aliisque poetis usurpatas acceperunt. Graecae doctrinae admiratio omnia Latinorum studia ad imitationem convertebat. Intelligebant, quam multa in mythorum veterum systemate inessent, quae ingenium imaginationemque poeticam alerent, quam multa, quae legentium animos vel admiratione vel delectatione tenere possent. Itaque omnibus illis artis poeticae adminiculis, quamvis, ut fit, impari ingenio et successu, usi sunt. Neque dubitari potest, quin primis temporibus, quum Naevius, Ennius, Pacuvius, Attius, scriberent, in illa linguae latinae ruditate, in illa rerum graecarum novitate, mythologiae usus multum ad carminum gravitatem, et ad animos lectione tenendos contulerit: quamquam hoc delectationis genus nullo modo cum illa, quam Graeci homines inde ceperint, comparandum videtur. Sed post

---

propositas habet Andr. Heinr. Schotti libellus de studio Homeri (*Ueber das Studium des Homers in niedern und höhern Schulen. Leipz.* 1783) p. 306. sq.

illam aetatem, quum ipsae res Romanae historicorum et poetarum scriptis in dies magis illustrarentur, et magnis bellis facinoribusque inclarescerent, quum porro graecarum literarum studium soli doctrinae ostentationi serviret, et rhetores inprimis gravissima graecae antiquitatis argumenta ad puerilium exercitationum materiem, et ad omnem declamandi usum adhiberent, tum vero poetae omnem mythologiam Graecorum, quo illustrior in ea ingenii, artis et doctrinae declarandae opportunitas erat, eo maiore studio sunt amplexi. Atque in ea re paucorum elegantia iudicii, multorum autem cupiditas, vanitas et inertia cognita est. Ex omnibus poetis, qui inde ab aetate Augustea, magnorum ingeniorum fertilissima, floruerunt, Horatius et Virgilius soli Graecorum doctrina mythologica ita usi sunt, ut vere illa ornasse carmina sua videri possint. Ceteri, quum sui magis, quam rerum, quas tractarent, memores essent, illis copiis ita abusi sunt, ut saepe in summas ineptias inciderent. Horatius quidem, quam sapienter Graecorum mythos etiam in genere epico tractaturus fuisset, lyricis carminibus declaravit, quae, elegantissimo delectu, illis tanquam luminibus et floribus quibusdam distinxit. Virgilius, etsi in epico carmine ad Homericam formam instructo, vel imitandi libidine, vel gravitatis augendae studio ductus, saepius liberiusque ad veteres mythos deflexit; [52]) tamen sapientissimo

---

52) In episodio Virgil. Georg. 4. 315. sq. quum sit praeter morem Virgilii immensa rerum nominumque mythicorum copia, Heynius ad vers. 336. haec notavit: „In huiusmodi enumeratione multorum nominum ex mythicis rebus petitorum videntur sibi valde placuisse veteres poetae, forte, quia eruditionis laudem res habebat. Sapit totum commentum poetae Alexandrini ingeniosam suavitatem." Talis inprimis Callimachus fuit, qui omnia mythis obruit, magis ut copiam harum rerum ostenderet,

herois delectu, et admirabili res Romanas Graecae antiquitati adnectendi artificio, illius abusus vel inertiae a se culpam egregie est amolitus. [53])

In ceteris post Virgilium poetis nullus reperitur, quin vel perpetua mythicarum rerum tractatione, vel earum cum omnibus aliis argumentis confusione, ingenio et arte et doctrina abusus fuerit. De Ovidio, qui primo loco nominandus videtur, nota res est. Totum opus Metamorphoseon, mira arte conscriptum, et egregiis ingenii facultatisque poeticae speciminibus instructum, tamen tot lasciviae, lusus, argutiarumque exempla habet, ut magis sui gratia, quam rerum

---

quam ut carmina iis apte instrueret. Lectu digna sunt, quae ex eo genere in Additam. ad Sulz. Vol. 2. de Callimacho et Vol. 3. p. 43. sq. de Propertio disseruntur. Nam is quum Callimachi maxime exemplo uteretur, in idem vitium incidit.

53) Vid. Heynii Disquis. 1. de Epico carm. Virgilii ad Opp. Tom. 2. p. XVIII. 59. Itaque poeta, quum semel illo artificio usus esset, poterat etiam eo usque progredi, ut Deorum interventus et ministeria usurparet. Nam haec hominum temporibus heroicis vulgaris superstitio erat. Longe diversa Silii culpa est, qui verae historiae enarrationi similes Deorum machinationes immiscuit. Haec non satis distinxisse videtur vir doctus, qui nuper in crisi carminis Goethiani (*Herrmann und Dorothea*, *Litterat. Zeit. v. J.* 1797. *n.* 394.) haec posuit: *Der Mythus kann nur dann für die Poesie begünstigend seyn, wenn er lebt, das heiſst, wenn er als Mythus, als die unwillkührliche Dichtung der kindlichen Menschheit, wodurch sie die Natur zu vermenschlichen strebt, entstanden, und noch bestehender Volksglaube ist. Er kann nicht die willkührliche Erfindung eines Einzelnen seyn. Schon Virgil hätte als Beyspiel warnen sollen, wie wenig mit der Dazwischenkunft der Götter ausgerichtet wird, wenn sie nicht mehr Volksglaube ist, und also nicht zu dem Bilde des Weltganzen, welches die Phantasie des Dichters in der Wirklichkeit auffaſst, gehört.*

tractandarum causa delectum a poeta videatur. Nam multi scriptores et poetae, ut vel ex Antonino Liberali patet, idem argumentum ante illum tractaverant. Primus quidem Ovidius hoc egit, ut diversissimarum fabularum farraginem in unius corporis speciem coniungeret: id quod egregia arte et varietate executus est. Sed vereor, ne hoc ipsum consilium ad ingenii abusum et luxuriem pertinuerit. Quo enim difficilius erat et magis lubricum, variarum rerum argumenta uno narrationis filo connectere, eo maior artis et acuminis declarandi opportunitas nascebatur, quae tamen ipsa quoque ingenii praecipitandi et artis affectandae periculum obiiciebat. Itaque eo nomine iam a Seneca et Quintiliano reprehensus est. [54])

In reliquis vero etiam carminibus non modo nullam occasionem, quae mythorum explicandorum opportunitatem attulisset, praetermisit, sed saepenumero, ut acria ingenia solent, ineptis in locis et personis ad illos est evagatus. Unum carmen illud, quod *Ibis* inscriptionem habet, nominare sufficit. Nam id non solum, si rem tractatam spectes, impotentissimi animi argumentum prodit [55]) sed maxime etiam omnium poetae furorem quendam mythologicum arguit.

---

54) Senec. Quaest. nat. 3, 27. et Quintil. Lib. 4, 1, 71. Constat Ovidium nonnullas fabulas non satis illustres, et quae ornatum poeticum non bene caperent, quamvis ab aliis narratas, omisisse. Quod consilium poetae ut eleganti eius iudicio tribui potest, ita non duxerim reprehendendam esse eorum sententiam, qui illud ex ornandi studio interpretantur. vid. quae de hac re in Additam. ad Sulzer. Vol. 3. p. 387. disputata sunt.

55) Nolim tamen hoc ita intelligi, quasi Ovidium existimem iracundia et acerbitate et odio commotum illas in inimicum suum diras coniecisse. Certe si solos illos adfectus secutus fuisset, dubito, an illam carmini formam

herois delectu, et admirabili res Romanas Graecae antiquitati adnectendi artificio, illius abusus vel inertiae a se culpam egregie est amolitus. [53])

In ceteris post Virgilium poetis nullus reperitur, quin vel perpetua mythicarum rerum tractatione, vel earum cum omnibus aliis argumentis confusione, ingenio et arte et doctrina abusus fuerit. De Ovidio, qui primo loco nominandus videtur, nota res est. Totum opus Metamorphoseon, mira arte conscriptum, et egregiis ingenii facultatisque poeticae speciminibus instructum, tamen tot lasciviae, lusus, argutiarumque exempla habet, ut magis sui gratia, quam rerum

---

quam ut carmina iis apte instrueret. Lectu digna sunt, quae ex eo genere in Additam. ad Sulz. Vol. 2. de Callimacho et Vol. 3. p. 43. sq. de Propertio disseruntur. Nam is quum Callimachi maxime exemplo uteretur, in idem vitium incidit.

53) Vid. Heynii Disquis. 1. de Epico carm. Virgilii ad Opp. Tom. 2. p. XVIII. 59. Itaque poeta, quum semel illo artificio usus esset, poterat etiam eo usque progredi, ut Deorum interventus et ministeria usurparet. Nam haec hominum temporibus heroicis vulgaris superstitio erat. Longe diversa Silii culpa est, qui verae historiae enarrationi similes Deorum machinationes immiscuit. Haec non satis distinxisse videtur vir doctus, qui nuper in crisi carminis Goethiani (*Herrmann und Dorothea*, *Litterat. Zeit. v. J.* 1797. *n.* 394.) haec posuit: *Der Mythus kann nur dann für die Poesie begünstigend seyn, wenn er lebt, das heifst, wenn er als Mythus, als die unwillkührliche Dichtung der kindlichen Menschheit, wodurch sie die Natur zu vermenschlichen strebt, entstanden, und noch bestehender Volksglaube ist. Er kann nicht die willkührliche Erfindung eines Einzelnen seyn. Schon Virgil hätte als Beyspiel warnen sollen, wie wenig mit der Dazwischenkunft der Götter ausgerichtet wird, wenn sie nicht mehr Volksglaube ist, und also nicht zu dem Bilde des Weltganzen, welches die Phantasie des Dichters in der Wirklichkeit auffafst, gehört.*

tractandarum causa delectum a poeta videatur. Nam multi scriptores et poetae, ut vel ex Antonino Liberali patet, idem argumentum ante illum tractaverant. Primus quidem Ovidius hoc egit, ut diversissimarum fabularum farraginem in unius corporis speciem coniungeret: id quod egregia arte et varietate exsecutus est. Sed vereor, ne hoc ipsum consilium ad ingenii abusum et luxuriem pertinuerit. Quo enim difficilius erat et magis lubricum, variarum rerum argumenta uno narrationis filo connectere, eo maior artis et acuminis declarandi opportunitas nascebatur, quae tamen ipsa quoque ingenii praecipitandi et artis affectandae periculum obiiciebat. Itaque eo nomine iam a Seneca et Quintiliano reprehensus est. [54])

In reliquis vero etiam carminibus non modo nullam occasionem, quae mythorum explicandorum opportunitatem attulisset, praetermisit, sed saepenumero, ut acria ingenia solent, ineptis in locis et personis ad illos est evagatus. Unum carmen illud, quod *Ibis* inscriptionem habet, nominare sufficit. Nam id non solum, si rem tractatam spectes, impotentissimi animi argumentum prodit [55]) sed maxime etiam omnium poetae furorem quendam mythologicum arguit.

---

54) Senec. Quaest. nat. 3, 27. et Quintil. Lib. 4, 1, 71. Constat Ovidium nonnullas fabulas non satis illustres, et quae ornatum poeticum non bene caperent, quamvis ab aliis narratas, omisisse. Quod consilium poetae ut eleganti eius iudicio tribui potest, ita non duxerim reprehendendam esse eorum sententiam, qui illud ex ornandi studio interpretantur. vid. quae de hac re in Additam. ad Sulzer. Vol. 3. p. 387. disputata sunt.

55) Nolim tamen hoc ita intelligi, quasi Ovidium existimem iracundia et acerbitate et odio commotum illas in inimicum suum diras coniecisse. Certe si solos illos adfectus secutus fuisset, dubito, an illam carmini formam

Virgilius, ut iam diximus, sapienti rerum delectu et tractatione effecerat, ut sine mythologiae veteris usu carminis vim et gravitatem vix praestare potuisse videatur. Ovidius eodem in genere minus consilii, plus cupiditatis ostendit; sed cum eo tamen, quod ingeniose et venuste ludit, non inviti colludimus. Ceteri poetae in mythorum fabularumque veterum usu, praeter vanitatem suam, praeter eruditionis ostentandae, et ubique inculcandae studium, nihil fere secuti sunt, quod illum usum aliquo modo commendare vel excusare posset. Itaque ineptissimis in locis sacras illas antiquitatis opes effundunt, non ubi deceant, ubi gravitati patrocinentur aut delectationi, quaerentes, sed hoc solum, ut videtur, caventes, ne inter cetera artis poeticae pigmenta, illud unum requiratur. E Statio, Silio, aut Claudiano, qui hoc luxuriei genere excellunt, illius abusus omnia exempla colligere, putidum et prope infinitum foret. Claudianus nullum argumentum tractat, in quo non ali-

---

dedisset. Sed in argumento illo tractando vidit magnum impetum, multum acuminis et doctrinae consumi posse; fortasse etiam cum Callimacho, cuius simile carmen ante oculos habebat, certandi libido animum subiit: sic natum carmen est, quo suam dicendi vim et facultatem exercere potius, quam acerbitatis bilem evomere voluisse videtur. Cf. vers. 53. Quidni omnis illa sententia Ovidii animo vel ex scholastica rhetorum disciplina haeserit, qui discipulos non laudibus modo dicendis, sed et conviciis et maledictis iaciendis exercebant, quum in ipso iudicio maledictis et conviciis etiam falsis se invicem petere litigantibus concessum esset? Quintilianus Lib. 12, 9. 8. *Quidam*, inquit, *etiamsi forte susceperunt negotia paullo ad dicendum tenuiora extrinsecus adductis ea rebus circumliniunt, ac si defecerint alia, conviciis implent vacua causarum, si contingit, veris, si minus, fictis, modo sit materia ingenii, mereaturque clamorem, dum dicitur.* cf. quae Gesnerus ad Lib. 6, 4. 13. notavit, et Cresoll. Theatr. Rhet. V. 12. et III, 7, p. 191.

cubi ad Deos Deasque deveniat, mythicosque colores misceat. Saepe universum carmen his poeticorum phantasmatum filis contexit, ut de bello Gildonico librum, qui Romam et Africam habet personas ad Iovem loquentes; is deinde respondet, et umbra Theodosii filium, ut Aeneam Anchisis umbra, per somnum admonet. E Statio uno omnium luxuriantissimo poeta, si quis unum Epithalamium Stellae et Violantillae (Sylv. 1, 2.) perlegerit, exempla non amplius desiderabit. Silium Italicum in historia vera, in rebus recentiori memoria gestis, et ex accuratissima Livii narratione repetitis, Deorum ministerio atque omni apparatu mythologico abusum esse, nemo negaverit, nisi qui sit ipse a rei facultatisque poeticae sensu et iudicio ita alienus, ut, quid inter Iliadem aut Aeneidem, et poeticam declamatoris exercitationem, intersit, non videat. Quamobrem, quod Lucanus, in simili argumento, ab isto rerum mythicarum abusu se abstinuit, certo huius poetae iudicio tribuendum existimo. Quum enim nullum poetici ornatus genus, nullam doctrinae et artis ostentandae opportunitatem praetermisisset, atque in multis locis ineptius etiam ipso Silio declamatoris partes egisset, quis eum credat tam sui oblitum fuisse, ut illos mythologiae fontes, quibus nihil ad ornandam exaggerandamque orationem uberius fingi poterat, aspernaretur? [56])

---

56) De carmine Siliano et poetae consilio sententiam meam copiosius dixi in Supplem. Disquisitionis de carmine Siliano Tomo 2. edit. Sil. praefixo. Non dico Silium carmen epicum ad modum Homeri aut Virgilii condere voluisse. Carmen historicum fecerit; nihil ille peccaverit, quod in eo omnia doctrinae poeticae genera consumsit. Illa una luxuries me offendit, quam in mythologiae veteris abusu declaravit. Neque Rupertus V. C. quum a Silio suo hanc quoque culpam amoliretur, ea dixit, quae demovere me ab illa sententia possent. Ad aevi consuetu-

Sed ne in his quidem poetis, quos veteres et classicos habemus, luxuries illa mythologica terminata est. Nam apud seriores quoque poetas, qui iam disciplina Christiana imbuti essent, et res Christianas carminibus tractare instituissent, temerarium illud imitandi studium, et antiquitatis crepandae ambitio tantum valuit, ut illis rebus veteres fabulas admiscentes atque assimilantes non modo minus religiose facerent, sed ad ineptissimos etiam lusus ingenio abuterentur. Pauca ex hoc genere commemorabimus, ut sententiae nostrae fides constet. Licentii poetae ad Augustinum Episc. Hippon. carmen est, quod Poet. min. Tomo IV. p. 522. Wernsdorfius edidit. Hic igitur Licentius, quum inprimis ad Virgilium legendum atque imitandum se comparasset, et iam se doctrina Christiana initiandum Episcopo tradidisset, non potuit sibi temperare, quin res diversissimas, sententias Christianas et mythicas, poetica oratione coniungeret. In principio carminis, post indicatas difficultates, quas in doctrina Varronis percipienda offenderat, iam interiorem disciplinae Christianae scientiam ab Augustino petit, et ab

---

dinem quandam omnia refert. *Eo quo vixit aevo*, inquit, *poetae ingenii et acuminis laudem non tam in inveniendo vel rerum vel verborum ornatu vario et exquisito, quam in inventis aliorum sapienter in rem suam convertendis, consequi poterant.* At id ipsum quaerebatur, utrum sapienter ille, an inepte fecerit, quum illud argumentum suum mythis, Deorum interventibus et ministeriis instrueret. Nulla aevi consuetudo rem per se aut aliis de causis ineptam commendare, vel excusare potest. Poetae virtus ingenio, iudicio; et decori intelligentia, non autem servili imitatione, aut consuetudinis obsequio aestimatur. Praeclare et prudenter de hoc argumento disputavit Blairius in Lectt. Rhet. Tom. 4. vers. germ. p. 100. multo quidem cautius temperantiusque Homio, qui ita de his figmentis mythologicis iudicat, ut omnia repudiet. vid. Crit. Cap. 22.

Aristaeo, adludens ad Virgil. Georg. 4, 319. transit ad Augustinum, fontibus infantum adeoque et institutioni catechumenorum praefectum; ex qua rerum confusione hoc carminis portentum natum est:

At mihi, qui nimium curis gravioribus angor,
Dulcia quique animae, sed dulcia pabula quaero,
Varronis responsa latent. Quod supplici cantu
PraesidiumNympham regemque et flumina poscam?
An te voce vocem, clari quem rector Olympi
Fontibus infantum praefecit, et abdita iussit
Ubertate animi longe ructare fluenta?

Mox Christum *Apollinem* appellat, et in *Deo patre*, quem illius quoque patrem dicit, insane ludit, quum eum Iovi, quem Virgilius Aen. 1, 65. *Divum patrem atque hominum regem* vocaverat, assimilat.

— — Tibi noster Apollo
Corda replet, patremque suum patremque Deorum
Conciliat, legemque bonam, pacemque cruentam
Monstrat, et abducto velamine singula pandit.

Ipse Augustinus, qui Retract. Lib. 1, 3. se culpat, quod aliquando Musas, quasi aliquas Deas, quamvis per iocum, commemoraverit, tamen multis in locis imitandi et alludendi ad veterum poetarum doctrinam pruritu ita se passus est abripi, ut in easdem, in quas Licentius, ineptias incurreret, quarum multa exempla dedit Wernsdorfius in Excurs. XII. ad Licent. p. 769.[57])

---

57) Dubito igitur, an Wernsdorfius l. c. p. 559. ex epilogo Iliados latinae, ubi poeta Calliopen, Palladem, Phoebum alloquitur, recte colligat, auctorem huius carminis gentilium sacris addictum fuisse, quia Christiani poetae Deorum illorum nomina refugissent. Nam et Licentii et Augustini exemplum illi sententiae repugnare videtur, neque aliis de causis tutum est illo modo argumentari. cf. quae de Barlaeo quodam poeta Christiano Werenfelsius de Meteor. Orat. §. 16. narravit. In Sannazarii quidem, doctissimi

§. 7.

Luxuries 2) in comparationibus.

Comparationum in oratione adhibendarum et vetustissimam consuetudinem, et eos fontes causasque videmus fuisse, quae maxime illi vetustati consentaneae essent. In omnibus enim rebus primam magistram veteres ipsam naturam habuerunt. Ex eius contemplatione et cognitione ingenia alebant, et phantasiam locupletabant, et omnium artium literarumque prima initia capiebant. Nondum inducta per philosophiam subtilitate rerum ac sententiarum, vel dicendi argumenta e natura et obvia hominum vita petebant, vel si quid altius in animo reconditum explicare cupiebant, id totum ad naturam referebant, ad sensus revocabant, sensibus quocunque modo commendabant. Iam illis hominibus nihil poterat certius esse et illustrius, quam eae res, quas observanda natura cognitas habebant. Nam quum a pueritia eas cognoverant, et porro diuturno usu tractabant, tum ipsae ita definitae erant forma, habitu, indole sua, ut iis conspectis aut cogitatis nunquam non stabilem ac certam animus notionem conciperet.[58]) Accedebat, praeter hanc per-

---

et elegantissimi poetae carminibus, si quae egregie inepta occurrunt, ad ea loca plerumque pertinent, in quibus rebus Christianis colores et phantasmata mythologica admiscuit. De simili vitio Lusiadis, nobilis Camoenis carminis, lectu dignissima sunt, quae Blairius Lectt. Rhet. 41. eleganter et acutissime iudicavit. De Barlaeo illo huc pertinet iudicium Graevii in Praefat. ad Florum.

58) Haec praecipua causa videtur fuisse, cur veteres maximam comparationum aut similitudinum partem ab animalium indole et actionibus peterent. Neque enim ullius rei alius, quam natura habet, tam definita indoles est aut ratio agendi, quam animalium, neque cum alia re hominibus, propter usum varium, vel vitae societatem, vel

spicuitatis commendationem, propria indoles ingenii poetici, quod, quo est felicius a phantasia instructum, eo vehementius imaginibus rerum concipiendis et oratione explicandis gaudere solet. Itaque quum in antiquissima Hebraeorum poesi, et maxime in ea, quae ad lyricum genus dicendi proxime accedit, ut in odis Davidicis et cantico Salomonis, frequentissimum comparationis ac similitudinis usum cognoscimus, tum ex Homero eandem comparandi consuetudinem tanquam ex aliquo fonte ad sequentes poetas derivatam esse videmus. Ex his autem omnibus intelligitur, vere iudicasse Quintilianum, quum *similitudines ad lucem rebus inferendam repertas* dixit. Nam apud eos, qui nec ut placerent aut ornatu fallerent, nec ut artem vel doctrinam ostentarent, sed potius rerum, quas tractabant, suavitate vel magnitudine commoti animi sensus exponere gestiebant, apud hos, inquam, poetam vix ulla

---

cetera commoda, tanta coniunctio et veluti familiaritas intercedit. Qui igitur in eo elaborabant, ut cuiusvis rei aut facti sensum acrem et illustrem in hominum animis excitarent, non poterant id melius consequi, quam si illa, quae in aliquo animali similia observassent, cum illa re vel facto contenderent. Itaque idem voluisse putandus est, quisquis ille fuit, qui primus fabulis, quales nomine Aesopi maxime celebrantur, ad hominum institutionem vel persuasionem uteretur. Nam omnis earum vis in similitudine cernitur, quam enarrata animalis indoles vel actio cum humana re vel actione habet. Ac similiter, ut in comparationibus factum est, illa quoque antiquior fabularum vis et usus obsolevit, et quum ad utilitatem vitae, ad res obscuras iucunda similitudine illustrandas animisque commendandas, repertae essent, mox, mutatis moribus, rhetorum exercitationibus et delectationi servierunt: nisi forte, ut Quintilianus ait Lib. 5, 11. hodienum *puerorum vel imperitorum ducere animos solent, qui et simplicius, quae ficta sunt, audiunt, et capti voluptate, facile iis, quibus delectantur, consentiunt.*

comparationum usurpandarum ratio cogitari potest, praeter illam, quae ad lucem rebus inferendam, hoc est, vel ad perspicuitatem augendam, vel ad legentium audientiumve sensus adiuvandos pertineret. [59])

Sed quam formam dicendi, antiquissimo tempore, vel naturae obsequium et auctoritas commendaverat, vel necessitas quaedam expresserat, eam posterior aetas, imitationi et artis studio addicta, ad orationis poeticae ornatum, ad apparatum, ad delectationem adhibuit. Quo enim propius homines ad literarum artiumque cultum, et ad quandam vitae morumque elegantiam accedunt, eo longius ab ipsius naturae conspectu avocantur. Prius tum rerum naturalium, coelestium, humanarumque causas subtiliter investigare atque explicare, quam ipsam naturam, coelum hominumque vitam oculis usurpare discunt. A multis rebus, quas antiquior vitae et morum simplicitas libenter tractat et amplectitur, fastidiosior elegantia abhorret. [60]) Nitida tum, et comta et artificiosa et subtilia,

---

59) Homerus quidem nullis in locis magis cumulare comparationes solet, quam ubi res magnae, atroces, et mirabiles inprimis aguntur, ut, irruentium agminum vel singulorum heroum impetus, caedum atrocitates, fugientium strages, vel ubi magnorum affectuum eventus describendi sunt. His in locis utique poeta, sive ut sibi ipse satisfaceret, sive quod ab iis qui audituri aut lecturi essent, illam rerum vim penitus sentiri volebat, comparationibus istis usus esse videtur tanquam adiumento aliquo, quo sensus illos perficeret, quos rebus nude narrandis se absoluturum quodammodo desperasset. Itaque in Odyssea, quae sedatam et dilucidam rerum pacatarum maxime narrationem habet, multo pauciores comparationes occurrunt, semper subest res magna et gravis, quam poeta videtur vel commendare vel sensibus propius admovere, vel illustrare comparando voluisse.

60) Quis poeta hodie vel cupiat vel audeat heroem aliquem,

magis placent. Quamobrem in comparatione adhibenda serioribus poetis latinis videmus hoc maxime accidisse, ut, ubi veterum auctoritatem et exempla sequebantur, vim tamen non assequerentur; ubi autem comparationis usum suo iudicio atque ingenio accommodabant, omnia alia potius, quam illam lucem rebus inferendam quaererent, et in hoc quoque dicendi genere variis modis luxuriarentur. Nam et comparationes *nimium cumularunt*, et posuerunt *ineptis in locis*, et *ineptis a rebus petierunt*, et *longius aequo extenderunt*. Quae si idoneis exemplis declaraverimus, satis perspicue in hoc etiam genere poetarum illorum luxuriem demonstrasse videbimur.

Exordiamur ab Ovidio, quem principem luxuriantis eloquentiae auctorem cognovimus. Is Polyphemum introducit Metam. 13, 789. Galateae laudes canentem. Totum phantasma debebat Theocrito, qui quum in omni argumento carminis exponendo, tum in comparationibus, quibus utebatur, iucunda simplicitate et satis breviter versatus erat. Locus est in Idyll. XI.

Ὦ λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ;
Λευκοτέρα πακτᾶς, ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα δ' ἀρνός,
Μόσχω γαυροτέρα, φαρωτέρα ὄμφακος ὠμᾶς —
Φεύγεις δ' ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα.

Iam audiamus nostrum:

Candidior nivei folio, Galatea, ligustri;
Floridior pratis: longa procerior alno;
Splendidior vitro; tenero lascivior haedo;
Laevior assiduo detritis aequore conchis;
Solibus hibernis, aestiva gratior umbra,
Nobilior pomis; platano conspectior alta;

---

ut Homerus Il. 5, 552. et 13, 703. Aiaces, cum asino et bobus comparare?

comparationum usurpandarum ratio cogitari potest, praeter illam, quae ad lucem rebus inferendam, hoc est, vel ad perspicuitatem augendam, vel ad legentium audientiumve sensus adiuvandos pertineret. [59])

Sed quam formam dicendi, antiquissimo tempore, vel naturae obsequium et auctoritas commendaverat, vel necessitas quaedam expresserat, eam posterior aetas, imitationi et artis studio addicta, ad orationis poeticae ornatum, ad apparatum, ad delectationem adhibuit. Quo enim propius homines ad literarum artiumque cultum, et ad quandam vitae morumque elegantiam accedunt, eo longius ab ipsius naturae conspectu avocantur. Prius tum rerum naturalium, coelestium, humanarumque causas subtiliter investigare atque explicare, quam ipsam naturam, coelum hominumque vitam oculis usurpare discunt. A multis rebus, quas antiquior vitae et morum simplicitas libenter tractat et amplectitur, fastidiosior elegantia abhorret. [60]) Nitida tum, et comta et artificiosa et subtilia,

---

59) Homerus quidem nullis in locis magis cumulare comparationes solet, quam ubi res magnae, atroces, et mirabiles inprimis aguntur, ut, irruentium agminum vel singulorum heroum impetus, caedum atrocitates, fugientium strages, vel ubi magnorum affectuum eventus describendi sunt. His in locis utique poeta, sive ut sibi ipse satisfaceret, sive quod ab iis qui audituri aut lecturi essent, illam rerum vim penitus sentiri volebat, comparationibus istis usus esse videtur tanquam adiumento aliquo, quo sensus illos perficeret, quos rebus nude narrandis se absoluturum quodammodo desperasset. Itaque in Odyssea, quae sedatam et dilucidam rerum pacatarum maxime narrationem habet, multo pauciores comparationes occurrunt, semper subest res magna et gravis, quam poeta videtur vel commendare vel sensibus propius admovere, vel illustrare comparando voluisse.

60) Quis poeta hodie vel cupiat vel audeat heroem aliquem,

magis placent. Quamobrem in comparatione adhibenda serioribus poetis latinis videmus hoc maxime accidisse, ut, ubi veterum auctoritatem et exempla sequebantur, vim tamen non assequerentur; ubi autem comparationis usum suo iudicio atque ingenio accommodabant, omnia alia potius, quam illam lucem rebus inferendam quaererent, et in hoc quoque dicendi genere variis modis luxuriarentur. Nam et comparationes *nimium cumularunt*, et posuerunt *ineptis in locis*, et *ineptis a rebus petierunt*, et *longius aequo extenderunt*. Quae si idoneis exemplis declaraverimus, satis perspicue in hoc etiam genere poetarum illorum luxuriem demonstrasse videbimur.

Exordiamur ab Ovidio, quem principem luxuriantis eloquentiae auctorem cognovimus. Is Polyphemum introducit Metam. 13, 789. Galateae laudes canentem. Totum phantasma debebat Theocrito, qui quum in omni argumento carminis exponendo, tum in comparationibus, quibus utebatur, iucunda simplicitate et satis breviter versatus erat. Locus est in Idyll. XI.

῏Ω λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ;
Λευκοτέρα πακτᾶς, ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα δ' ἀρνός,
Μόσχω γαυροτέρα, φιαρωτέρα ὄμφακος ὠμᾶς —
Φεύγεις δ' ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα.

Iam audiamus nostrum:

Candidior nivei folio, Galatea, ligustri;
Floridior pratis: longa procerior alno;
Splendidior vitro; tenero lascivior haedo;
Laevior assiduo detritis aequore conchis;
Solibus hibernis, aestiva gratior umbra,
Nobilior pomis; platano conspectior alta;

---

ut Homerus Il. 5, 552. et 13, 703. Aiaces, cum asino & bobus comparare?

Lucidior glacie; matura dulcior uva;
Mollior et cygni plumis, et lacte coacto;
Et, si non fugias, riguo formosior horto;
Saevior indomitis eadem Galatea iuvencis;
Durior annosa quercu, fallacior undis;
Lentior et salicis virgis, et vitibus albis;
His immobilior scopulis, violentior amne:
Laudato pavone superbior, acrior igni;
Asperior tribulis, foeta truculentior ursa;
Surdior aequoribus, calcato immitior hydro;
Et, quod praecipue vellem tibi demere possem,
Non tantum cervo claris latratibus acto,
Verum etiam ventis volucrique fugacior aura.

Petulantissimus poeta, quantum in similitudinibus aggerandis ingenio et oratione valeret, sibi ipse specimen edidisse videtur.

Alius locus est Metam. 10, 190 sq. ubi plura luxuriei genera coniuncta deprehendas, si Homeri et Virgilii loca, quae poetae in mente vel ante oculos fuerunt, cum illo committas. Homerus quidem Iliad. ϑ, 306. quum Gorgythionem a Teucro sagitta percussum introduxisset, hac utitur comparatione:

Μήκων δ' ὡς ἑτέρωσε κάρη βάλεν, ἥτ' ἐνὶ κήπῳ
Καρπῷ βριθομένη, νοτίῃσί τε εἰαρινῇσιν,
Ὣς ἑτέρωσ' ἤμυσε κάρη πήληκι βαρυνθέν.

Eandem ornavit Virgilius Aen. 9, 435. cum Volscens Euryalum interfecisset:

— — inque humeros cervix collapsa recumbit.
Purpureus veluti flos succisus aratro,
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia quum forte gravantur.

Homericam sententiam addita *floris* imagine amplificat. Sed in tali castitate et dignitate ornatus nullam adhuc luxuriem agnosco. Accessit ad imitationem

tertius Ovidius. Is adiecit tertiam imaginem, *violas, papaver*, et *lilia* comparans. Deinde non sufficiebat in his redundasse: sed rem comparandam, Hyacinthi lapsum, quem iam ante comparationem satis fuse descripserat, etiam post illam repetit, ludens verbis et sententiis vers. 194. 95.

Sic vultus moriens iacet, et defecta vigore
Ipse sibi est oneri cervix, humeroque recumbit.

In Epist. ex Ponto Lib. 1, 1. 67 sq. quinque comparationes uni sententiae illustrandae adiungit, et in eo quidem loco, in quo propter affectum doloris nihil minus quam tales phantasiae lusus expectamus.

Nil igitur mirum, si mens mihi tabida facta
De nive manantis more liquescit aquae.
Estur ut occulta vitiata teredine navis:
Aequorei scopulos ut cavat unda salis:
Roditur ut scabra positum rubigine ferrum:
Conditus ut tineae carpitur ore liber:
Sic mea perpetuos curarum pectora morsus
Habent.

Maiore loquacitate Lib. 2. Epist. 7, 5—14. sex comparationes cumulat, ut hanc sententiam: *se nimium timere*, illustret.

Da veniam, quaeso, nimioque ignosce timori.
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est laesus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis aera subesse putat.
Saepe canem longe visum fugit agna, lupumque
Credit, et ipsa suam nescia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque saucia tactum:
Vanaque sollicitis incutit umbra metum. [61])

61) Cf. Metam. IV. 362—67. VI. 527. IX. 658—61. VII, 776. sqq.

Sed exemplorum colligendorum cupiditas coercenda est. Nam, si ad ceteros poetas venerimus, in singulis paginis ad similes comparationum cumulos offendemus. In uno Valerii Flacci Argonaut. libro septimo viginti comparationes numeravimus, quamvis hic liber maxime narratione constat rerum magicarum Medeae, in qua comparationum raro usus esse poterat. Sed hic poeta magis doctrinae et artis poeticae severitatem quandam, quam lusus et argutias sectans, non tam in uno loco plures comparationes, quam in universum frequentes adhibere solet. Maior in eo genere Claudiani luxuries deprehenditur. Qui quum Libr. 2. in Eutropium vers. 420 satis perspicue notasset agmina confusa et nullo ordine vagantia

non explorantur eundae
Vitandaeque viae: nullo se cornua flectunt
Ordine; confusi passim per opaca vagantur
Lustra, per ignotas angusto tramite valles.

tamen, ut haec scilicet illustraret, tribus comparationibus usus est, quarum ultima summae etiam obscuritatis vitio laborat:

Sic vacui rectoris equi, sic orba magistro
Fertur in abruptum, casu, non sidere, puppis;
Sic ruit in rupes amisso pisce sodali
Bellua, sulcandas qui praevius edocet undas,
Immensumque pecus parvae moderamine caudae
Temperat, et tanto coniungit foedera monstro,
Illa natat rationis inops, et coeca profundi
Iam brevibus deprensa vadis, ignara reverti
Palpitat, et vanos scopulis illidit hiatus.

Quis divinet, quem ille *piscem sodalem*, quam *belluam* dicat, nisi a Plinio Hist. Nat. 9. Cap. ult. edoctus, de balaenae et musculi societate et amicitia sermonem esse intellexerit. — Ad Rufini immanitatem notandam quum haec (Lib. 1, 224.) posuisset satis perspicua:

Si semel e tantis poscenti quisque negasset,
Effera praetumido quatiebat corda furore.

iam unam *furoris* notionem, in qua nemo haereat, tribus comparationibus exaggerat.

Quae sic Gaetuli iaculo percussa leaena,
Aut Hyrcana premens raptorem bellua Parthum,
Aut serpens calcata furit?

Claudat agmen Statius, qui ubi semel ingenio luxuriantissimo habenas laxavit, impense furit. Is igitur Sylv. 4. 2. Domitiani tranquillitatem vultus maiestatemque describens, quinque etiam comparationibus, iisque longissime repetitis, laudandi adulandique libidinem explet:

Non aliter gelida Rhodopes in valle recumbit
Dimissis Gradivus equis: sic lubrica ponit
Membra Therapnaea resolutus gymnade Pollux:
Sic iacet ad Gangen Indis vlulantibus Evan:
Sic gravis Alcides post horrida iussa reversus
Gaudebat strato latus acclinare leoni.
Parva loquor, nec dum aequo tuos, Germanice, vultus.
Talis ubi Oceani finem, mensasque revisit
Aethiopum, sacro diffusus nectare vultus,
Dux superum secreta iubet dare carmina Musas,
Et Pallenaeos Phoebum laudare triumphos.

Comparationum *ineptiae* variis in rebus cernuntur. Nam in quo nec temporis, nec personae, nec loci, nec dignitatis aut commodi ratio habita est, id omne ineptum dicitur. Harum autem ineptiarum nulla foecundior, luxurie illa, de qua loquimur, mater est. Qui enim scriptores aut poetae, in ornanda oratione, vel imitandi studium et consuetudinem, vel ingenii impetum, vel suam vanitatem sequuntur, raro aut nunquam, quid deceat, rebusque accommodatum sit, curabunt aut videbunt. Itaque quum omnis com-

parationis haec praecipua virtus sit, ut rem propositam illustret, eiusve sensum, vim, dignitatem augeat et commendet, sequitur, comparationes a rebus nimium dissimilibus petitas, aut re comparanda obscuriores, aut iusto latius extensas, aut otioso ornatu instructas, aut personis non accommodatas, *ineptas* recte haberi 62). In quibus quidem comparationum generibus demonstrandis, quoniam veterum poetarum plena exemplorum carmina sunt, nunc ita versabimur, ut exempla non tam collegisse, quam delibasse, videamur.

Si quaerimus comparationes, quae quum sint a rebus nimium dissimilibus obscurisque petitae, obscuritate ipsae laborant, eas magno numero inveniemus apud Valerium Flaccum, qui est in genere tumidior, insolentes sententiarum formas sectans, et in epica quadam gravitate ostentanda luxurians, quam maxime a verborum pondere et orationis difficultate arcessisse

---

62) Cic. de Or. 2, 4. *Qui aut tempus quod postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus dicitur.* Et Quintil. Lib. 11. init. quid sit *apte dicere*, explicaturus, *quum sit*, inquit, *ornatus orationis varius et multiplex, conveniatque aliis alii, nisi fuerit accommodatus rebus ac personis, non modo non illustrabit eam, sed etiam destruet, et vim rerum in contrarium vertet.* Hanc virtutem *aptae orationis* veteres omnino tanti fecere, ut nonnulli in ea summam perfectae eloquentiae ponendam censerent. Insignis locus est Hermogenis Lib. 2. Id. *περὶ δεινότητος.* Ἔστι δὲ τοῦτο μεγάλης καὶ τελεωτάτης ἐπιστήμης, οἶμαι, τὸ χρῆσθαι τοῖς καιροῖς εἰδέναι τε καὶ δύνασθαι. ἡ γὰρ ὡς ὄντως δεινότης, αὕτη ἐστι, καὶ πάσαις ἐννοίαις εἰδέναι, πότε δεῖ, καὶ πρὸς ὄντινα, καὶ ποῦ, καὶ πῶς, καὶ ἐφ᾽ οἷς χρῆσθαι, καὶ μὴ μόνον εἰδέναι, ἀλλὰ καὶ δύνασθαι.

videtur. Sic ille Lib. 7, 560. de Iasone a sociis recedentibus relicto

Fixerat ille gradus, totoque ex agmine solus
Stabat: ut extremis desertus ab orbibus axis,
Quem iam lassa dies, austrique ardentis harenae,
Aut quem Rhipaeas exstantem rursus ad arces
Nix et caerulei Boreae ferus abstulit horror,

in qua comparatione explicanda summi interpretes frustra desudarunt. Alio loco lib. 8. 90. quum draconem descripsisset vi soporifera victum et somno succumbentem, eam comparationem addit, quae, quo pertineat, difficile dictu est.

Ceu refluens Padus, aut septem proiectus in amnes
Nilus, et Hesperium veniens Alpheos in orbem.

Patet illam ortam ex inerti imitatione Apollonii, qui Lib. 4, 151. quum draconem dixisset μηκύνειν μυρία κύκλα, haec satis apte et perspicue cum fluctuum orbibus et flexubus comparaverat:

Οἷον ὅτε βληχροῖσι κυλινδόμενον πελάγεσσι
Κῦμα μέλαν κωφόν τε καὶ ἄβρομον.

Similis obscuritatis exemplum ex rebus dissimilibus et remotis est apud Claudianum de VI. Cons. Honor. vers. 325. sq. ubi ipse Gesnerus, quid sibi septem illi versus velint, quibus comparatio continetur, se non intelligere, fatetur. Multo autem ineptius Libr. II. in Eutrop. 310. sq. Eutropii *dissimulationem* comparat cum fabulosa Struthiocameli consuetudine, qui venatores fugiens oculos claudat, et opinetur se ideo non cerni, quod ipse non cernat. Igitur, quae de Struthiocamelo Plinius H. N. 10, 1. narrat, prius ediscenda sunt, quam poetae verba intelligamus. 63) — Ad

63) Non possum hoc loco a me impetrare, quin iterum Quintiliani miram in poetas manifesto aliquo vitio lapsos

idem ineptiarum genus refero, quod Valerius Flac. Lib. 6, 390. Ariasmenum falcatis curribus ordines Colchorum perfringentem, cum Iove diluvium faciente, ad Pyrrhae genus exscindendum, comparat. Ergo, ut aliqua similitudo esset, ipse poeta addit: *diluvio tali, talibusque excidiis Arismenus urget.* Sed iam illud profecto contortum est et frigidum, quod excidium diluvium dicit. Nempe antea de Arismeno dixerat

saeva diffundit socium iuga

Haec sola *diffundendi* notio caussa fuisse videtur, cur de diluvii imagine cogitaret. [64])

Ad luxuriem illam, de qua loquimur, propius etiam accedit illud comparationum genus, quod longitudine laborat, atque ex nimia describendi cura loquacitatis vitium trahit. In quo genere quum plerumque non tam illustrandi opportunitatem quaeri, quam ornandi vel ludendi occasionem captari videamus, einsmodi comparationes recte ineptas haberi, dubitari non potest. Talis est Silii Ital. Lib. 2, 683 sq. in qua,

---

indulgentiam reprehendam. Is enim Lib. 8, 3. 72. quum doceat, *ad inferendam rebus lucem repertas esse similitudines*, et mox recte praecipiat, *custodiendum esse, ne id, quod similitudinis gratia adscivimus, aut obscurum sit aut ignotum. Debet enim*, ait, *quod illustrandae alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo, quod illuminat*: tamen haec addit: *Quare sane poetis quidem permittamus huiusmodi exempla:*

Qualis, ubi hybernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, aut Delon maternam invisit, Apollo.

Non idem decebit oratorem, ut occultis aperta demonstret. At, quo tandem modo, quod manifestum omnis orationis vitium, Fabi, dixeras, vitandumque praeceperas, solum poetam decere potest?

64) Mirum exemplum comparationis, ex quodam similium notionum lusu ortae, est apud Ovid. Metam. 2, 726. ubi

praeter ornatum, pauca admodum sunt, quae rem narratam, semiambustam Saguntinorum stragem, illustrent, dissimilia autem multa. Tales multae sunt apud Claudianum, intemperantissimum poetam, ut de bello Get. 323. quum Stilichonis fortitudinem laudas-

---

Mercurius Herses amore flagrans comparatur cum plumbo e funda emisso, et in aëre calorem concipiente.

Obstupuit forma Iove natus, et aethera pendens
Non secus exarsit, quam cum balearica plumbum
Funda iacit.

Valde dubito, quin dissimillima illa similitudo, quam ardor amantis, et ardor plumbi e funda emissi habet, in mentem poetae venisset, nisi Mercurium in aethere *pendentem* et quasi *volantem* cogitasset. Sed in eo manifesto lusit, quod non solius caloris rationem habuit, quae erat praecipua, verum etiam Mercurio *volanti* aliquid simile opponere instituit. Ergo necessarium quoque erat, ut vers. 728. 29. doceret, quomodo plumbum illud incalesceret

volat illud et incandescit eundo,
Et, quos non habuit, sub nubibus invenit, ignes.

Quos lusus quum intelligerem ab ingenio Ovidii ceterorumque huius aetatis poetarum non alienos esse, semper tamen haesi in una Homeri comparatione, quam non satis cum summa huius poetae simplicitate coniungere potui. Locus est iu Odyss. 20, 13. ubi Ulysses deliberans de procorum ultione, et mente conturbatus introducitur

κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει

Translate hoc dictum esse, de animo vehementer commoto et concupiscente, manifestum est. Iam haec comparatio sequitur:

ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλακίσσι βεβῶσα
Ἄνδρ' ἀγνοιήσασ' ὑλάει μέμονέν τε μάχεσθαι,
ὡς ῥα τοῦ ἔνδον ὑλάκτει ἀγαιομένου κακὰ ἔργα.

Molestum mihi erat existimare, Homerum τὸ ὑλακτεῖν quum translate dixisset, hoc uno verbo admonitum in canis latrantis comparationem, tam dissimilem, incidisse. Prope abfuit, quin hos tres versus ab aliena manu insertos crederem; praesertim quum hodie, talis audacia non tuta modo, verum etiam honorifica esse soleat,

set, qua *inaccessos brumali sidere montes*, *Nil hiemis caelive memor*, adiisset:

Sic ille relinquens
Ieiunos antro catulos immanior exit
Hiberna sub nocte leo, tacitusque per altas
Incedit furiale nives. Stant colla pruinis
Aspera; flaventes adstringit stiria setas.
Nec meminit leti, nimbosque aut frigora curat,
Dum natis alimenta paret.

In quo loco poeta, dum leonem frigora spernentem tractabat, non satis cavit, ipsae sententiae ne frigerent. Ovidius, quamvis in ipsa loquacitate, in ipsis argutiis, propter ingenii elegantiam et acumen, amabilior et iucundior ceteris poetis, tamen saepe delectam comparandi causa imaginem ita omnibus ex partibus absolvit, ut ad quasdam ineptias deveniat. Sic Met. 1, 533. Apollinem nympham, cuius amore flagrabat, persequentem, cum cane leporem insequente compararaverat:

Ut canis in vacuo leporem quum Gallicus arvo
Vidit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem.

Haec sufficiebant, ad celeritatem et studium persequendi declarandum, quod nunc in tanta causarum persequendi dissimilitudine solum tenendum erat. Sed addidit ea, quae nihil aliud efficere possunt, nisi ut Apollinis cum cane, et nymphae cum lepore similitudinem altius, quam par aut dignum sit, inculcent.

Alter inhaesuro similis, iam iamque tenere
Sperat, et extento stringit vestigia rostro:
Alter in ambiguo est, an sit deprensus, et ipsis
Morsibus eripitur, tangentiaque ora relinquit.
Sic Deus et virgo est: hic spe celer, illa timore.

Neque illum Virgilii, quem imitatus est, exemplum defendat Aen. 12, 749. Nam ibi et Virgilius luxuria-

tur, imitandi consilio et ipse, ut videtur, deceptus: nam Apollon. Rhod. 2, 278. ante oculos habuit. Et tamen apud Virgilium non Deus nympham, sed homo hominem, neque in comparatione canis leporem, sed cervum insequitur; quae omnia ad servandam dignitatem plus faciunt.

In hoc autem loco, quoniam *dignitatis* mentionem fecimus, commemorandum videtur illud genus comparationum, quod quum sit a rebus humilibus, aut nimis tenuibus aut turpibus petitum, non solum dignitate et honestate ipsum caret, sordibusque quibusdam suis sensus elegantes offendit, sed etiam rem propositam elevat, tenuioremque reddit. Atqui omnis comparationis haec vis et ratio esse debet, ut cui rei illustrandae adiuncta fuerit, eam extollat potius et quam maxime commendet. Δεῖ ἐκ τῶν μειζόνων, Demetrius Phalereus ait, μεταφέρειν εἰς τὰ μικρά, οὐ τὸ ἐναντίον. Iam quum ne ab hoc quidem genere veteres poetas latinos se prorsus abstinuisse videamus, iterum nobis illae causae, quibus et ceteras ineptias in poesin latinam inductas cognovimus, imitandi consuetudo, et ornandi libido occurrunt. Arbitramur enim illos, si suum iudicium et suorum temporum elegantiam sequi voluissent, nunquam fuisse probaturos illam rerum imaginumque humilitatem, quae ut erat Homerici aevi simplicitati et ruditati maxime consentanea, ita ab aetatis recentioris elegantia et fastidio abhorrebat. Itaque antiquitatis, inprimis Homericae auctoritas, et imitandi usus eo valuit, ut saepe rudem, humilem et paene sordidam comparandi materiem sumerent, fortasse hoc consilio, quod Quintilianus [65]) in quibusdam antiquitatis admiratoribus damnavit, *ut magnis viris similes viderentur*. Sed ut fit aetate ad luxuriem et ornatum com-

65) Instit. or. 2, 5. 11. cf. Auct. Dial. de Orr. 20.

parata, impexa illa antiquitas comenda et concinnanda, rudis saeculi squalor deterendus, et quodam recenti acumine vel nitore obruendus erat. Hinc multae in illis poetis comparationes ortae sunt, quas, nisi te artis acuminisque praestigiis falli patiaris, ineptas facile agnoscas. Talis, ut mihi quidem videtur, est Claudiani X, 281, Honorii calorem describens, quo novae sponsae obviam ivisset, illum cum equo admissario comparat:

Calet obvius ire
Iam princeps, tardumque cupit discedere solem.
Nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris
Sollicitavit odor, tumidus, quatiensque decoras
Turbata cervice iubas, Pharsalia rura
Pervolat et notos hinnitu flagitat ignes,
Naribus accensis. Mulcet fecunda magistrum
Spes gregis, et pulcro gaudent armenta marito.

Locum satis ornatum verbis et sententiis intelligimus. Talia multo horridius et ineptius dici a poeta minus docto et eleganti poterant. *Nobilem equum* fingit, *decoras iubas*, et *pulcrum maritum* appellat. Verum tamen cum importuno equinae libidinis aestu principis amorem comparari pervidemus. Et ille *odor amoris*, quam humilem vel foedam potius ideam gignit! 66)

Sed inepta poetarum luxuries tum maxime cognoscitur, quum comparandi apparatum et ornatum iis personis tribuunt, quorum animis et affectibus ille ornatus repugnat. Eorum autem, qui oratione aliquid explicant, triplex fere animi affectio fingi potest. Alii enim ita dicunt, ut ad sensus omnia revocent, et ubi-

66) Scita Gesneri ad hunc locum adnotatio est. *Hodie quidem certe*, inquit, *in regio epithalamio hic odor nares modo paullum delicatas corruget.*

que laetas rerum imagines anquirant. Alii gravioribus affectibus commoti loquuntur. Denique inter hos tertium quoddam genus interiectum est eorum, qui neque illa imaginationis laetitia et alacritate exultant, neque hac affectuum gravitate continentur, sed tranquillo potius sermone de rebus vulgaribus confabulantur, vel aliquam rem gestam narrant. Iam si consideramus illa, quae de comparationum origine atque indole supra disputata sunt, eas unius phantasiae opus esse intelligimus. Huius enim solius haec vis est, ut, quum imaginibus concipiendis gaudeat, omnes res ad sensus revocet, et libenter rerum similitudines circumspiciat. Laetior illa quodammodo et mobilior animi nostri virtus existit, quae maxime cupit foras evagari, et, quum aliquam delectationem dicendo aucupetur, nullum lusum aut ornatum detrectat. Ab hac autem ratione animi ira, amore, tristitia, metu, aegritudine commoti affectio multum discrepat. Ita enim ille res, quarum sensu graviter afficitur, unice cogitat, ut ab iis nunquam discedat, ceteraque omnia exigua et levia putet. Qui autem narrant, sedare animos malunt, quam incitare, neque ipsi commoti sunt; de rebus placatis et minime turbulentis, docendi causa, non capiendi, loquuntur. Ex quibus, poetas veteres, ubi vel eos, qui in magno aliquo affectu sunt, vel eos, qui aequo animo narrant aut docent,[67]) comparationibus orationem distinguentes introducunt, quidvis

67) Nisi forte aliquid narrandum aut docendum sit eiusmodi, quod, quum per se obscurum sit, aliqua explicatione opus habet. Igitur in narratione nonnunquam utile fuerit comparatione uti, quae rem obscuram illustret, ita tamen, ut intelligi possit, poetam non tam ornatum in dicendo, quam in narrando perspicuitatem quaesivisse. Talis est Ovidii Metam. 6, 63. sq. Arachne et Pallas de arte textoria inter se certantes narrantur:

potius aliud, quam rectam rationem aut naturam secutos esse, et ita inepte fecisse, intelligitur.

Ex Ovidio huc pertinere mihi videtur Metam. Lib. 5, 600 et sq. quo loco Arethusa se ab Alpheo persequente agitatam non sine angore et sollicitudine narrat. Enimvero ipsa Arethusa, haec narrans aliquoties comparationibus ludit. Manifeste character personae non est servatus a poeta suos ornatus exprimere gestiente. Illo autem vitio inprimis Seneca laboravit, quo nullus prope alius frequentius et luxuriantius morum characterumque veritatem corrupit. Quam inepte is comparationes inseruerit, quum ex multis locis intelligi licet, tum ex Thyest. Act. 3, 498. Ibi Atreo ex adventu fratris Thyestis irae furorem concipienti non satis est, hunc sensum confiteri:

Vix tempero animo, vix dolor frenos capit.

sed et comparationem declamitat, quae usque ad versum 504. deducitur

Sic quum feras vestigat, et longo sagax
Loro tenetur Umber, ac presso vias
Scrutatur ore, dum procul lento suem
Odore sentit, paret, et tacito locum
Rostro pererrat; praeda quum propior fuit,

Utraque festinant cinctaeque ad pectora vestes,
Brachia docta movent, studio fallente laborem.
Illic et Tyrium quae purpura sensit aënum
Texitur, et tenues parvi discriminis umbrae:]

ubi difficilius intellectu fuerit, quas *parvi discriminis umbras* poeta diceret, nisi sequens comparatio sensum expediret:

Qualis ab imbre solet percussus solibus arcus
Inficere ingenti longum curvamine coelum;
In quo diversi niteant quum mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit;
Usque adeo quod tangit idem est: tamen ultima distant.

Cervice tota pugnat, et gestu vocat
Dominum morantem, seque retinenti eripit.

Nempe, ut quivis facile videt, ipsa comparatio separatim spectata, idoneam artem poetae declarat, ut pulcra et affabre facta dici debeat. Sed cum illo loco coniuncta et tributa Atreo his sensibus imbuto, absurdissimae luxuriae exemplum praebet.[68])

Ne Virgilius quidem satis sibi cavisse videtur, ne Librum Aeneidos secundum, qui totus narratione continetur, locis quibusdam distingueret, quorum ornatus et apparatus ab Aeneae narrantis persona abhorreret. Atqui Aeneas narrat prope invitus, reluctatur, narrationem deprecatur

Infandum regina iubes renovare dolorem,
— — quaeque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui;

narrat rem tristem cuius recordatione animum suum praevidet summo dolore affectum iri,

Quis talia fando — temperet a lacrymis!

denique extrema nox narrandi brevitatem suadebat:

— — et iam nox humida coelo
Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter Trojae supremum audire laborem,
Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit,
Incipiam.

Quae omnia ita comparata sunt, ut narrationem simplicem potius et castam et verecundam, quam valde ornatam et quibusdam artificiis poeticis instructam exspectes. Itaque non videntur magnam poetae iniuriam fecisse, qui nonnullas descriptiones et compara-

68) Vid. Additam. ad Sulzer. P. 4. p. 382.

tiones magis poetae ornanti quam Aeneae narranti convenire iudicarunt.[69]) Sed hunc omnem locum de comparationibus tandem relinquamus, et ad reliquas luxuriei poeticae formas et sedes veniamus.

§. 8. [70])

Luxuries 3) *in descriptionibus et imaginibus.*

In orationis poeticae ornamentis insignem locum descriptiones et imagines, quae dicuntur, obtinent. Nam ut nihil ingenio poetico aptius est, quam rerum vel naturae contemplatione, vel vitae humanae usu cognitarum mentionem ità facere, ut ad sensus ipsae propius admoveantur, et tanquam oculis cernantur, ita nihil et ad dicendi copiam ac varietatem uberius, et ad delectationem suavius fingi potest. Trita sententia est, poesin instar esse picturae, quae verborum figuris, tanquam quibusdam coloribus, rerum imagines pingat, phantasiae autem hanc propriam vim esse, ut rerum imagines concipiat, et quae mente comprehensa fuerint, ad sensus revocet, ut non tam animo intelligi, quam conspici oculis videantur. In quo quidem vetustissimos poetas et propior naturae adspectus, et liberior phantasiae impetus ita mirifice adiuvit, ut quo quisque ab utroque genere instructior esset, eo ad res describendas et veluti pingendas aptior propensiorque reperiretur. Sufficiet commemorasse

69) Ita olim Bodmerus (in Museo Conziano Part. 1. p. 101.) de duabus comparationibus Aen. 2, 304. et 625. sq. indicabat: *Die zwey Gleichnisse im zweyten Gesange, das erste von den Sturmwinden, das andere von dem Fallen eines Baumes hergenommen, sind nicht des Aeneas, der erzählen soll, sondern des Zeichners, der in der Werkstätte sitzt.*

70) Inde ab h. l. omnia, quae sequuntur, ex b. auctoris schedis sunt descripta.

Homerum, qui ut omnis virtutis poeticae, ita et huius partis, quae describendo continetur, summus auctor exstitit. Ejus poesin Cicero (Tusc. Quaest. 5, 39.) *picturam* appellat; et quum de ejus caecitate dixisset, quam nonnulli memoriae prodidissent, *quae regio*, inquit, *quae ora*, *qui locus Graeciae*, *quae species formae, quae pugna, quae acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus est, ut, quae ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit?*

Sed quanquam sua quisque poeta vi ingenii, et naturae quodam admonitu impellitur, ut res multas describat, et veluti pingat, tamen, quem rerum describendarum delectum faciat, quem modum teneat, quibus coloribus utatur, quidque omnino sequatur in describendo, haec omnia aetatis, loci, hominumque, inter quos poeta versatur, rationibus definiuntur; atque in his rebus maxime principis poetae et imitatoris discrimen cernitur. Homerico aevo, quam multa in natura, quam multa in vita communi erant, quae, poeta nisi accuratius describeret, vix, ab audientibus certe, intelligi possent? quam multa praeterea, quae, quum ad gentis historiam, geographiam, omnemque antiquitatem pertinerent, scire tum quam maxime omnium interesset. Postea, rerum illarum novitate sublata, et dignitate imminuta, tamen auctoritas poetae ad imitationem valuit. Ad artis Homericae normam omnis poeticae facultatis ratio directa est, idemque, quod supra de comparationibus diximus, in usurpandis quoque descriptionibus et imaginibus accidit, ut, quum ab Homero necessario quodam delectu, et libera phantasiae agitatione, ex media natura, vel ex loci temporisque opportunitate, expressae fuissent, [71]) suo naturali decore carmen or-

---

71) Hunc locum, quem adumbrare tantum et attingere po-

nantes, non, ut ornarent, apparatae, a sequentibus poetis, dissimili opportunitate vel consilio, tanquam lumina quaedam et ornamenta orationis confingerentur. Quomodo in ea re ceteri poetae Graeci, inprimis Alexandrini, versati sint, nunc non quaeremus; et satis manifesta res est. Apud Latinos quidem, de quibus iam loquimur, universa ratio illa, quam Homerum in describendo et pingendo secutum diximus, mutata est. Formas et colores Homericos graeci iam poetae exhauserant. Horum imagines antiquiores Latinorum poetae, ipseque Virgilius partim repetierant, partim varie refinxerant. Secuti sunt poetae, qui non ab illis omnibus solum, sed a Virgilio etiam penderent. Quid ergo his, praeter novitatis aucupium, praeter exaggerandi copiam, praeter ornandi aut ludendi libidinem, relictum erat? Haec imitationis, rei servilis et invidiosae, remedia iam Virgilius, at ita prudenter et moderate, adhibuerat, ut raro in contraria vitia incurreret. Sequentes poetae, quum dissimili ingenio, minori prudentia uterentur, πάντα, ut Aristoteles ait, εἰς τὸ ἄγαν ἁμαρτάνοντες, veluti admissis habenis in omnia luxuriei atque ineptiarum genera irruperunt.

Quodsi igitur deinceps, ex magno numero exemplorum, quibus illorum poetarum carmina referta sunt, paucis tantum utimur, non inopia laborare, sed libelli angustiis circumscribi existimandi erimus. Merito autem primo loco commemorandae sunt imagines illae, quae, quum a vetustissimis poetis ex apertae et obviae naturae adspectu adumbratae essent, re-

---

tui, acutissime, et elegantissime, ut omnia solebat, Garvius explicuit in Commentatione de Operum veterum et recentiorum auctorum discriminibus, Novae Biblioth. bon. Art. Lips. Vol. X. inserta, p. 192. sq. cf. etiam Woodius de ingen. Homeri p. 99.

centioris artis et ornatus fucum inprimis manifeste declarant. Qua enim aetate homines, pro vitae morumque ratione, et ipsam naturam propius intuentur, et ejus vicissitudines, maxime eas, quae sole, luna, sideribusque efficiuntur, quadam recenti admiratione considerant, tali aetate poetam felici phantasia instructum nihil magis decet, quam temporum, diurni, nocturni, caeterorumque varietatem, ipsorum siderum, quae illam gignunt, imaginibus e natura haustis significare. Ita factum esse videmus ab Homero, quoties dies illucescens, vel nox ingruens, vel meridies, vel aliud tempus declarandum erat. Harum imaginum naturalis decor, et accommodata eloquentiae poeticae dignitas, omnibus sequentibus poetis earum usum ita commendabat, ut paene ad propriae orationis simplicitatem referri, et iucundae varietatis gratia adhiberi viderentur. [72]) Sed ex his tamen plerique solitis imitationis periculis succubuerunt. Nota, obsoleta, vulgaria erant, quae naturae aspectu Homerus arripuerat. Novis formis imagines induendae, novi colores miscendi erant. Quae natura negabat, ab arte, ab acumine, a doctrina petebantur. Quarum rerum studium produxit describendi pingendique luxuriem illam, quae, quo erat ad varietatem atque ostentationem aptior, eo longius a recto iudicio, a vera elegantia, et a decori intelligentia animos abducebat.

Ovidius quidem in hoc imaginum genere, de quo loquimur, cum summa varietate eam tamen brevitatem et colorum verecundiam coniunxit, ut magis vir-

---

72) His argumentis Heynius Virgilium contra Homium defendit, qui Princip. Crit. P. 3. Cap. 21. descriptionem solis orientis, Aeneid. 4, 6. ut alienam et nimii ornatus reprehenderat. Ut concedamus, Virgilio in hoc quidem loco injuriam ab Homio factam esse, tamen veremur, ne in aliis locis illa defensio alienior sit.

nantes, non, ut ornarent, apparatae, a sequentibus poetis, dissimili opportunitate vel consilio, tanquam lumina quaedam et ornamenta orationis confingerentur. Quomodo in ea re ceteri poetae Graeci, inprimis Alexandrini, versati sint, nunc non quaeremus, et satis manifesta res est. Apud Latinos quidem, de quibus iam loquimur, universa ratio illa, quam Homerum in describendo et pingendo secutum diximus, mutata est. Formas et colores Homericos graeci iam poetae exhauserant. Horum imagines antiquiores Latinorum poetae, ipseque Virgilius partim repetierant, partim varie refinxerant. Secuti sunt poetae, qui non ab illis omnibus solum, sed a Virgilio etiam penderent. Quid ergo his, praeter novitatis aucupium, praeter exaggerandi copiam, praeter ornandi aut ludendi libidinem, relictum erat? Haec imitationis, rei servilis et invidiosae, remedia iam Virgilius, at ita prudenter et moderate, adhibuerat, ut raro in contraria vitia incurreret. Sequentes poetae, quum dissimili ingenio, minori prudentia uterentur, πάντα, ut Aristoteles ait, εἰς τὸ ἄγαν ἁμαρτάνοντες, veluti admissis habenis in omnia luxuriei atque ineptiarum genera irruperunt.

Quodsi igitur deinceps, ex magno numero exemplorum, quibus illorum poetarum carmina referta sunt, paucis tantum utimur, non inopia laborare, sed libelli angustiis circumscribi existimandi erimus. Merito autem primo loco commemorandae sunt imagines illae, quae, quum a vetustissimis poetis ex apertae et obviae naturae adspectu adumbratae essent, re-

---

tui, acutissime, et elegantissime, ut omnia solebat, Garvius explicuit in Commentatione de Operum veterum et recentiorum auctorum discriminibus, Novae Biblioth. bon. Art. Lips. Vol. X. inserta, p. 192, sq. cf. etiam Woodius de ingen. Homeri p. 99.

entioris artis et ornatus fucum inprimis manifeste eclarant. Qua enim aetate homines, pro vitae moumque ratione, et ipsam naturam propius intuentur, t ejus vicissitudines, maxime eas, quae sole, luna, ideribusque efficiuntur, quadam recenti admiratione onsiderant, tali aetate poetam felici phantasia intructum nihil magis decet, quam temporum, diurni, octurni, caeterorumque varietatem, ipsorum sideum, quae illam gignunt, imaginibus e natura haustis significare. Ita factum esse videmus ab Homero, uoties dies illucescens, vel nox ingruens, vel meriies, vel aliud tempus declarandum erat. Harum maginum naturalis decor, et accommodata eloquentiae poeticae dignitas, omnibus sequentibus poetis arum usum ita commendabat, ut paene ad propriae rationis simplicitatem referri, et iucundae varietatis ratia adhiberi viderentur. [72]) Sed ex his tamen pleique solitis imitationis periculis succubuerunt. Nota, bsoleta, vulgaria erant, quae naturae aspectu Homeus arripuerat. Novis formis imagines induendae, novi olores miscendi erant. Quae natura negabat, ab rte, ab acumine, a doctrina petebantur. Quarum erum studium produxit describendi pingendique luxuiem illam, quae, quo erat ad varietatem atque ostenationem aptior, eo longius a recto iudicio, a vera legantia, et a decori intelligentia animos abducebat.

Ovidius quidem in hoc imaginum genere, de quo quimur, cum summa varietate eam tamen brevitam et colorum verecundiam coniunxit, ut magis vir-

72) His argumentis Heynius Virgilium contra Homium defendit, qui Princip. Crit. P. 3. Cap. 21. descriptionem solis orientis, Aeneid. 4, 6. ut alienam et nimii ornatus reprehenderat. Ut concedamus, Virgilio in hoc quidem loco injuriam ab Homio factam esse, tamen veremur, ne in aliis locis illa defensio alienior sit.

nantes, non, ut ornarent, apparatae, a sequentibus poetis, dissimili opportunitate vel consilio, tanquam lumina quaedam et ornamenta orationis confingerentur. Quomodo in ea re ceteri poetae Graeci, inprimis Alexandrini, versati sint, nunc non quaeremus; et satis manifesta res est. Apud Latinos quidem, de quibus iam loquimur, universa ratio illa, quam Homerum in describendo et pingendo secutum diximus, mutata est. Formas et colores Homericos graeci iam poetae exhauserant. Horum imagines antiquiores Latinorum poetae, ipseque Virgilius partim repetierant, partim varie refinxerant. Secuti sunt poetae, qui non ab illis omnibus solum, sed a Virgilio etiam penderent. Quid ergo his, praeter novitatis aucupium, praeter exaggerandi copiam, praeter ornandi aut ludendi libidinem, relictum erat? Haec imitationis, rei servilis et invidiosae, remedia iam Virgilius, at ita prudenter et moderate, adhibuerat, ut raro in contraria vitia incurreret. Sequentes poetae, quum dissimili ingenio, minori prudentia uterentur, πάντα, ut Aristoteles ait, εἰς τὸ ἄγαν ἁμαρτάνοντες, veluti admissis habenis in omnia luxuriei atque ineptiarum genera irruperunt.

Quodsi igitur deinceps, ex magno numero exemplorum, quibus illorum poetarum carmina referta sunt, paucis tantum utimur, non inopia laborare, sed libelli angustiis circumscribi existimandi erimus. Merito autem primo loco commemorandae sunt imagines illae, quae, quum a vetustissimis poetis ex apertae et obviae naturae adspectu adumbratae essent, re-

---

tui, acutissime, et elegantissime, ut omnia solebat, Garvius explicuit in Commentatione de Operum veterum et recentiorum auctorum discriminibus, Novae Biblioth. bon. Art. Lips. Vol. X. inserta, p. 192. sq. cf. etiam Woodius de ingen. Homeri p. 99.

centioris artis et ornatus fucum inprimis manifeste declarant. Qua enim aetate homines, pro vitae morumque ratione, et ipsam naturam propius intuentur, et ejus vicissitudines, maxime eas, quae sole, luna, sideribusque efficiuntur, quadam recenti admiratione considerant, tali aetate poetam felici phantasia instructum nihil magis decet, quam temporum, diurni, nocturni, caeterorumque varietatem, ipsorum siderum, quae illam gignunt, imaginibus e natura haustis significare. Ita factum esse videmus ab Homero, quoties dies illucescens, vel nox ingruens, vel meridies, vel aliud tempus declarandum erat. Harum imaginum naturalis decor, et accommodata eloquentiae poeticae dignitas, omnibus sequentibus poetis earum usum ita commendabat, ut paene ad propriae orationis simplicitatem referri, et iucundae varietatis gratia adhiberi viderentur. 72) Sed ex his tamen plerique solitis imitationis periculis succubuerunt. Nota, obsoleta, vulgaria erant, quae naturae aspectu Homerus arripuerat. Novis formis imagines induendae, novi colores miscendi erant. Quae natura negabat, ab arte, ab acumine, a doctrina petebantur. Quarum rerum studium produxit describendi pingendique luxuriem illam, quae, quo erat ad varietatem atque ostentationem aptior, eo longius a recto iudicio, a vera elegantia, et a decori intelligentia animos abducebat.

Ovidius quidem in hoc imaginum genere, de quo loquimur, cum summa varietate eam tamen brevitatem et colorum verecundiam coniunxit, ut magis vir-

72) His argumentis Heynius Virgilium contra Homium defendit, qui Princip. Crit. P. 3. Cap. 21. descriptionem solis orientis, Aeneid. 4, 6. ut alienam et nimii ornatus reprehenderat. Ut concedamus, Virgilio in hoc quidem loco injuriam ab Homio factam esse, tamen veremur, ne in aliis locis illa defensio alienior sit.

tutis exemplum praeivisse, quam vitiosae luxuriei documentum dedisse existimari debeat: sive quod rebus notis et vulgaribus magnam operam impendere noluit, sive quod intelligebat, in tam frequenti illarum imaginum usu, quem argumenti ratio adferebat, copiam ridiculam esse. Plerumque igitur illas temporum declarationes uno versu absolvit, ut Metam. III, 149.

— altera lucem
Cum croceis invecta rotis Aurora reducet.

vel VII, 100.

Postera depulerat stellas Aurora micantes.

vel vers. 663.

Iubar aureus extulerat Sol.

et vers. 835.

Postera depulerant Aurorae lumina noctem.

Satis etiam moderate versatus est in illis temporibus notandis, quorum tanquam forma variis partibus et membris composita, impeditiorem significationem reddebat, ut in crepusculi vespertini descriptione Met. 4, 399. sq.

Iamque dies exactus erat, tempusque subibat,
Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem;
Sed cum luce tamen dubiae confinia noctis.

Cum hoc Ovidiani acuminis eleganti lusu [73]), frigidam Silii luxuriem comparemus. Qui, quum in Li-

---

73) Quamvis saepe etiam lusit alieno in loco, ut, quum pastorem perturbatum et festinantem introducit, meridianum tempus ita declarantem, Metam. 11, 313.

— medio quum Sol altissimus orbe
Tantum respiceret, quantum superesse videret.

Haec poetae sunt acute ludentis, non pastoris cum metu et trepidatione narrantis.

vio suo (Lib. 22, 4.) legisset, Flaminium postero die, *vixdum satis certa luce*, angustiis superatis, agmen hostium adspexisse, hanc crepusculi matutini imaginem effinxit:

Et iam curriculo nigram nox roscida metam
Stringebat, nec se thalamis Titonia coniux
Protulerat, stabatque nitens in limine primo,
Quum minus abnuerit noctem desisse viator,
Quam coepisse diem. [74])

Sed haec parva sunt. Quid sit, totos ληκύθους effundere, et pigmentis inundare tabulam, in Valerii Flacci et Statii officinis cognoscamus. Ille quidem Argonaut. 4, 90. sq. in media narratione, quum diei noctem sequentis mentio facienda esset, hanc Solis orientis effigiem fabricatus est:

Interea, magni iamiam subeuntibus astris
Oceani genitale caput, Titania frenis
Antra sonant: Sol auricomus, cingentibus Horis,
Multifidum iubar et bisseno sidere textam
Loricam induitur: ligat hanc, qui nubila contra
Balteus undantem variat mortalibus arcum.
Inde super terras et Eoi cornua montis
Emicuit, traxitque diem condentibus undis:
Et Minyas viso liquerunt flumina Phoebo.

Statius autem Lib. 2. Theb. 134. sq. quum narrare vellet Adrastum aliosque heroes *mane* lectis se levasse, mirum est, quo phantasiae saltu repente in hanc imaginem inciderit:

---

74) Artifici illi pictorem naturae Homerum opponamus. Iliad. X, 250.

— μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἔγγυθι δ' ἠώς.
Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε· παρῴχηκεν δὲ πλέω νὺξ,
τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται.

tutis exemplum praeivisse, quam vitiosae luxuriei documentum dedisse existimari debeat: sive quod rebus notis et vulgaribus magnam operam impendere noluit, sive quod intelligebat, in tam frequenti illarum imaginum usu, quem argumenti ratio adferebat, copiam ridiculam esse. Plcrumque igitur illas temporum declarationes uno versu absolvit, ut Metam. III, 149.

— altera lucem
Cum croceis invecta rotis Aurora reducet.

vel VII, 100.

Postera depulerat stellas Aurora micantes.

vel vers. 663.

Iubar aureus extulerat Sol.

et vers. 835.

Postera depulerant Aurorae lumina noctem.

Satis etiam moderate versatus est in illis temporibus notandis, quorum tanquam forma variis partibus et membris composita, impeditiorem significationem reddebat, ut in crepusculi vespertini descriptione Met. 4, 399. sq.

Iamque dies exactus erat, tempusque subibat,
Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem;
Sed cum luce tamen dubiae confinia noctis.

Cum hoc Ovidiani acuminis eleganti lusu [73]), frigidam Silii luxuriem comparemus. Qui, quum in Li-

---

73) Quamvis saepe etiam lusit alieno in loco, ut, quum pastorem perturbatum et festinantem introducit, meridianum tempus ita declarantem, Metam. 11, 313.

— medio quum Sol altissimus orbe
Tantum respiceret, quantum superesse videret.

Haec poetae sunt acute ludentis, non pastoris cum metu et trepidatione narrantis.

vio suo (Lib. 22, 4.) legisset, Flaminium postero die, *vixdum satis certa luce*, angustiis superatis, agmen hostium adspexisse, hanc crepusculi matutini imaginem effinxit:

Et iam curriculo nigram nox roscida metam
Stringebat, nec se thalamis Titonia coniux
Protulerat, stabatque nitens in limine primo,
Quum minus abnuerit noctem desisse viator,
Quam coepisse diem. [74])

Sed haec parva sunt. Quid sit, totos ληκύθυς effundere, et pigmentis inundare tabulam, in Valerii Flacci et Statii officinis cognoscamus. Ille quidem Argonaut. 4, 90. sq. in media narratione, quum diei noctem sequentis mentio facienda esset, hanc Solis orientis effigiem fabricatus est:

Interea, magni iamiam subeuntibus astris
Oceani genitale caput, Titania frenis
Antra sonant: Sol auricomus, cingentibus Horis,
Multifidum iubar et bisseno sidere textam
Loricam induitur: ligat hanc, qui nubila contra
Balteus undantem variat mortalibus arcum.
Inde super terras et Eoi cornua montis
Emicuit, traxitque diem condentibus undis:
Et Minyas viso liquerunt flumina Phoebo.

Statius autem Lib. 2. Theb. 134. sq. quum narrare vellet Adrastum aliosque heroes *mane* lectis se levasse, mirum est, quo phantasiae saltu repente in hanc imaginem inciderit:

---

74) Artifici illi pictorem naturae Homerum opponamus. Iliad. X, 250.

— μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἔγγυθι δ' ἠώς.
Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε· παρῴχηκεν δὲ πλέω νὺξ,
τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται.

Et iam Mygdoniis elata cubilibus alto
Expulerat coelo gelidas Aurora tenebras,
Rorantes excussa comas, multumque sequenti
Sole rubens: illi roseus per nubila seras
Advertit flammas, alienumque aethera tardo
Lucifer exit equo, donec pater igneus orbem
Impleat, atque ipsi radios vetat esse sorori.
Quum senior Talaonides etc.

Neque dissimilis furor est, quo is, ut *noctis ingruentis* scenam pingeret, penicillum suum his coloribus tinxit:

Solverat Hesperii devexo margine ponti
Flagrantes Sol pronus equos, rutilamque lavabat
Oceani sub fonte comam, cui turba profundi
Nereos et rapidis accurrunt passibus Horae,
Frenaque, et auratae textum sublime coronae
Deripiunt: laxant roseis humentia loris
Pectora; pars meritos vertunt ad molle iugales
Gramen, et erecto currum temone supinant.
Nox subiit, curasque hominum, motusque ferarum
Composuit, nigroque polos involvit amictu.

In argutissimis descriptionibus est illa, qua Theb. 6, 238. *nonum diem illuxisse* ita docet:

Roscida iam novies coelo dimiserat astra
Lucifer, et totidem Lunae praevenerat ignes
Mutato Nocturnus equo. Nec conscia fallit
Sidera, et alterno deprenditur unus in ortu.

quo in loco doctae inprimis ineptiae sunt, quod addit de Lucifero: *nec conscia fallit* etc. ut doceat, Luciferum dici stellam vespertinam et matutinam uno nomine. Iam horum artifex quam contemserit illa Homerica!

— ἠέλιος κατέδυ, καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθε.
— ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς.

vel haec longiora Iliad. 8, 485. 86.

Ἐν δ' ἔπεσ' ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο,
Ἕλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.

Sed veniamus ad aliud descriptionum genus, quod multo latius patet, et ab Homero primum inductum, deinceps a sequentibus poetis magna contentione et varietate repetitum atque usurpatum est. Id autem hanc maxime vim habet, ut, quae vulgari sermone universe dici soleant, a poeta singulatim et suis partibus enumerandis exponantur. Homerus quidem eam rationem tum in multis vitae actionibus commemorandis [75]) tum vero in catalogo navium, in copiarum, ducum bellicorum et pugnarum vario recensu declaraverat. Ac multa erant, quae poetae hanc narrandi formam commendarent. Primum phantasiae poeticae hoc inprimis proprium esse videtur, ut se non facile universarum notionum veluti angustiis adstringat, sed liberius per rerum singulas partes evagetur. Deinde illa quidem aetate ea ratio et magnam perspicuitatem et ex maiori miratione delectationem quoque habebat, quum plerarumque rerum, etiam earum, quae ad vitam communem, ad bellum, ad religionem pertinerent, scientiam soli propemodum poetae tenerent. Quae nostris temporibus inanis et molesta loquacitas esset, tum gravis erat et salutaris et paene necessaria copia, quae et erudiret, et iu-

---

75) V. c. ubi aliquem heroem, Deum, Deamve se *armasse*, *induisse*, vel ubi *mactatam* hostiam narrat. cf. Iliad. 5, 328. 5, 722. et 734. 7, 314. 18, 346. quamvis non semper, nec ubi opportunitas esset, hac copia utitur, ut Iliad. 7, 103. et 207. — Notabilis locus est Il. 14, 315. ubi, quum Iupiter Iunonis amore captus, huic dicere vellet, se nunquam aliam feminam ardentius amasse, quam nunc ipsam amet et concupiscat, omnes ac singulas amasias suas, quibuscum unquam rem habuerit, Iunoni nominatim recenset.

cunde teneret animos. [76]). Illa autem navium et militum ampla recensio, quam Iliados liber secundus habet, ita cum omni re publica Graecorum coniuncta existimabatur, ut pro insigni geographiae et genealogiae Graecae monumento haberetur, legibusque constitutum esset, ut ille navium catalogus quotannis publice praelegeretur, atque à iuventute edisceretur.

Illae autem omnes causae, quae in Homero plurimum valebant, apud poetas recentiores eorumque aequales nullam amplius vim habere poterant. Nam et populorum, etiam Latinorum, natales, domicilia, fata, res gestae, aliunde satis innotuerant, nec antiquitatis tanta auctoritas aut sanctimonia erat, ut poe-

---

76) Tamen ea vel dicendi vel ornandi consuetudo antiquioribus criticis ita visa est abhorrere a dignitate poetica, ut nonnulli illam tanquam luxuriem quandam in Homero adeo reprehenderent. Sic Iliad. 18, 39—49. longus recensus Nereidum ad plorantem Thetidem confluentium (quem recensum et ab Argolico exemplo abfuisse Callistratus prodiderat) a Zenodoto primum, deinde ab Aristarcho nimius putabatur. Quam rem e scholiis Venetis ad illum locum Homeri commemoravit Wolfius in Prolegom. ad Hom. p. CCLVIII. Neque Virgilius in simili Nympharum recensu Georg. 4, 336. illius loci immemor fuit. Sed utriusque poetae opportunitas contendenda est. Apud Homerum quidem summa res agitur. Patrocli interfecti nuntius adfertur; Achilles luctu prope insanit: omnis domus eiulatibus ancillarum personat. Audit Thetis, eiulat ipsa, et cum ea omnes Nereides. Iam necessarium prope phantasma poetae animo iniiciebatur, Nereidum chorum ut veluti oculis subiiceret, quo maior concursus et funestior planctus videretur. Hinc illa, postquam multas enumerasset, summam vim accipiunt:

"Ἄλλαι θ' αἳ κατὰ βένθος ἁλὸς Νηρηΐδες ἦσαν,
Τῶν δὲ καὶ ἀργύφεον πλῆτο σπέος αἱ δ' ἅμα πᾶσαι
Στήθεα πεπλήγοντο· Θέτις δ' ἐξῆρχε γόοιο·
Κλῦτε, κασίγνηται Νηρηΐδες, ὄφρ' εὖ πᾶσαι
Εἴδετ' ἀκούσασαι, ὅσ' ἐμῷ ἔνι κήδεα θυμῷ.

tarum institutio in eo genere valde requireretur. Rebus, temporibus, hominibus mutatis, forma tamen dicendi antiqua, Homeri exemplo celebrata et consecrata placebat. Quam copiam varietatemque narrandi Homerus, e natura haustam, suis hominibus ac temporibus accommodaverat, eam totam poetae latini ita adhibebant, ut imitandi sollertiam suam, et acumen, et artem et doctrinam vel exercerent, vel ostenderent. Quibus rebus factum est, ut illi, dum rationem Homericam variare, mutare, refingere, amplificare conabantur, in summam luxuriem inciderent, et descriptionum imaginumque monstra parerent. A nullo igitur poeta, qui quidem argumentum grave et epicum, atque inprimis res bellicas tractandas sumsisset, copiarum enumeratio praetermissa est. Neque id poetarum consilium universe reprehendendum videtur. Nam quum Homeri exemplo commendatur, et per se magnam dignitatem habet, tum, si idoneum poeta delectum et iudicium adhibuerit, singularem quoque mirationem legentibus et oblectationem adferre potest. Itaque Virgilius, quamvis singulis in partibus nimii ornatus, et affectatae artis quaedam vestigia reliquit, tamen toto genere ita se praestitit, ut magni et elegantis poetae existimationem facile tueretur [77]). Huius autem exemplum maxime effecit, ut ceteri, inprimis Lucanus, Valer. Flaccus, Statius et Silius, imitandi studio, certandique aemulatione abrepti, dissimili iudicio et elegantia, omnia luxuriosae eloquentiae genera consumerent [78]). Omnes haud dubiae Silius redundantia et ineptiis superavit, qui, quum ad

77) De hac re legenda sunt, quae Heynius ad Virgil. Aen. 7, 747. et in Excurs. 8. ad h. l. docte et acute disseruit.

78) Vid. Lucan. Phars. I, 392. sq. III, 169. et 214. Valer. Fl. Argon. VI. ab init. Sil. Ital. 3, 222. et 8, 351. Stat. 4. Theb. 32. sq.

hunc locum pervenit, toto sacco antiquitatis, geographiae, philosophiae, mythologiae copias effundit, ut non tam aliquam carminis universae particulam tractare, quam potius in gentium vitis moribusque describendis unice laborare videatur.

Sed praeter hoc amplum descriptionum genus, quod, quia maioris molis est, facilius et animadverti et iudicari potest, apud eosdem poetas aliae angustiores describendi formae reperiuntur, ex eadem illa consuetudine Homerica ductae, qua res universa partibus suis discreta enunciatur atque explicatur. In his non solum luxuriem in tractando et ornando, sed et in collocando summam saepe ἀτοπίαν declararunt, ut eos non tam carmini consuluisse, quam ingenio temere indulsisse, et suae vanitati serviisse, facile intelligatur. Nam haec redundantia plerumque res gravissimas diluit, mentisque calorem sententiarum alienarum frigore expellit. Huius generis exemplis plena carmina sunt inprimis Ovidii, qui raro solet aliquid universe dictum relinquere, priusquam omnibus tanquam elementis resolutum explicuerit, non ut illustret, sed ut ornare, ut ludere, ut lascivire spargendis sententiarum acuminibus possit. Locus est diluvii descriptione nobilis Metam. 1, 253. sq. at iam olim a Seneca,[79]) ob luxuriem et lasciviam reprehensus.

---

79) Quaest. nat. 3, 27. „Ille poetarum ingeniosissimus, inquit, egregie illud pro magnitudine rei dixit:

Omnia pontus erant, deerant quoque litora ponto,

nisi tantum impetum ingenii et materiae ad pueriles ineptias reduxisset:

Nat lupus inter oves; fulvos vehit unda leones,

Non est res sobria, lascivire devorato orbe terrarum. Dixit ingentia, et tantae confusionis imaginem cepit quum dixit:

Exspatiata ruunt per apertos flumina campos
— — pressaeque labant sub gurgite turres,

Illam rei atrocissimae descriptionem, quum poeta idonea arte et ornatu instructam eo usque deduxisset, ut dicere posset, *omnia pontus erant*; iam hic non quiescit, sed eam unam sententiam miris imaginum lusibus per viginti versus extenuat.

Omnia pontus erant; deerant quoque litora ponto.
Occupat hic collem: cymba sedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat.
Ille super segetes, aut mersae calmina villae
Navigat: hic summa piscem deprendit in ulmo.
Figitur in viridi, si fors tulit, ancora prato:
Aut subiecta terunt curvae vineta carinae,
Et modo qua graciles gramen carpsere capellae,
Nunc ubi deformes ponunt sua corpora phocae.
Mirantur sub aqua lucos, urbesque, domosque
Nereides, silvasque tenent delphines, et altis
Incursant ramis, agitataque robora pulsant.
Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones,
Unda vehit tigres: nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato prosunt velocia cervo.
Quaesitisque diu terris, ubi sidere detur,

Magnifice hoc, si non curavit, quid lupus et oves faciant. Natari autem in diluvio, et in illa rapina potest? aut non eodem impetu pecus omne, quo raptum erat, mersum est? Concepisti imaginem, quantam debebas, obrutis omnibus, coelo ipso in terram ruente. Perfer; scias quid deceat, si cogitaveris orbem terrarum natare." — cf. quae de Horatio et Virgilio in eodem argumento luxuriantibus notavit Mitscherlich V. C. ad Horat. Od. 1, 2, 7. Simili luxurie Claudianus de Bello Gild. 499. sq. gravem sententiam,

Certa fides coeli, sed maior Honorius auctor,

enumerandis tempestatum signis singulis enervavit. Scite ad h. l. Gesnerus, *exaggerat, ut solet,* inquit, *auctor noster sententiam, et veluti humore astuto diluit.*

In mare lassatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immensa licentia ponti,
Pulsabantque novi montana cacumina fluctus.

Lib. II, 216. sq. quum Phaetontis vitio ex curru Solis fluvios siccatos, et montes exustos memorans, hunc veluti terminum imaginis posuisset,

— *silvae cum montibus ardent;*

iam has silvas et montes, et mox omnes fluvios tum notos, longo ordine, et miris verborum sententiarumque flexibus recenset.

Nihil potest fingi luxuriantius vel magis ludicrum, illa singulorum canum recensione, qui Actaeonem in cervum mutatum persecuti sint Met. III, 206—25. ubi ipse poeta recensionis molestiam sentiens et excusaturus addit,

— *quasque referre mora est.*

Similem luxuriem habet enumeratio arborum, quae Orphei cantu notae fuerint, Met. X, 90. sq. ubi inprimis epithetorum singulis arboribus attributorum copia mirum ornandi et comendi studium arguit. Quid autem reliquos poetas loquar? qui Ovidii nec ingenium nec elegantiam assecuti, in hoc quoque genere ornamentorum arte rhetorica inepte abusi sunt. Pauca igitur exempla sufficient, ut ceterorum innumerabilium vestigia noscantur. Apud Statium Sylv. 1, 2. vers. 183. sq. Venus inducitur Violantillam ad amorem conjugalem perductura hoc quasi prooemio:

Quas ego non mentes, quae non face corda iugavi?

Hactenus quidem bene, ut amoris universalitas intelligatur. Jam autem poeta, Lucretii (Lib. 1. init.) et Homeri (Hymn. in Venerem) memor, qui, dum vim Veneris describunt, per varias partes eum locum amplificant, ita pergit:

Alituum pecudumque mihi, durique ferarum
Non renuere greges — *etc.*

Sed ohe! satis est, ut poetam cognoscamus, qui, dum ornare copia oratoria carmen suum studet, importuna imitatione utitur. Nisi forte venustum dicamus, tali argumento virgini amorem commendare. Caetera argumenta, quamvis et ipsa inepto in loco cumulata, non prorsus damno. Ab illo uno si se abstinuisset poetae luxuries, non esset, quod valde offenderet: hanc unam maculam inussit.

Claudianus de Rapt. Pros. 140. quum dixisset Cererem filiam suam in Siciliam relegasse, non potest sibi temperare, quin de Trinacria et Aetna referat, quaecunque miraculose ab aliis tradita essent. Haec scilicet colores poeticos miscendi opportunitas praetermittenda non erat.

Auctor carminis ad Messalam (v. Tibull. 4, 1.) quum laudasset Messalae sollertiam forensem oratoris, et idcirco cum Nestore et Ulysse eum comparasset, iam vastam descriptionem aggreditur, qua in errores Ulyssis evagatur. Nihil potest ab hoc loco et consilio poetae alienius fingi, nihilque plenius declarare, istius generis poetas quaedam exercitia poetica fecisse, ut vires experirentur, vel ut artem et doctrinam suam spectandam exponerent.

Claudiano de Laud. Stilich. 1, 25. non satis est in universum haec annotasse: *mortalibus perfectam sortem non contingere*; sed hanc unam sententiam usque ad vers. 33. per partes docet, et in his ipsis partibus variandis mire luxuriat, praeeuntem quidem Homerum secutus (Iliad. V, 750.) qui tamen hanc rem tribus versibus summa cum simplicitate absolvit.

Agmen Silius claudat, cuius ineptissima in hoc quoque genere et frequentissima luxuries deprehenditur. Lib. 13, 460. Appii umbra Scipionem in Tartaris versantem rogat, ut corpus suum quantocius com-

burendum curet. Scipio non hoc solum se facturum promittit, sed etiam, prorsus ridicule et absurde, varios populorum ritus recenset, quibus in mortuis sepeliendis uti soleant.

Ne Lucretius quidem, ad severitatem quandam potius et simplicitatem dicendi, quam ad ornandi ludendique libidinem comparatus poeta, cavere sibi potuit, ne in loco inepto doctrinam poeticam expromeret. Lib. 1, 717. in iis, qui e quatuor elementis omnia produci tradiderint, Empedoclem eminere dicit. Eum obiter Acragantinum, hoc est, e Sicilia ortum, appellat. Iam igitur hinc Siciliam, miro quodam ingenii saltu, a sedatissima oratione ad poeticum furorem repente delatus, magnificis verbis et sententiis describit. In difficili sane argumento poeta versabatur. Rerum, quas tractabat, arida et ieiuna subtilitas adscito aliunde ornatu condienda erat. Quod quamvis in multis locis praeclare consecutus est, saepe tamen non satis cavit, ne ille ornatus cum rerum simplicitate aspere et inepte concurreret. Sic Lib. 2, 143. meo quidem sensu, alienus ab argumenti praesentis tenuitate ornatus est, quo Aurorae advenientis imaginem instruxit:

Primum Aurora novo quum spargit lumine terras,
Et variae volucres nemora avia pervolitantes
Aera per tenerum liquidis loca vocibus opplent.

Primum versum si tenuisset, reliquis omissis, apto locus ornatu non caruisset.

Nuspiam vero luxuriei illius manifestior culpa cognoscitur, quam ubi quaesita orationis copia atque ornamentorum apparatus dicentium moribus affectibusque repugnat. Nam quum ipsum per se turpe sit unicuique, vel non videre vel non curare, quid deceat, quidve personis ac temporibus congruat, tum facile intelligitur, poetam, qui hoc vitio laboret, non rei

tractandae, sed sui maxime rationem habuisse. Cuius quidem vanitatis exempla quaerentibus nobis nullus poetarum Latinorum prior, quam Seneca tragicus, occurrebat, qui nescio an caeteros omnes hoc quoque genere luxuriei superaverit. Quotiescunque enim huic se occasio offert, splendida descriptione aliqua, eloquentiam, doctrinam vel furorem quendam poeticum ostendendi, toties ingenio indulget, nec decori memor, nec rei praesentis dignitatem vel utilitatem curans. Sic Oed. Act. 2, 210. ubi Oedipus Creontem interrogat, quem Laji interfectorem oraculum ediderit, iam Creon non dicit id, quod ad rem et ad Oedipum pertineat; sed ipsum oraculum, furorem sacerdotis Delphici, et omnem sacrorum illorum apparatum, effusa verborum et sententiarum copia, narrat. Ipse igitur poeta, non persona tragica haec loquitur. Atque eius generis ceterae omnes tragoediae exemplorum plenae sunt. 80).

Mira Claudiani incogitantia est, quam in soliloquio Alarici ornando declaravit de VI. Cons. Honor. vers. 286 sq. Alaricus non sine affectu aegritudinis et paene desperationis loquitur:

— *stipatus adhuc, equitumque catervis*
Integer, ad montes reliquo cum robore cessi,
Quos Appenninum perhibent. Hunc esse ferebat
Incola, qui Siculum porrectus ad usque Pelorum
Finibus ab Ligurum populos complectitur omnes
Italiae, geminumque latus stringentia longe
Utraque perpetuo discriminat aequora tractu.

Huius orationis ἀτοπίαν acute vidit Gesnerus. *Vera*, inquit, *et pulcra Apennini descriptio, sed quam*

80) Cf. Thyest. 4, 642. sq. et quae de ea re disputavit Jacobs V. C. ad Senecam in Supplement. Sulzer. P. IV. p. 382. sq.

ex antiquioribus ad eam dicendi formam vel casus adpulisset, vel singularis ingenii consuetudo inclinasset. Praecipue vero e Rhetorum scholis et declamandi exercitationibus hoc genus dicendi ortum et ad poeticam artem propagatum fuisse mihi videtur. Constat enim,

---

nandi atque expoliendi praestitit. vid. Heyn. Excurs. IV. ad hl. Secuti sunt multo luxuriantiores, Statius Theb. 1, 550, Valer. Fl. 2, 410. Sil. Ital. 2, 395. sq. Ovid. Met. 6, 70 sq. et 13, 683. Claudianus de laud. Stilich. 2, 440. Itaque Gesnerus ad Claud. de tert. Cons. Honor. 192. haec notabat: *Luxuriarunt in clypeis ingenia poetarum post Homerum Hesiodumque, ut mirer, ita breviter ab hac veluti Sirene expedire se potuisse nostrum.*

82) Nescio an satis apte hoc in loco *variationes*, quas in musicis dicimus, in mentem mihi venerint. Ego certe non dubito, quin ex musices historia demonstrari possit, illud genus variationum non prius ab artificibus expetitum atque usurpatum esse, quam omnis ars a prisca severitate et simplicitate, ut fit, ad quandam luxuriem, ad delicias, ad ostentationem degeneraverit. Quodsi etiam Ph. Em. Bachius nonnulla ex illo genere composuit, is profecto non fecit ostentatione aliqua vel ingenii lusu, a quo viri gravitas longe abfuit, sed quod illustri exemplo harmoniae musicae copias et divitias, quas ille fortasse primus penitus intellexit, ex interioribus artis recessibus ostendere volebat. Cum his recentiorum artificum, etiam summi, Mozarti, variationea comparemus, in quibus simplex aliqua et recta melodia saepe usque ad vigesimum tricesimumque numerum tantopere variata redditur, ut quum ad octavam aut decimam perveneris, iam plures manus, plures digitos desideres, aut illorum tarditatem vituperes; tanta deinceps notarum congeries stipatur, tot tantique sonorum flexus, saltusque ingruunt, tam velox te temporum fuga praecipitat. Haec autem omnia mihi ad illam luxuriem, de qua loquimur, pertinere videntur. Sunt enim plerumque nimia, lascivientia, tinnula, ex periculo petita; denique ea, in quibus, praeter magnam artem scribentis, saepe nihil inest, quod vel mente vel auribus admirari queas. Cf. quae supra in not. 2) dicta sunt.

in variis praeceptis, quibus iuvenes in scholis ad eloquentiam forensem praepararentur, fuisse et hoc, ut de eadem re variatis verbis ac sententiis dicerent, ut quasdam sententias numerosissime versarent, et pluribus modis eadem tractarent. [83]) Quae ratio quum a veteribus eloquentiae magistris hoc potissimum consilio instituta esse videatur, ut in summa illa causarum, iudicialium inprimis, similitudine, parata semper verborum sententiarumque copia esset, quae iucundam auribus animisque varietatem efficeret, [84]) vel

---

83) V. Quintil. 10, 5. 9. Cic. Fin. 5. 4. Theon. Progymn. Cap. 1. Similem exercitationem commemorat Crassus apud Cic. de Or. 1, 34. sed dicit in ea se hoc vitii animadvertisse, quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria, quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius versus se exerceret, aut Gracchus, si eius orationem sibi proposuisset: ita, si iisdem verbis uteretur, nihil prodesse; si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuesceret. Et Cicero ad magnitudinem ingenii refert, quod Archias poeta, eandem rem, de qua alias optime dixisset, revocatus commutatis verbis et sententiis dicere potuerit, pro Arch. Cap. 8. Denique in sententiarum conformationibus, vel figuris iis, quae maxime orationem illuminent, et a summo oratore praecipue postulentur, Cicero Orat. 40. primam illam commemorat, *quae verset saepe multis modis eandem rem, et haereat in eadem commoreturque sententia.* Iam Socrates apud Platonem in Phaedro p. 295. Bip. hanc variandi ostentationem in Lysiae oratione reprehendit, manifeste ad luxuriem referens: ἔδοξεν μοι δὶς καὶ τρὶς τὰ αὐτὰ εἰρηκέναι, ὡς ὐ πάνυ εὐπορῶν τῦ πολλὰ λέγειν περὶ τῦ αὐτῦ ἴσως ὐδὲν αὐτῷ μέλον τῦ τοιύτυ. καὶ ἐφαίνετο δὴ μοι νεανιεύεσθαι, ἐπιδεικνύμενος ὡς οἷός τε ὢν ταῦτα ἑτέρως τε καὶ ἑτέρως λέγων, ἀμφοτέρως εἰπεῖν ἄριστα.

84) Omnino haec copia, in qua summam oratoris vim et virtutem veteres posuerunt, latissime patet, nec modo in singulis verbis aut sententiis una in periodo cumulatis aut variatis cernitur, quamvis id ipsum ad gravitatem orationis aptissime fieri solet, sed hanc vim habet, ut

ex antiquioribus ad eam dicendi formam vel casus adpulisset, vel singularis ingenii consuetudo inclinasset. Praecipue vero e Rhetorum scholis et declamandi exercitationibus hoc genus dicendi ortum et ad poeticam artem propagatum fuisse mihi videtur. Constat enim,

---

nandi atque expoliendi praestitit. vid. Heyn. Excurs. IV. ad hl. Secuti sunt multo luxuriantiores, Statius Theb. 1, 550, Valer. Fl. 2, 410. Sil. Ital. 2, 395. sq. Ovid. Met. 6, 70 sq. et 13, 683. Claudianus de laud. Stilich. 2, 440. Itaque Gesnerus ad Claud. de tert. Cons. Honor. 192. haec notabat: *Luxuriarunt in clypeis ingenia poetarum post Homerum Hesiodumque, ut mirer, ita breviter ab hac veluti Sirene expedire se potuisse nostrum.*

82) Nescio an satis apte hoc in loco *variationes*, quas in musicis dicimus, in mentem mihi venerint. Ego certe non dubito, quin ex musices historia demonstrari possit, illud genus variationum non prius ab artificibus expetitum atque usurpatum esse, quam omnis ars a prisca severitate et simplicitate, ut fit, ad quandam luxuriem, ad delicias, ad ostentationem degeneraverit. Quodsi etiam Ph. Em. Bachius nonnulla ex illo genere composuit, is profecto non fecit ostentatione aliqua vel ingenii lusu, a quo viri gravitas longe abfuit, sed quod illustri exemplo harmoniae musicae copias et divitias, quas ille fortasse primus penitus intellexit, ex interioribus artis recessibus ostendere volebat. Cum his recentiorum artificum, etiam summi, Mozarti, variationes comparemus, in quibus simplex aliqua et recta melodia saepe usque ad vigesimum tricesimumque numerum tantopere variata redditur, ut quum ad octavam aut decimam perveneris, iam plures manus, plures digitos desideres, aut illorum tarditatem vituperes; tanta deinceps notarum congeries stipatur, tot tantique sonorum flexus, saltusque ingruunt, tam velox te temporum fuga praecipitat. Haec autem omnia mihi ad illam luxuriem, de qua loquimur, pertinere videntur. Sunt enim plerumque nimia, lascivientia, tinnula, ex periculo petita; denique ea, in quibus, praeter magnam artem scribentis, saepe nihil insit, quod vel mente vel auribus admirari queas. Cf. quae supra in not. 2) dicta sunt.

in variis praeceptis, quibus iuvenes in scholis ad eloquentiam forensem praepararentur, fuisse et hoc, ut de eadem re variatis verbis ac sententiis dicerent, ut quasdam sententias numerosissime versarent, et pluribus modis eadem tractarent. [83]) Quae ratio quum a veteribus eloquentiae magistris hoc potissimum consilio instituta esse videatur, ut in summa illa causarum, iudicialium inprimis, similitudine, parata semper verborum sententiarumque copia esset, quae iucundam auribus animisque varietatem efficeret, [84]) vel

---

83) V. Quintil. 10, 5. 9. Cic. Fin. 5. 4. Theon. Progymn. Cap. 1. Similem exercitationem commemorat Crassus apud Cic. de Or. 1, 34. sed dicit in ea se hoc vitii animadvertisse, quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria, quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius versus se exerceret, aut Gracchus, si eius orationem sibi proposuisset: ita, si iisdem verbis uteretur, nihil prodesse; si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuesceret. Et Cicero ad magnitudinem ingenii refert, quod Archias poeta, eandem rem, de qua alias optime dixisset, revocatus commutatis verbis et sententiis dicere potuerit, pro Arch. Cap. 8. Denique in sententiarum conformationibus, vel figuris iis, quae maxime orationem illuminent, et a summo oratore praecipue postulentur, Cicero Orat. 40. primam illam commemorat, *quae verset saepe multis modis eandem rem, et haereat in eadem commoreturque sententia.* Iam Socrates apud Platonem in Phaedro p. 295. Bip. hanc variandi ostentationem in Lysiae oratione reprehendit, manifeste ad luxuriem referens: ἔδοξεν μοι δὶς καὶ τρὶς τὰ αὐτὰ εἰρηκέναι, ὡς οὐ πάνυ εὐπορῶν τοῦ πολλὰ λέγειν περὶ τοῦ αὐτοῦ ἴσως οὐδὲν αὐτῷ μέλον τοῦ τοιούτου. καὶ ἐφαίνετο δή μοι νεανιεύεσθαι, ἐπιδεικνύμενος ὡς οἷός τε ὢν ταῦτα ἑτέρως τε καὶ ἑτέρως λέγων, ἀμφοτέρως εἰπεῖν ἄριστα.

84) Omnino haec copia, in qua summam oratoris vim et virtutem veteres posuerunt, latissime patet, nec modo in singulis verbis aut sententiis una in periodo cumulatis aut variatis cernitur, quamvis id ipsum ad gravitatem orationis aptissime fieri solet, sed hanc vim habet, ut

ex antiquioribus ad eam dicendi formam vel casus adpulisset, vel singularis ingenii consuetudo inclinasset. Praecipue vero e Rhetorum scholis et declamandi exercitationibus hoc genus dicendi ortum et ad poëticam artem propagatum fuisse mihi videtur. Constat enim,

---

nandi atque expoliendi praestitit. vid. Heyn. Excurs. IV. ad ll. Secuti sunt multo luxuriantiores, Statius Theb. 1, 550, Valer. Fl. 2, 410. Sil. Ital. 2, 395. sq. Ovid. Met. 6, 70 sq. et 13, 683. Claudianus de laud. Stilich. 2, 440. Itaque Gesnerus ad Claud. de tert. Cons. Honor. 192. haec notabat: *Luxuriarunt in clypeis ingenia poetarum post Homerum Hesiodumque, ut mirer, ita breviter ab hac veluti Sirene expedire se potuisse nostrum.*

82) Nescio an satis apte hoc in loco *variationes*, quas in musicis dicimus, in mentem mihi venerint. Ego certe non dubito, quin ex musices historia demonstrari possit, illud genus variationum non prius ab artificibus expetitum atque usurpatum esse, quam omnis ars a prisca severitate et simplicitate, ut fit, ad quandam luxuriem, ad delicias, ad ostentationem degeneraverit. Quodsi etiam Ph. Em. Bachius nonnulla ex illo genere composuit, is profecto non fecit ostentatione aliqua vel ingenii lusu, a quo viri gravitas longe abfuit, sed quod illustri exemplo harmoniae musicae copias et divitias, quas ille fortasse primus penitus intellexit, ex interioribus artis recessibus ostendere volebat. Cum his recentiorum artificum, etiam summi, Mozarti, variationes comparemus, in quibus simplex aliqua et recta melodia saepe usque ad vigesimum tricesimumque numerum tantopere variata redditur, ut quum ad octavam aut decimam perveneris, iam plures manus, plures digitos desideres, aut illorum tarditatem vituperes; tanta deinceps notarum congeries stipatur, tot tantique sonorum flexus, saltusque ingruunt, tam velox te temporum fuga praecipitat. Haec autem omnia mihi ad illam luxuriem, de qua loquimur, pertinere videntur. Sunt enim plerumque nimia, lascivientia, tinnula, ex periculo petita; denique ea, in quibus, praeter magnam artem scribentis, saepe nihil insit, quod vel mente vel auribus admirari queas. Cf. quae supra in not. 2) dicta sunt.

in variis praeceptis, quibus iuvenes in scholis ad eloquentiam forensem praepararentur, fuisse et hoc, ut de eadem re variatis verbis ac sententiis dicerent, ut quasdam sententias numerosissime versarent, et pluribus modis eadem tractarent. [83]) Quae ratio quum a veteribus eloquentiae magistris hoc potissimum consilio instituta esse videatur, ut in summa illa causarum, iudicialium inprimis, similitudine, parata semper verborum sententiarumque copia esset, quae iucundam auribus animisque varietatem efficeret, [84]) vel

---

83) V. Quintil. 10, 5. 9. Cic. Fin. 5. 4. Theòn. Progymn. Cap. 1. Similem exercitationem commemorat Crassus apud Cic. de Or. 1, 34. sed dicit in ea se hoc vitii animadvertisse, quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria, quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius versus se exerceret, aut Gracchus, si eius orationem sibi proposuisset: ita, si iisdem verbis uteretur, nihil prodesse; si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuesceret. Et Cicero ad magnitudinem ingenii refert, quod Archias poeta, eandem rem, de qua alias optime dixisset, revocatus commutatis verbis et sententiis dicere potuerit, pro Arch. Cap. 8. Denique in sententiarum conformationibus, vel figuris iis, quae maxime orationem illuminent, et a summo oratore praecipue postulentur, Cicero Orat. 40. primam illam commemorat, *quae verset saepe multis modis eandem rem, et haereat in eadem commoreturque sententia.* Iam Socrates apud Platonem in Phaedro p. 295. Bip. hanc variandi ostentationem in Lysiae oratione reprehendit, manifeste ad luxuriem referens: ἔδοξεν μοι δὶς καὶ τρὶς τὰ αὐτὰ εἰρηκέναι, ὡς ȣ̓ πάνυ εὐπορῶν τȣ̃ πολλὰ λέγειν περὶ τȣ̃ αὐτȣ̃ ἴσως ȣ̓δὲν αὐτῷ μέλον τȣ̃ τοιȣ́τȣ. καὶ ἐφαίνετο δὴ μοι νεανιεύεσθαι, ἐπιδεικνύμενος ὡς οἷός τε ὢν ταῦτα ἑτέρως τε καὶ ἑτέρως λέγων, ἀμφοτέρως εἰπεῖν ἄριστα.

84) Omnino haec copia, in qua summam oratoris vim et virtutem veteres posuerunt, latissime patet, nec modo in singulis verbis aut sententiis una in periodo cumulatis aut variatis cernitur, quamvis id ipsum ad gravitatem orationis aptissime fieri solet, sed hanc vim habet, ut

quaedam etiam ex tempore dicendi facultas gigneretur, quae in praesentissimis periculis auxilium praestaret: recentioribus temporibus, quum declamationes scholasticae et umbratiles falsa rerum imagine, et fictis causarum simulcris continerentur, ad inopiam rerum explendam et ad inanem eloquentiae ostentationem conversa est. Huius generis copia est Plinii et Senecae, si eam cum Ciceronis eloquentia comparemus. Fuisse etiam, qui Ciceronem ita reprehendere auderent, ut in *repetitionibus nimium* dicerent, Quintilianus tradidit. [85]) Sed manifesta res est. Nunc

---

quis eandem rem, de qua saepius dicendum sit, variatis verbis, sententiis, argumentis, formisque loquendi bene aptéque tractare possit. In quo non περιεργοτεχνία aliqua, sed ingenii multarum rerum scientia imbuti, magnae doctrinae, summique iudicii virtus continetur. Hae sunt illae orationis divitiae, quibus pollens Pindarus eandem rem, atque idem argumentum quadragies amplius ita exornavit, ut semper ab idoneis iudicibus probaretur. Haec est illa Ciceronis copia dicendi, qua consecutus est, ut in libro Epistolarum 13, undeoctoginta epistolas eiusdem argumenti cum eleganti et inimitabili varietate scribere posset. cf. Vossii Inst. Rhetor. Lib. 5. Cap. 6. p. 281.

85) Instit. Or. 12, 10. 12. Inprimis huc pertinet Senecae Rhetoris de Montano Votieno locus in Controv. Lib. 4. 28. qui simul ea confirmabit, quae de Ovidio dicturi sumus. *Montanus Votienus*, ille inquit, *homo rarissimi, etiamsi non emendatissimi ingenii, vitium summum, quod in orationibus non evitabat, in scholasticis quoque evitare non potuit: sed in orationibus, quia laxior est materia, minus earundem notatur iteratio. In scholasticis si eadem sunt, quae dicuntur, quia pauca sunt, notantur. Habet hoc Montanus vitium: sententias suas repetendo corrumpit; dum non est contentus unam rem semel bene dicere, effecit, ne bene dixerit: et propter hoc et alia, quibus orator potest similis poetae videri, solebat Scaurus Montanum inter oratores Ovidium vocare. Nam et Ovidius nescit, quod bene cessit, relinquere. Non multa*

agitur hoc agamus, ut Latinorum poetarum in eo genere luxuriem paucis exemplis (nam omnia proponere, infiniti operis esset) demonstremus. Ex omnibus autem primus Ovidius prodeat, quem naturalis quaedam ingenii affluentia maxime impulisse videtur, ut sententiarum variationibus et assimilationibus lasciviret. Metam. 2, 534. quantae variationum ambages sunt, per quas haec una sententia deducitur: *corvum ex candido nigrum factum esse!*

— Quam tu nuper eras, quum candidus ante fuisses,
Corve loquax, subito nigrantes versus in alas.
Nam fuit haec quondam niveis argentea pennis
Ales, ut aequaret totas sine labe columbas;
Nec servaturis vigili Capitolia voce
Cederet anseribus, nec amanti flumina Cycno.
Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci,
Cui color albus erat, nunc est contrarius albo.

Met. 1, 101. haec sententia ponitur: *tellurem sponte omnia dedisse.*

---

referam, quas Montaniana Scaurus vocabat. Uno hoc contentus ero. Cum Polyxena esset abducta, ut ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dixit: cinis ipse sepulti in genus hoc peccat. *Poterat hoc contentus esse; adiecit,* tumulo quoque sensimus hostem. *Nec hoc contentus adiecit:* Aeacidae ferunda fui. *Aiebat autem Scaurus rem veram:* non minus magnam virtutem esse, scire desinere, quam scire dicee. Quanta autem virtus sit, et quam difficile hoc *scire desinere*, non possum non confirmare confessione summi harum rerum arbitri, Wielandii (sämmtliche Werke, Supplemente, 6. Band. n. 4. über die Kunst aufzuhören): *Indessen scheint mir gerade diese Kunst, mit einem schnellen und sichern Sinn zu fühlen, was genug ist, und also was zu viel uud zu wenig wäre, das Geheimniſs der groſsen Meister zu seyn. Ich meines Orts lerne schon 60 Jahre darüber, und sehe mit jedem Tage mehr, wie weit ich noch vom Ziele bin.*

Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat;
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.

cum quo iuvabit contulisse simillimum locum Claudiani Rapt. Pros. 1, 195. ubi Ceres Siciliae fertilitatem promittens, verbis etiam, quasi omen ostensura, luxuriat:

Praemia digna manent: nullos patiere ligones,
Et nullo rigidi versabere vomeris ictu.
Sponte tuus florebit ager: cessante iuvenco
Ditior oblatas mirabitur incola messes.

Ovid. Met. 5, 129. sternitur

Nasamoniaci Dorylas ditissimus agri;
Dives agri Dorylas, quo non posséderat alter
Latius, aut totidem tollebat farris acervos.

Met. 6, 259. mira copia est, qua *sanguinis ex vulnere prorumpentis* notio iteratur. Nam singula duorum versuum verba unam hanc imaginem reddunt:

Expulit hanc sanguis, seque eiaculatus in altum
Emicat, et longe terebrata prosilit aura.

Sed hae perpetuae Ovidii deliciae sunt, quae facile in oculos incurrent, si istas veluti notas tenuerimus. 86)

---

86) Cf. Met. I, 85. 89—93. IV, 377. VII, 709. et 767. VIII, 8. 374. 662. 825. sqq. coll. Callimach. Cer. 59. 69. IX. 612. X, 126. XI, 229. ubi *curvae formae* tribus verbis terna expressio est. Maxime autem notabile variationis luxuriosae exemplum extat Met. XI, 109. sq. in narratione de Mida aureo. In quo loco haec duplex luxuries deprehenditur, quod primum experimentorum, quibus Midas deceptus fuerit, numerum ultra modum auxit, deinde vero notionem *auri*, in quod omnia mutata fuerint, tantopere variavit dicendo. Id quamvis toto genere bene cessit acri poetae ingenio, tamen hoc incommodi peperit, ut ali-

Ceterorum poetarum, Lucani, Valer. Flacci, Claudiani, Silii, Senecae Tragici, haec solemnis consuetaque copia et eloquentia est, ut rem unam pluribus sententiis inculcent, dummodo amplitudinis vel acuminis speciem consequatur. Quo saepe fit, ut tumidi, frigidi atque inepti fiant. Ita Valer. Flacc. 4, 388. de Mercurio:

Haud procul insectans Argum, languentia somno
Lumina cuncta notat, dulcesque sequentia somnos.

Quo loco interpretes se torserunt variis lectionibus excogitandis, quibus molesta tautologia tolleretur. Quasi vero novus cuipiam esse possit mos ille poetarum, qui cupiditate sententias variandi, saepe iudicium et elegantiam perdunt. — Libr. VI, 613. sq. furorem Iasonis expressurus, quo is in *multos* irruisset, ipse propemodum varianda unius multitudinis notione furit.

---

quoties verborum lectorum veritatem et sensum perverteret, veluti, quum *massam* dicit indefinite, et *radiare*, *rigere*, *fulva lamina nitere*. Quod incommodum, etsi intelligitur ex illa variandi necessitate ortum, tamen fortasse mitigari potest explicando atque excusari. Quum enim de *auro* sermo esset in hoc loco, certe illa verba a nemine, qui contextum legit, secus quam ex sensu poetae intelligi possunt. Relinquitur tamen hoc, Ovidium in illis omnibus indefinite et ambigue dixisse, et maluisse ita dicere, quam variandi libidinem et redundantiam coercere. In idem vitium, si illud ergo vitium est Ovidii, incidit Claudianus, qui (in Rufin. 1, 161. sq.) de eodem illo Mida loquens, *riguisse* ait *dapes*, et mox lepida metaphora, *in glaciem fulvam revinctos latices*, quasi aqua in aurum mutata *glacies* recte dici possit, aut *flava glacies* continuo sit aurum. Immo nihil est in rerum natura. Huc igitur illud pertinet, quod Swiftius facete, ut omnia, nescio quo in loco, dixit, scriptores inepte luxuriantes, si in aliquam sententiam semel inciderint, eam, tanquam leporem canes, tamdiu persequi solere, dum emortua procumbat. Idem Ovidii vitium inter ce-

Ipsam etiam comparationem, quam praemittit, haec copia instruit

Tunc vero, stabulis qualis leo saevit opimis
Luxurians, spargitque famem, mutatque cruores:
Sic neque parte ferox, nec caede moratur in una,
Turbidus: inque omnes pariter furit, ac modo saevo
Ense, modo infesta rarescunt cuspide pugnae.

Sed iam, egregius inprimis argutiarum artifex Claudianus, quomodo se in hoc genere redundantiae comparaverit, paucis videamus. Unam sententiam: *venti impetu arma hostilia in hostes ipsos repulsa esse*, quae ipsa miraculi instar est, mirum in modum et luxurianti ornatu sexies variavit Libr. de 3 Cons. Honor. 93. sqq.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine repulit hastas.

---

tera commemoravit Hottingerus in Comparat. poet. german. cum Graecis et Latinis p. 43. Spielenden Witz, frostige Einfälle, und vor allen *die schlimme Unart, einen sinnreichen Gedanken so oft und so viel zu drehen und zu wenden, bis er unter seinen Händen den Geist aufgiebt.* — Affines huic generi, et ab Ovidio inprimis frequenter usurpatae, versuum duorum vel plurium repetitiones sunt, et quaedam assimilationes, quae tamen lusus potius leporem, quam copiae adfectationem habere videntur; ut Metam. Lib. I, 325, 361. 481. III, 353. 55. IV, 306 sq. VI, 430. IX, 487. XII, 148. Alii ineptius et frigidius luserunt. Certe ad insaniam usque luxuriatus est in eo genere Auctor incertus epistolae Didonis ad Aeneam vers. 37. (in Wernsdorf. Poet. minor. Tom. IV. p. 445.) Ibi Dido, quamvis moerore et iracundia furens, ita oratione ludit, ut non solum novies repetat hanc sententiam: *sua taedia solus fallere nescit amor*, sed singulis etiam adponat exemplum ex omni rerum natura petitum, quod contrariam vim habeat.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes, cui militat aether,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

in quibus etiam Silium IX, 491. sq. phantasiae lusu et luxuria superasse videtur.

Theodosii in hostes *clementiam* per decem versus lusibus etiam verborum et antithesibus refertos variat, de 4 Cons. Honor. vers. 111 sqq. — In eodem carmine vers. 528. εὐστοχίαν in spiculis iaciendis tribus sententiis versat:

— — *cum Gortynia tendis*
Spicula, quam felix arcus, certique petitor
Vulneris, et iussum mentiri nescius ictum.

Uni sententiae, Honorium *primo* amore flagrasse, quatuor versus impendit de Nupt. Honor. 1—4. unam *primi* aut *novi amoris* notionem operose inculcans:

Hauserat insolitos promissae virginis ignes
Augustus, pronoque rudis flagraverat aestu.
Nec novit unde calor, nec quid suspiria vellent,
Noverat incipiens, et adhuc ignarus amandi.

Et quantum colorum cumulum exaggerat Libr. de Bello Gild. vers. 145. sq. partis illius Libyae, quae sub zona torrida iacet, *aestum* significans! Ibi haec se excipiunt: *perustae Libyae pars; nimius calor, Zona rubens, medius flagrantis Olympi limes, Dipsades dominantur, sitiens attollit gleba cerastas.*

Sed ut luculentius intelligatur, quibus tanquam gradibus illud omne variandi studium a quadam ornandi simplicitate et castitate paullatim ad summam usque abundantiam et luxuriam progressum sit; certas aliquot dicendi formulas commemorabimus, quae, antiquiorum poetarum usu et auctoritate sancitae, a posterioribus ita repetitae sunt, ut singulorum congestu in immensum paene earum ambitus cresceret.

Homerus in secundo Iliadis libro navium militumque graecorum copias enarraturus, magnitudinem et difficultatem huius rei, cui se parem sine Musarum auxilio fore desperat, hac quadam solemni formula significat:

Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω,
Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
Φωνὴ τ' ἄῤῥηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.
Εἰ μὴ Ὀλυμπιάδες Μοῦσαι etc.

In huius quidem formulae usu, quam nihil temere vel inepte fecerit Homerus, facile intelligemus, si tenuerimus id, quod Woodius [87]) scite notavit, illo tem-

87) In nobili libello, de ingenio Homeri pag. 280. Quamvis, quod ad Musarum appellationem attinet, a vero non aberraverit, qui generatim omnes et Musarum et ceterorum Deorum invocationes ex consuetudine religiosa, qua veteres in omnibus rebus agendis deorum opem implorandam credebant, propter rei ipsius dignitatem, in poetarum carminibus inprimis frequenter usurpatas statuat. Prisca et nota sententia est: *a Iove principium*, eaque religio a veteribus in omni negotio, gravi inprimis et difficili diligenter observata animadvertitur. In Timaeo Platonis p. 301. ut huius loci insignis exemplo, aliis omissis, utar, Socrates ad Timaeum de rerum omnium natura disputaturum, τελέως τε, inquit, καὶ λαμπρῶς ἔοικα ἀνταπολήψεσθαι τὴν τῶν λόγων ἑστίασιν. σὸν οὖν ἔργον λέγειν ἂν εἴη, ὦ Τίμαιε, τὸν μετὰ τοῦτο, ὡς ἔοικε, καλέσαντα κατὰ νόμον θεούς. ΤΙ. Ἀλλ', ὦ Σώκρατες, τοῦτο γε δὴ πάντες ὅσοι καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχουσιν ἐπὶ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος θεὸν ἀεί που καλοῦσιν· ἡμᾶς δὲ τοὺς περὶ παντὸς λόγους ποιεῖσθαί πῃ μέλλοντας, εἰ μὴ παντάπασι παραλλάττομεν, ἀνάγκη θεούς τε καὶ θεὰς ἐπικαλουμένους εὔχεσθαι πάντα κατὰ νοῦν ἐκείνοις μὲν μάλιστα, ἑπομένως δὲ ἡμῖν εἰπεῖν. cf. Critias p. 58. Bip., ubi inprimis Μνημοσύνης invocatio commendatur. Haec tamen omnis pietas a ceteris scriptoribus vel raro declarata, vel prorsus neglecta, poetarum inprimis mentes et carmina occupavit. Itaque Livius in operis exordio vota et pre-

pore ad res quascunque cognoscendas plurimum memoriam valuisse, cuius omnem vim ad Musas, Μνημοσύνης filias, pertinere crediderint. Recentiores autem poetae, inprimis Latini, temporibus mutatis, atque ista rerum memorandarum difficultate sublata, tamen formulam illam Homericam ita servarunt, ut ea uterentur, ubicunque rerum docendarum multitudo aliquam enarrandi difficultatem obiecisset. Primus Virgilius [88]) eam caste et eleganter repetiit Georg. Lib. 2, 43.

Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox.

et Aen. 6, 625. iisdem verbis in argumento gravi et amplo. Sed mox secuti sunt poetae, qui hanc verecundiam exaggerando variandoque inquinarent. Ovidius quidem Met. 8, 532. magis sententiarum varietatem, quam copiam sectans

---

cationes deorum ita commemorat, ut eas non sibi, sed solis poetis convenientes existimasse videatur. His adiungamus locum illustrem Quintiliani (Inst. Or. 4, prooem.) qui cum commemorasset, quam esset arduum et Domitiano Augusto probari, et procedentis operis, quod incheaverat, difficultatibus parem se praestare, utramque sollicitudinem hoc modo consolatus est: *Quodsi nemo miratur poetas maximos saepe fecisse, ut non solum initiis operum suorum Musas invocarent, sed provecti quoque longius, cum ad aliquem graviorem venissent locum, repeterent vota: mihi quoque profecto poterit ignosci, si nunc omnes in auxilium Deos, ipsumque imprimis, quo neque praesentius aliud, neque studiis magis propitium numen est, invotem, ut etc.*

88) Hostii poetae versus ex Homero traductos adfert. Macrob. Saturn. VI, 3. *Non si mihi linguae centum, atque ora sient totidem, vocesque liquatae.*

Non mihi si centum Deus ora sonantia, linguas
Ingeniumque capax, totumque Helicona dedisset.

Trist. 1, 5. 53.

Si vox in fragili mihi pectore firmior aere,
Pleraque cum linguis pluribus ora forent;
Non tamen idcirco complecterer omnia verbis
Materia vires exsuperante meas.

Claudianus Cons. Prob. 55. tumorem verborum addidit,

Non mihi centenis resonent si vocibus ora
Multifidusque ruat centum per pectora Phoebus,
Acta Probi narrare queam.

Hos autem ineptiis suis longe superavit Licentius ad Augustin. apud Wernsdorf. Poet. minor. Tom. IV. p. 540.

— non si mihi murmura centum
Det Boreas, totidemque animas, centumque per ora
Lingua rigens adamante fremat, memorare valebo.

Alia formula est, negationem ἀπὸ τῦ ἀδυνάτυ augens, cuius exemplum satis copiosum in latinis quidem poetis Virgilius dedit in Bucolicis, Ecl. 1, 60 sq.

Ante leves pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces;
Ante, pererratis amborum finibus, exsul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

quamquam vel ita modum ornandi poeta excessisse videatur. Sed hic ludus est ad eam luxuriem, quam ceteri declararunt. Audiamus Ovidium in Ibi vers. 31 sq.

Desinet esse prius contrarius ignibus humor,
Iunctaque cum Luna lumina Solis erunt,
Parsque eadem coeli Zephyros emittet et Euros
Et tepidus gelido flabit ab axe Notus,

Et nova fraterno veniet concordia fumo,
Quem vetus accensa separat ira pyra:
Et ver autumno, brumae miscebitur aestas,
Atque eadem regio Vesper et Ortus erunt;
Quam mihi sit tecum, positis, quae sumsimus, armis,
Gratia, commissis, improbe, rupta tuis.

Alia rerum exempla, quibus illa *ἀδύνατα* ostenderetur, mira cum variandi cura collegerunt, Claudianus in Cons. Prob. 169 — 73. in Eutrop. Lib. 1, 352 — 58. et post eum Calpurnius Eclog. 8, 75. Sed uberrimam eorum silvam composuit, tanquam curaturus, ne quis insequens superare se illa ubertate posset, Licentius ad Augustin. 92 sqq.

Ante sub Aegaeo optabunt pia tecta palumbes,
Et versa Halcyone componet in arbore nidos,
Atque impasta diu teneros lupa nutriet agnos,
Mutantesque suis divisum partibus orbem,
Aut Barcaeus alet Taurum, aut Hyrcania tauros,
Ante Thyesteis iterum male territa mensis
Interrupta dies refugos vanescet in ortus:
Ante dabunt imbres Nilum, super aethera damae
Errabunt, nantesque canent, et flumina plaudent:
Quam mihi post tergum veniant tua dona, magister.

Vetus poetarum phantasma est, e mythicis de Orpheo aut Arione narrationibus ortum, ut, si quem suaviter voce fidibusve canentem laudare vellent, *feras illi aures praebuisse, flumina constitisse, et saxa loco mota fuisse* dicerent. Credibile est, eos, qui primi hoc phantasmate uterentur, in illis rerum exemplis acquievisse, quae et facillime naturam contemplantibus occurrebant, et maxime idoneam vim habebant ad exaggerandum. Itaque Virgilius Ecl. 8. init. pastorum, Damonis et Alphesiboei, Musam laudaturus, casto ornatu eandem formulam extulit;

Immemor herbarum quos est mirata iuvenca
Certantes, quorum stupefactae carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus.

Post hunc autem, qui in eandem rem inciderat, Calpurnius Ecl. 2, 15 sq. quantum variando atque exaggerando valeret, versibus undecim tentavit:

Magnum certamen erat sub iudice Thyrsi.
Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et quaecunque vagis altum ferit aëra pennis.
Convenit umbrosa quicunque sub ilice lentas
Pascit oves Faunusque pater, Satyrique bicornes.
Adfuerunt sicco Dryades pede, Naides udo,
Et tenuere suos properantia flumina cursus:
Desistunt tremulis incurrere frondibus Euri,
Altaque per totos fecere silentia montes.
Omnia cessabant, neglectaque pascua tauri
Calcabant: illis etiam certantibus ausa est
Daedala nectareos apis intermittere flores.

Portenti simile fuerit, si Ovidius hanc opportunitatem, qua posset ingenio suo indulgere, praetermiserit, et praeter morem verborum aliquam telam exorsus, repente filum abruperit. Legamus igitur, qua ille varietate Arionis lyram laudet Fastor. Lib. 2, 83 sq.

Quod mare non novit, quae nescit Ariona tellus?
Saepe, sequens agnam, lupus est hac voce retentus;
Saepe avidum fugiens restitit agna lupum:
Saepe canes leporesque umbra cubuere sub una,
Et stetit infestae proxime cerva leae.
Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
Sedit: et accipitri iuncta columba fuit.
Cynthia saepe tuis fertur, vocalis Arion,
Tanquam fraternis obstupuisse modis.

§. 10.

Luxuries 5) in tropis et figuris.

Quum nulla oratio, quae quidem animis permovendis iucundeque tenendis comparata sit, nec verborum nec sententiarum luminibus vacua esse debeat, tum multo minus elocutio poetica, cultum et suavitatem maxime consectans, troporum figurarumque ornamentis carere poterit. Quid? quod nunquam non licuisse poetis constat, ut utroque genere liberius ac frequentius uterentur. Causae in promtu sunt. Omnis enim delectatio illa et voluptas, eloquentiae poeticae proposita, copia potissimum, varietate, et suavitate efficitur colorum imaginumque, quibus res tractandae sensibus et phantasiae commendantur. Ipsius quoque ingenii poetici haec propria vis est, ut relictis et posthabitis iis, quae vulgaria, trita, recta, aut tenuia sint, nova potissimum, et utcunque deflexa a vulgari ratione, et speciosa et illustria anquirat. Itaque poeta non verbis solum lectis et illustribus et sonantibus utetur, sed etiam ita transferet verba et immutabit, ut sensum vulgarem et proprium adiuncta similitudine et imagine honestet, sententiis autem ita a vulgari primumque se offerente dicendi consuetudine deflectet, ut et varietate formarum orationem distinguat, et sensus gravitate, splendore, acumine attollat. Nam omnino pulcherrimorum troporum et efficacissimarum loquendi formarum haec origo et ratio est, ut non arte et cogitationis cura inventae, sed hominibus sapientibus, et mente animoque concitatis, ab hoc ipso pectoris motu, sua sponte suggestae et suppeditatae fuerint.

In multis autem modis, quibus verba immutari aut sententiae conformari possunt, nonnulli ita sunt praecipue accommodati poetico ingenio et consilio, ut eos ab omnibus poetis semper maxime frequentatos videamus. In tropis quidem *metaphora* eminet, quae

quum in similitudine demonstranda versetur, et aliquam imaginis vim habeat, praecipue adiuvat consilium illud poeticum, quod permovendis animis et signandis rebus, ac sub oculos subiiciendis continetur. Sententiarum autem conformationes, quum permultae a veteribus dicendi artificibus [89]) nominentur, in quibus omnem eloquentiae magnitudinem elucere oporteat, tum a poeta illae inprimis adhibebuntur, quae magnam vim admirationemque habeant, et ad sensus rem quamvis cum virtute et suavitate admoveant. Nam etsi poetae et oratores, aliique scriptores multas dicendi virtutes inter se communes habent, tamen, quum naturae indole, ingeniique quodam habitu, maxime autem scribendi proposito et consilio discrepent, facile intelligitur, utrisque suos vel a natura vel ab arte terminos constitutos esse, quos vel non attingere, vel transilire vitium sit. Sed iam omissis oratoribus aut scriptoribus, in poetis praecipue, quomodo troporum figurarumque luxuries nascatur, et quam vim habeat, videamus.

Ut omnium ornamentorum, quibus oratio illustratur, ita et illorum luminum, de quibus nunc loquimur, certae quaedam virtutes sunt, quae idoneo delectu, recto usu, et sapienti iudicio comparantur. *Metaphorae*, in quibus similitudinem rei alienae et veluti imaginem dominari diximus, si, ex Quintiliani sententia, [90]) permovendis animis, et signandis rebus, et sub oculos subiiciendis repertae sunt, cavendum erit, ne humiles, ne sordidae, ne deformes, ne nimio maiores, ne dissimiles, ne a longinqua similitudine ductae sint, ne nimia frequentia orationem obscurent, et taedio compleant, aut usus perpetuitate in aenigmata exeant. Nam haec omnia istis rebus, quas meta-

---

89) Vid. Cic. Orat. Cap. 40.

90) Inst. or. Lib. 8, 2. 19. cf. Arist. Rhet. 3, 2.

phorae efficere debent, contraria sunt. In variis autem *dicendi formis*, quae partim ad gravitatem, partim ad delectationem comparatae sunt, cautio erit adhibenda, ne immodice petantur, ne sine pondere, sine sententiis, ad inanem ingenii, artis, acuminisve ostentationem conflentur, ne locis, temporibus, personis, repugnent, ne in lusus et argutias convertantur. Quae nisi caveantur, saepe gravitatis illius locum praeceps audacia, aut cassus tumor, delectationis autem omnes lusus et ineptiae occupabunt. Ex illis vero, quae in superioribus de luxuriei poeticae ratione dicta sunt, satis intelligitur, haec troporum et figurarum vitia, quae enumeravimus, maximam partem ad illam luxuriem pertinere: nam nimiam abundantiam, ornandi cupiditatem et insolentem artis ingeniique ostentationem, fontes habent. Causae etiam, quas supra commemoravimus, ingenii indoles, morum studiorumque ratio, et imitatio, in hoc genere prope omnes conveniunt. Apud Graecos quidem post Homerum, qui, quum in omnibus naturam ducem sequeretur, in illo quoque ornamentorum genere summam castitatem ac simplicitatem declaravit, inde ab Aeschyli Pindarique audacia, usque ad Alexandrinorum doctas argutias, easdem illas causas eo valuisse, ut troporum figurarumque non summa solum varietas, sed et insolentia et luxuries nasceretur, tum ex ipsis poetarum illorum carminibus, tum criticorum veterum, Aristotelis inprimis et Longini, censuris intelligimus. Has Graecorum copias accipiebant, variabant, augebant Latini, primo quidem moderatius, quamdiu vel aetatis simplicitas, vel ingeniorum propria severitas aut elegantia fucum a dicendi ratione et luxuriem arcebat; deinde vero liberius et solutius, quum et eloquentiae et poeticae facultatis exercitatio, in aemulandi aut novandi ambitione, inque artis, doctrinae et acuminis vana ostentatione consumeretur. Itaque, si cognoscere La-

tinorum poetarum luxuriem illam velimus, quae transferendis verbis et in sententiis conformandis nitur, iterum ad eas aetates descendamus opo: quae Ovidium, Statium, Senecam, Claudianum, V rium Flaccum, Silium, horumque sequaces atque mulos, tulerunt; non quod in Catullo, Lucretio, ratio aut Virgilio nulla prorsus similium vitio exempla reperiri possint: sed quod in his et rara et alias causas habeant, quae luxuriei suspicione criminationem non facile admittant. Neque in recentioribus poetis continuo omnia, quae ad i ornatus pertinent, vitiosa sunt; immo multa re praeclare, et cum virtute translata, conformata, va ta verbis et sententiis. Sed quemadmodum Hora nae Musae acutam venustatem, aut Virgiliano carn magnificam quandam simplicitatem tribuentes, m mam virtutum partem computamus; ita in cete etsi sparsas passim varii generis virtutes facile ag scimus, tamen universe luxuriosam quandam dice consuetudinem regnare iudicamus. Sed quoniam finitum fit, per omnia illorum poetarum scripta et troporum figurarumque, luxuriei vitio laborantis exempla singulatim congerere, periculum oportet ciamus, si illarum vestigia et quasi signa accurat definire possimus, ut, qui poetarum carmina legu habeant, quod in iudicando sequantur.

Praecipuum luxuriei vestigium quum in nimia pia vel abundantia cernatur, dubitari non potest, troporum metaphorarumque usu nimios et luxuric esse, qui nihil dicant, nisi immutate aut translate, ut orationem non ornasse, vel distinxisse his lum bus, sed totam, tanquam opus aliquod vermiculatu composuisse troporum stellulis videantur. Hoc viti est eorum, quorum ingenium semper aestuat, quor animus semper tumet, quique ita mente et sensi semper fluctuant, sive furoris cuiusdam poetici an

tiosa aemulatione, ut, quae in oratione propria, simplicia, tranquilla, et e propinquo ducta videri possint, abhorreant, nec nisi peregrina, nova, e longinquo arcessita, quaerant et amplectantur. Inprimis autem tum copia illa luxuriosa est, quum adhibetur in iis locis, quae aliquam narrandi simplicitatem aut omnino verecundiores orationis colores desiderant.[91]) Huius copiae documenta, quae exemplorum enumeratione, in his quidem libelli angustiis, dari non possunt, luculenta habebit, qui Virgilianam orationem cum eloquentia Statii, Valerii Flacci, aut Senecae contendere volet. Neque hanc abundantiam concessa poetis in ornando licentia et impunitas excusare potest. Nam, ut Quintilianus ait, vitium est ubique, quod nimium est. Itaque quod idem ille acutissimus elegantiarum iudex de metaphorae usu monet, (Lib. 8, 6. 8.) non minus ad poetas, quam ad oratores pertinebit. *Ut modicus*, inquit, *atque opportunus metaphorae usus illustrat orationem: ita frequens et obscurat, et tae-*

91) Hoc vitio, ut exemplo utar, laborare videri possit locus Ovidii Metam. 9, 70. sq. ubi ipse Hercules hydram Lernaeam describens inducitur. Atqui in ea narratione poeta eas metaphoras formasque loquendi adhibuit, quas, si quem narrantem, eumque Herculem, cogitemus, non temere exspectamus, quia rei simplicitati, et personae gravitati repugnant.

Vulneribus fecunda suis erat illa; nec ullum
De centum numero caput est impune recisum,
Quin gemino cervix haerede valentior esset.
Hanc ego ramosam natis e caede colubris,
Crescentemque malo, domui, domitamque peremi.

Nihil potest argutius esse illa metaphora, qua duo hydrae capita, quae in locum unius excisi succrescebant, *geminum haeredem* dixit. Illa quoque, *ramosam* et *crescentem malo*, et *domui domitamque*, exquisitius poetae ornantis studium declarant.

tinorum poetarum luxuriem illam velimus, quae in transferendis verbis et in sententiis conformandis cernitur, iterum ad eas aetates descendamus oportet, quae Ovidium, Statium, Senecam, Claudianum, Valerium Flaccum, Silium, horumque sequaces atque aemulos, tulerunt; non quod in Catullo, Lucretio, Horatio aut Virgilio nulla prorsus similium vitiorum exempla reperiri possint: sed quod in his et rara sint, et alias causas habeant, quae luxuriei suspicionem et criminationem non facile admittant. Neque in illis recentioribus poetis continuo omnia, quae ad istos ornatus pertinent, vitiosa sunt; immo multa recte, praeclare, et cum virtute translata, conformata, variata verbis et sententiis. Sed quemadmodum Horatianae Musae acutam venustatem, aut Virgiliano carmini magnificam quandam simplicitatem tribuentes, maximam virtutum partem computamus; ita in ceteris, etsi sparsas passim varii generis virtutes facile agnoscimus, tamen universe luxuriosam quandam dicendi consuetudinem regnare iudicamus. Sed quoniam infinitum fit, per omnia illorum poetarum scripta ire, et troporum figurarumque, luxuriei vitio laborantium, exempla singulatim congerere, periculum oportet faciamus, si illarum vestigia et quasi signa accuratius definire possimus, ut, qui poetarum carmina legunt, habeant, quod in iudicando sequantur.

Praecipuum luxuriei vestigium quum in nimia copia vel abundantia cernatur, dubitari non potest, in troporum metaphorarumque usu nimios et luxuriosos esse, qui nihil dicant, nisi immutate aut translate, ita ut orationem non ornasse, vel distinxisse his luminibus, sed totam, tanquam opus aliquod vermiculatum, composuisse troporum stellulis videantur. Hoc vitium est eorum, quorum ingenium semper aestuat, quorum animus semper tumet, quique ita mente et sensibus semper fluctuant, sive furoris cuiusdam poetici ambi-

tiosa aemulatione, ut, quae in oratione propria, simplicia, tranquilla, et e propinquo ducta videri possint, abhorreant, nec nisi peregrina, nova, e longinquo arcessita, quaerant et amplectantur. Inprimis autem tum copia illa luxuriosa est, quum adhibetur in iis locis, quae aliquam narrandi simplicitatem aut omnino verecundiores orationis colores desiderant.[91]) Huius copiae documenta, quae exemplorum enumeratione, in his quidem libelli angustiis, dari non possunt, luculenta habebit, qui Virgilianam orationem cum eloquentia Statii, Valerii Flacci, aut Senecae contendere volet. Neque hanc abundantiam concessa poetis in ornando licentia et impunitas excusare potest. Nam, ut Quintilianus ait, vitium est ubique, quod nimium est. Itaque quod idem ille acutissimus elegantiarum iudex de metaphorae usu monet, (Lib. 8, 6. 8.) non minus ad poetas, quam ad oratores pertinebit. *Ut modicus*, inquit, *atque opportunus metaphorae usus illustrat orationem: ita frequens et obscurat, et tae-*

---

91) Hoc vitio, ut exemplo utar, laborare videri possit locus Ovidii Metam. 9, 70. sq. ubi ipse Hercules hydram Lernaeam describens inducitur. Atqui in ea narratione poeta eas metaphoras formasque loquendi adhibuit, quas, si quem narrantem, eumque Herculem, cogitemus, non temere exspectamus, quia rei simplicitati, et personae gravitati repugnant. —

Vulneribus fecunda suis erat illa; nec ullum
De centum numero caput est impune recisum,
Quin gemino cervix haerede valentior esset.
Hanc ego ramosam natis e caede colubris,
Crescentemque malo, domui, domitamque peremi.

Nihil potest argutius esse illa metaphora, qua duo hydrae capita, quae in locum unius excisi succrescebant, *geminum haeredem* dixit. Illa quoque, *ramosam* et *crescentem malo*, et *domui domitamque*, exquisitius poetae ornantis studium declarant.

dio complet, continens vero in allegoriam atque aenigmata exit. Sed fortasse gravior videatur auctoritas Ciceronis, illam ipsam ornandi perpetuitatem non in oratoribus solum, verum etiam in poetis nominatim reprehendentis. *Omnibus in rebus,* ait, (de Orat. 3, 25.) *voluptatibus maximis fastidium finitimum est: quo hoc minus in oratione miremur, in qua vel ex poetis, vel oratoribus possumus iudicare, concinnam, distinctam, ornatam, festivam, sine intermissione, sine reprehensione, sine varietate, quamvis claris sit coloribus picta, vel poesin, vel orationem, non posse in delectatione esse diuturna.*

Aliam luxuriei notam in nimio ornandi, novandi et acute ludendi studio deprehendimus. Ex quo in troporum et metaphorarum usu duo vitia nascuntur, *lusus* et *audacia.* Nam qui in his orationis ornamentis non naturam ducem sequuntur, neque volunt in superiorum auctoritate acquiescere, hi, dum ulterius progrediuntur, dum variant, mutant, expoliunt, praesertim ubi ingenii naturalis quidam impetus, aut doctrinae et acuminis ostentandi varietas accedit, necessario aut a veritate deflectunt: unde durae, frigidae, ludicrae metaphorae consequuntur. Plena horum vitiorum carmina sunt poetarum, quos aetas Virgilium proxime sequens produxit, ex quibus pauca delibemus. Sic facili et eleganti metaphora Virgilius Georg. 2, 325. *fecundos imbres* dixerat. Sed iam ceteri, *imbres maritos, fluctum maritum,* quo Nilus arva premit, *maritatum imbre orbem, Zephyrum glebas fecundo rore maritantem* induxerunt, ut Auctor Pervigil. Ven. 4. Avien. Perieg. 345. Claudian. Rapt. Pros. 2, 88. et quos Wernsdorf. Tom. III. poett. minor. p. 537. commemorat.

Imbris metaphoram, qua poetae antiquiores magnae copiae vim graviter et apte expresserant, illi se-

riores, inepto usu, saepe duram et frigidam reddiderunt. Magnifice et graviter apud Virgil. Aen. 12, 283.

— — *it toto turbida coelo*
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber.

Nihil autem potest fingi affectatius aut durius imagine illa, qua Valer. Flacc. Argon. 5, 609. *funditores* designat:

Saxiferae surgit quibus imber habenae.

Imbrem *ingruentem* ipsa natura habet. Sed quis *surgentem* vel cogitare potest? Itaque Seneca (Controv. 5. praefat.) Musam Rhetorem, apud quem omnia ad ultimum tumorem perducta, non extra sanitatem, sed extra naturam fuisse iudicat, reprehendit, quod de sparsionibus, *ad oratos imbres*, dixerit. Est enim in hoc tali metaphorarum delectu aliquid τερατῶδες, atque aliqua significatio ingenii, sine eleganti pulcritudinis sensu, lascivientis.

Apud Homerum Il. 16, 3. Patroclus inducitur

Δάκρυα θερμὰ χέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος
Ὅτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.

Nemo nec in lacrymis, nec in hac imagine offendet, qui Patrocli curam, dolores, et narrationem accuratius cognovit. Quid autem est in verbis aut sententiis, quod ingenii audaciam arguat? Mirum potius sit, si poeta in natura haerens et habitans, et lacrymarum aestum imagine aliqua illustraturus, non sponte in scaturiginis seu rivi cogitationem incidat. Neque Homerus in illo loco tam metaphora, quam comparatione, usus est; sed ceteris ad metaphoram viam patefecit. Hinc enim Virgilii ingenium illud *lacrymarum flumen* concepit Aen. 1, 465.

Sic ait — multa gemens — largoque humectat
flumine vultum.

At quam caute, quam verecunde poeta una voce *humectat* curavit, ne *fluminis* illa amplificatio molesta esset. In ipsis etiam numeris, et verborum sono (quanquam in his nullum poetae studium agnosco) aliquid mihi videtur remedii contra audaciam esse. Iam paullo robustioris ingenii poetam, Statium, videamus; in *lacrymarum imbres* incidemus, neque reliqua desiderabimus, quae illam metaphorae insolentiam adiuvare possint. Locus est Thebaid. Lib. 2, 235. Non dolor, non moeror, sed virgineus pudor lacrymas ciet, et tamen

— tunc ora rigantur
Imbribus honestis.

Neque haec sufficiunt. Habet enim ille tantos lacrymarum quasi torrentes, qui galeae vincula rumpant. Theb. 2, 634.

— singultibus arctum
Exhaurit thoraca dolor, nec vincla coercent
Undantem fletu galeam.

Sed e poetarum imbribus emergamus, et ad aridiora veniamus. Saepe illam sententias colorandi et variandi libidinem, quam supra commemoravimus, argutissimarum et ineptissimarum metaphorarum in illis poetis fontem fuisse animadverti. Plerumque harum variationum hic modus est, ut quae sententia primum satis proprie et simpliciter, vel cum levi aliquo translationis flexu, dicta fuerat, eam deinde doctiori metaphora involutam ostendant. Habet ea res aliquid laudis et splendoris ab inventione, ab acumine quodam: sed huius ipsius laudis studium saepe poetas ita occaecavit, ut, quid rectum aptumque esset, minus viderent, et obscurissime dicerent. Sic Claudianus in Laud. Seren. vers. 4. Reginae comam dicit

— solitam consurgere gemmis
Et rubro radiare mari.

Dubito an nemo, sine praevia *gemmarum* mentione, ex illo *rubro mari* aliquam sententiam hauserit. — Alio loco vers. 34. quum laudes Serenae ex eius nobilitate redundantes declarare vellet, hac sententiarum variatione usus est:

Quodsi nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina causae,
Quis venerabilior sanguis?

Quis, quaeso, illa *semina causae*, in quae laudes redeant, intellexerit, nisi praecedenti sententia adiutus?

Lusum in metaphoris vel argutias dicimus, quum in delectu et usu metaphorae, praeter naturalem eius vim, quae in rebus signandis et sub oculos subiiciendis cernitur, aliquid quaeritur, quod non ad ipsas res illustrandas, sed ad dicentis ingenium et acumen declarandum pertineat, ita ut, qui tales metaphoras fingunt, non tam rei, quam sui ipsorum memores fuisse videantur. Huius consuetudinis praecipuus fons est in abusu acrioris phantasiae, et ingenii quosdam sententiarum acutarum veluti laqueos et insidias exponentis. Unde etiam harum metaphorarum plerumque tam subtilis et abdita vis est, ut eam magis mente et cogitatione sentire, quam verbis explicare possimus. Exempla si quaerimus, apud nullum fere poetarum Latinorum plura deprehendemus, quam apud Ovidium, quem constat ea imaginatione eoque ingenio fuisse, ut omnibus acuminum lusuumque generibus lubenter et facile uteretur. Tale est, meo quidem sensu, quod Metam. 9, 224. Lichan *exsanguem metu* dixit, hac ancipiti sententia, ut non solum pallentem atque exanimatum metu (ut antea, *tremit ille pavetque pallidus*) sed et rigidum, nec quicquam humoris habentem, quippe *in rigidas silices versum*, cogitare debeamus. Neque ego audaciam appellaverim potius, quam ludicrum quoddam acumen, quo ille

At quam caute, quam verecunde poeta una voce *humectat* curavit, ne *fluminis* illa amplificatio molesta esset. In ipsis etiam numeris, et verborum sono (quanquam in his nullum poetae studium agnosco) aliquid mihi videtur remedii contra audaciam esse. Iam paullo robustioris ingenii poetam, Statium, videamus; in *lacrymarum imbres* incidemus, neque reliqua desiderabimus, quae illam metaphorae insolentiam adiuvare possint. Locus est Thebaid. Lib. 2, 235. Non dolor, non moeror, sed virgineus pudor lacrymas ciet, et tamen

— tunc ora rigantur
Imbribus honestis.

Neque haec sufficiunt. Habet enim ille tantos lacrymarum quasi torrentes, qui galeae vincula rumpant. Theb. 2, 634.

— singultibus arctum
Exhaurit thoraca dolor, nec vincla coercent
Undantem fletu galeam.

Sed e poetarum imbribus emergamus, et ad aridiora veniamus. Saepe illam sententias colorandi et variandi libidinem, quam supra commemoravimus, argutissimarum et ineptissimarum metaphorarum in illis poetis fontem fuisse animadverti. Plerumque harum variationum hic modus est, ut quae sententia primum satis proprie et simpliciter, vel cum levi aliquo translationis flexu, dicta fuerat, eam deinde doctiori metaphora involutam ostendant. Habet ea res aliquid laudis et splendoris ab inventione, ab acumine quodam: sed huius ipsius laudis studium saepe poetas ita occaecavit, ut, quid rectum aptumque esset, minus viderent, et obscurissime dicerent. Sic Claudianus in Laud. Seren. vers. 4. Reginae comam dicit

— solitam consurgere gemmis
Et rubro radiare mari.

Dubito an nemo, sine praevia *gemmarum* mentione, ex illo *rubro mari* aliquam sententiam hauserit. — Alio loco vers. 34. quum laudes Serenae ex eius nobilitate redundantes declarare vellet, hac sententiarum variatione usus est:

Quodsi nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina causae,
Quis venerabilior sanguis?

Quis, quaeso, illa *semina causae*, in quae laudes redeant, intellexerit, nisi praecedenti sententia adiutus?

Lusum in metaphoris vel argutias dicimus, quum in delectu et usu metaphorae, praeter naturalem eius vim, quae in rebus signandis et sub oculos subiiciendis cernitur, aliquid quaeritur, quod non ad ipsas res illustrandas, sed ad dicentis ingenium et acumen declarandum pertineat, ita ut, qui tales metaphoras fingunt, non tam rei, quam sui ipsorum memores fuisse videantur. Huius consuetudinis praecipuus fons est in abusu acrioris phantasiae, et ingenii quosdam sententiarum acutarum veluti laqueos et insidias exponentis. Unde etiam harum metaphorarum plerumque tam subtilis et abdita vis est, ut eam magis mente et cogitatione sentire, quam verbis explicare possimus. Exempla si quaerimus, apud nullum fere poetarum Latinorum plura deprehendemus, quam apud Ovidium, quem constat ea imaginatione eoque ingenio fuisse, ut omnibus acuminum lusuumque generibus lubenter et facile uteretur. Tale est, meo quidem sensu, quod Metam. 9, 224. Lichan *exsanguem metu* dixit, hac ancipiti sententia, ut non solum pallentem atque exanimatum metu (ut antea, *tremit ille pavetque pallidus*) sed et rigidum, nec quicquam humoris habentem, quippe *in rigidas silices versum*, cogitare debeamus. Neque ego audaciam appellaverim potius, quam ludicrum quoddam acumen, quo ille

Metam. 15, 47. *candidam sententiam* dixit de lapillis candidis, quibus sententia favorabilis et absolutoria declarabatur. — Sed horum troporum vel metaphorarum, quae auctoris sui luxuriem fontem habent, non sunt difficilia inventu vestigia, si et illas luxuriei notas teneamus, et uniuscuiusque poetae indolem ingeniumque bene noscamus, ne in Virgilio quaeramus aut exspectemus, quae in solo Ovidio, vel Statio, vel Claudiano occurrere possunt.

Multo autem, quam in tropis et metaphoris, latius patet et manifestior est luxuries illa, quam poetae latini in variis *sententiarum conformationibus* prodiderunt: quanquam harum formarum in poetis multo minor varietas reperitur, quam in oratoribus, apud quos verborum ac sententiarum ornatus tantum valere existimatus est, ut qui in utroque genere plurimum posset, is eloquentissimus haberetur. [92]) Itaque multae sunt figurae, orationisque conformationes, oratori ita propriae, ut vix in aliquo carmine locum habere possint. Communes autem utrisque illae sunt maxime, in quibus vel delectatio ex variis rebus, aut mentem aut sensus suaviter tangentibus, vel magna admiratio ex amplificatione efficitur, atque ita quidem, ut poetis etiam frequentius liberiusque illis uti concessum sit. Nam si orator, auctore Cicerone (Orat. 40) sic dicere potest, *ut verset saepe multis modis eandem et unam rem, ut hominum sermones moresque describat, ut muta quaedam loquentia in-*

---

92) Cic. Orat. 39. *Sententiarum ornamenta*, inquit, *maiora sunt: quibus quia frequentissime Demosthenes utitur, sunt qui putent, idcirco eius eloquentiam maxime esse laudabilem. Et vero nullus fere ab eo locus sine quadam conformatione sententiae dicitur; nec aliud quicquam est, dicere, nisi omnes, aut certe plerasque aliqua specie illuminare sententias.*

ducat, ut comparet similitudines, ut rem dicendo subiiciat oculis, ut rem supra ferat, quam fieri possit, ut contrariis opponat contraria: quidni haec omnia, et si quae similia sint orationis insignia et lumina, poetarum voluptati ac vehementiae concedamus?

Sed in his ipsis dicendi formis, quia phantasiam singulae effectricem et moderatricem habent, tantae aberrandi a iusta mensura vel opportunitates vel illecebrae sunt, ut portenti simile esset, si poetas Latinos, quorum luxuriem in ceteris eloquentiae partibus vidimus, in hac parte sola continentissimos repериremus. Ac de comparationibus quidem, de descriptionibus et variationibus, in quibus praecipuos et proprios orationis poeticae ornatus esse statuimus, separatim a nobis in antecedentibus disputatum est. In reliquis autem orationis conformandae generibus, in quibus tractandis poetae Latini veteres praeter modum luxuriose versati sunt, eminent illae, quas antiquiores eloquentiae magistri *hyperbolas* et *antitheses* appellarunt. De his igitur iam ita dicendum nobis videtur, ut, quam vim habeant, et quomodo iis ad dicendi luxuriem poetae abusi sint, et re ipsa et exemplis perspicue demonstremus.

E Quintiliano discimus, iam olim fuisse, qui duplex hyperboles genus statuerent, unum, ad tropos referendum, et quandam metaphorae speciem, quod rem brevissime per comparationem aut similitudinem, aut signis quibusdam, aut translatione, extolleret: ut quum *fulminis ocior alis*, vel *equus montis instar*, a Virgilio dicitur; alterum, latius patens, quod magnae amplificationis formam haberet. [93]) Hanc

93) Quintil. Inst. Or. 8. 4. 5. „Scio, inquit, posse videri quibusdam speciem amplificationis *hyperbolem* quoque, nam et haec in utramque partem (vel ad minuendum vel

ultimam sententiam maxime Cicero probasse videtur, qui illum omnem augendi modum in sententiarum conformationibus et ornamentis numeravit.[94]) Quicquid sit, utrumque genus apud veteres poetas frequentissimum est, illud autem brevius (quam metaphoram hyperbolicam potius dixerim) propter usus quandam consuetudinem ita vulgare, ut ei fingendo vel novando non multum operae aut artis impenderint. De hoc enim genere maxime valet, quod Quintilianus (Lib. Instit. or. 8, 6. fin.) de omni hyperbole iudicavit. *Est in usu*, inquit, *vulgo quoque et inter imperitos, et apud rusticos, videlicet quod a natura est omnibus augendi res et minuendi cupiditas insita, nec quisquam vero contentus est.* Deinde, quae faciunt, ut hyperbole, eodem Quintiliano iudice, in oratore virtus sit, ea multo magis in poeta locum habent. *Tum est hyperbole virtus*, ait, *quum res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum excessit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici, quantum est, non potest: meliusque ultra, quam citra, stat oratio.*

Misso igitur hoc hyperboles genere, quod et usu loquendi prope sancitum est, et propter brevitatem

---

ad augendum, valet: sed quia excedit hoc nomen, in tropos differenda est." Deinde Cap. 6. 68. hanc *ementientem superlationem* appellans, inter tropos commemorat, ita tamen, ut breviorem illam, metaphorae similem, a latiori, quae figura potius dicenda sit, non satis accurate eum distinxisse intelligamus.

94) Auctori ad Herenn. 4, 33. *Superlatio* est oratio superans veritatem, alicuius augendi minuendive causa. De Orat. 3. 53. eandem *veritatis superlationem*, et *traiectionem* vocat; et Orat. 40. hanc formam dicendi ita oratori tribuit, ut eum dicat *saepe supra rem ferre, quam fieri possit.* In his autem locis non de tropis, sed de sententiae figuris sermo est.

facillime iudicari potest, omnis nobis disputatio nunc erit de altero genere, quod in rebus exaggerandis augendisque per plures sententias et latiorem orationis tractum cernitur. Haec quoque forma dicendi, ut ceterae omnes, quae illustrandae orationi serviunt, duos maxime fontes habet, naturam et artem. Etenim natura comparatum est, ut, qui magnis animi perturbationibus, vel magnarum rerum cogitatione atque admiratione commoti sunt, omnia, quae dicunt, maiora faciant; sive timore aliquo, ne recta et vulgaris oratio sensuum magnitudinem non assequatur, sive quod unusquisque ita se amat, ut sensus suos, quo graviores appareant, ultra veritatem extollere, etiam cum mendacii periculo, cupiat; sive denique, quod multae res, multi animi sensus eiusmodi sunt, quorum vera magnitudo, nisi adiuncta rerum maiorum et admirabilium comparatione ac similitudine, aestimari non possit.

Hoc genus hyperboles, cui naturae quaedam vis et veritas subest, nunquam fere displicet, ac saepe, quanquam ipsum ultra fidem progressum, tamen summam fidem habere et facere solet. [95]) Ita, quum Ovidius Trist. 1, 47. rerum suarum calamitate oppressus, et fortunam adversam lamentans exclamat

Tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent,
Parvaque quot siccus corpora pulvis habet.

tantum abest, ut haec nimia aut luxuriosa iudicemus, ut potius in societatem quandam doloris hac ipsa exaggeratione animus noster adducatur. Vox est homi-

95) Hoc illud est, quod Longinus de Sublim. Cap. 38. scite adnotavit: "Ἄριςαι τῶν ὑπερβολῶν, αἱ αὐτὸ τῦτο διαλανθάνουσαι, ὅτι εἰσὶν ὑπερβολαί. γίνεται δὲ τοιόνδε, ἐπειδὰν ὑπὸ ἐκπαθείας μεγέθει τινὶ συνεκφωνῶνται περιςάσεως.

ultimam sententiam maxime Cicero probasse videtur, qui illum omnem augendi modum in sententiarum conformationibus et ornamentis numeravit.[94]) Quicquid sit, utrumque genus apud veteres poetas frequentissimum est, illud autem brevius (quam metaphoram hyperbolicam potius dixerim) propter usus quandam consuetudinem ita vulgare, ut ei fingendo vel novando non multum operae aut artis impenderint. De hoc enim genere maxime valet, quod Quintilianus (Lib. Instit. or. 8, 6. fin.) de omni hyperbole iudicavit. *Est in usu*, inquit, *vulgo quoque et inter imperitos, et apud rusticos, videlicet quod a natura est omnibus augendi res et minuendi cupiditas insita, nec quisquam vero contentus est.* Deinde, quae faciunt, ut hyperbole, eodem Quintiliano iudice, in oratore virtus sit, ea multo magis in poeta locum habent. *Tum est hyperbole virtus*, ait, *quum res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum excessit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici, quantum est, non potest: meliusque ultra, quam citra, stat oratio.*

Misso igitur hoc hyperboles genere, quod et usu loquendi prope sancitum est, et propter brevitatem

---

ad augendum, valet: sed quia excedit hoc nomen, in tropos differenda est." Deinde Cap. 6. 68. hanc *ementientem superlationem* appellans, inter tropos commemorat, ita tamen, ut breviorem illam, metaphorae similem, a latiori, quae figura potius dicenda sit, non satis accurate eum distinxisse intelligamus.

94) Auctori ad Herenn. 4, 33. *Superlatio* est oratio superans veritatem, alicuius augendi minuendive causa. De Orat. 3, 53. eandem *veritatis superlationem*, et *traiectionem* vocat; et Orat. 40. hanc formam dicendi ita oratori tribuit, ut eum dicat *saepe supra rem ferre, quam fieri possit.* In his autem locis non de tropis, sed de sententiae figuris sermo est.

facillime indicari potest, omnis nobis disputatio nunc erit de altero genere, quod in rebus exaggerandis augendisque per plures sententias et latiorem orationis tractum cernitur. Haec quoque forma dicendi, ut ceterae omnes, quae illustrandae orationi serviunt, duos maxime fontes habet, naturam et artem. Etenim natura comparatum est, ut, qui magnis animi perturbationibus, vel magnarum rerum cogitatione atque admiratione commoti sunt, omnia, quae dicunt, maiora faciant; sive timore aliquo, ne recta et vulgaris oratio sensuum magnitudinem non assequatur, sive quod unusquisque ita se amat, ut sensus suos, quo graviores appareant, ultra veritatem extollere, etiam cum mendacii periculo, cupiat; sive denique, quod multae res, multi animi sensus eiusmodi sunt, quorum vera magnitudo, nisi adiuncta rerum maiorum et admirabilium comparatione ac similitudine, aestimari non possit.

Hoc genus hyperboles, cui naturae quaedam vis et veritas subest, nunquam fere displicet, ac saepe, quanquam ipsum ultra fidem progressum, tamen summam fidem habere et facere solet. [95]) Ita, quum Ovidius Trist. 1, 47. rerum suarum calamitate oppressus, et fortunam adversam lamentans exclamat

Tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent,
Parvaque quot siccus corpora pulvis habet.

tantum abest, ut haec nimia aut luxuriosa iudicemus, ut potius in societatem quandam doloris hac ipsa exaggeratione animus noster adducatur. Vox est homi-

---

95) Hoc illud est, quod Longinus de Sublim. Cap. 38. scite adnotavit: "Ἄρισται τῶν ὑπερβολῶν, αἱ αὐτὸ τοῦτο διαλανθάνουσαι, ὅτι εἰσὶν ὑπερβολαί. γίνεται δὲ τοιόνδε, ἐπειδὰν ὑπὸ ἐκπαθείας μεγέθει τινὶ συνεκφωνῶνται περιστάσεως.

nis acriter sentientis mala sua: in eo maiorem sensibus orationem et exspectamus et condonamus.

Iam vero naturae artem opponamus. Artis est, naturae simplicitatem aliquo apparatu et ornatu instruere, studium, curam adhibere, ingenii quasdam scintillas spargere, doctrinae opes exponere. Fingamus aliquem oratorem vel poetam, qui ita institutus eoque praeditus ingenio sit, ut illa omnia facere possit; vel fingamus alium, ea ingenii mediocritate, ut, quae natura denegaverit, arte, studio, et aemulatione explere velit. 96) Redeamus ad Ovidium nostrum, quem videmus ea esse ingenii varietate, ut modo totus videatur naturae; frugalitati et veritati addictus, modo luxuriosissimae artis cultu et praestigiis utatur. Non offendebamus in illa malorum exaggeratione, quam curtis duorum versuum finibus incluserat. Ea omnis oratio e vero animi sensu expressa videbatur. Sed

---

96) Nempe, ut Quintilianus ait Lib. 2, 3. 8. *Quo quis ingenio minus valet, hoc se magis attollere et dilatare conatur, ut statura breves, in digitos eriguntur, et plura infirmi minantur. Nam tumidos et corruptos, et tinnulos, et quocunque alio κακοζηλίας genere peccantes, certum est, non virium, sed infirmitatis vitio laborare.* Cum quo loco componendus est is, qui proprie huc pertinet, Lib. 8. 6. fin. *Quamvis est omnis hyperbole ultra fidem, non tamen debet esse ultra modum:* nec *alia via magis in κακοζηλίαν itur.* Sed et e nostris aliquem acutissimum harum rerum existimatorem, Schillerum, audiamus (Abhandl. über naive und sentimentale Dichter, in den Horen 1796. 1, St. p. 91.) „Man muſs die überspannte Empfindung von dem Ueberspannten in der Darstellung unterscheiden. Das Object der Empfindung kann unnatürlich seyn, aber sie selbst ist Natur, und muſs daher auch die Sprache derselben führen. Wenn also das Ueberspannte in der Empfindung aus Wärme des Herzens und einer wahrhaft dichterischen Anlage flieſsen kann, so zeigt *das Ueberspannte in der Darstellung jederzeit von einem kalten Herzen, und sehr oft von einem poetischen Unvermögen.*"

non is est Ovidius, qui hunc modum diu tenere possit. Poetam in eadem malorum suorum exaggeratione, ludentem, exsultantem, luxuriantemque videamus.' Trist. Lib. 4, 1. 55—60.

Meque tot adversis cumulant, quot litus arenas,
Quotque fretum pisces, ovaque piscis habet.
Vere prius flores, aestu numerabis aristas,
Poma per autumnum, frigoribusque nives,
Quam mala, quae toto patior iactatus in orbe.

Lib. 5, 2. 23—32.

Litora quot conchas, quot amoena rosaria flores,
Quotque soporiferum grana papaver habet,
Silva feras quot alit, quot piscibus unda natatur,
Quot tenerum pennis aëre pulsat avis,
Tot premor adversis. Quae si comprendere coner,
Icariae numerum dicere coner aquae.

Eiusdem libri Eleg. 6, 41. sq.

Quam multa madidae celebrantur arundine fossae,
Florida quam multos Hybla tuetur apes;
Quam multae gracili terrena sub horrea ferre
Limite formicae grana reperta solent;
Tam me circumstant densorum turba malorum.
Crede mihi, vero est nostra querela minor.
His qui contentus non est, in litus arenas,
In segetem spicas, in mare fundat aquas.

Quid autem potest esse frigidius arte illa, qua Epist. ex Ponto 4, 15, 6. P. Pompeii in se *merita* exaggerat;

A meritis eius pars mihi nulla vacat.
Quae numero tot sunt, quot in horto fertilis arvi
Punica sub lento cortice grana rubent,
Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos.

Molestum est et paene puerile *merita* cum istis rebus comparare. Nempe in luxurie poetica, de qua

disputamus, utrumque esse solet, ut ab initio vidimus.

Hyperbole graviter et magnifice verbis ac sententiis elata hanc vim habere solet, ut rei, de qua agitur, magnitudinem penitus sentiamus atque intelligamus. Quantum enim ultra fidem aut veritatem dicitur, tantum ipsi rei adstruimus. Illam autem vim una luxuries frangit, [97]) quae non solum miracula ultra modum cumulat, sed et verbis, sententiis, aliisque elocutionis artificiis ita comit et ornat, ut nobis non tam res ipsa, quae subest, quam ars et eloquentia dicentis commendata videatur. Iam supra, quum de poetarum Latinorum immoderata laudandi adulandique libidine diceremus, vidimus, quantum illi laudes suas, quas amplificáre volebant, saepe inepta amplificationis luxurie imminuerint. Haec tum propter alias causas disputabamus. Sed in iisdem rebus omnis hyperboles male tractatae idem eventus est. Claudianus certe nescio quo modo mihi non persuadet magnitudinem liberalitatis, quam in Probo laudare instituit vers. 43. sq.

— — largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut densos currentia munera nimbos
Cernere semper erat: populis undare Penates:
Assiduos intrare inopes: remeare beatos.
Praeceps illa manus fluvios superabat Iberos
Aurea dona vomens. Sic quis tellure revulsa
Sollicitis fodiens rimatur collibus aurum:
Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis
Effluxere decus: quanto pretiosa metallo

97) Longinus de Sublim. Cap. 38. εἰδέναι χρὴ, inquit, τὸ μέχρι πȣ παροριστέον ἕκαστον· τὸ γὰρ ἐνίοτε περαιτέρω προεκπίπτειν ἀναιρεῖ τὴν ὑπερβολὴν, καὶ τὰ τοιαῦτα ὑπερτεινόμενα χαλᾶται, ἔσθ᾽ ὅτε δὲ καὶ εἰς ὑπεναντιώσεις ἀντιπεριΐσταται.

Hermi ripa micat: quantas per Lydia culta
Despumat rutilas dives Pactolus arenas.

Suspectam mihi virtutem ipsa laudantis ambitio et contentio reddit. Sed maxime manifesta luxuriei illius haec vis est, ut, dum magnitudinis sensibus animum implere velit, mendacii cogitandi taedium adferat, in quo summum hyperbolicae elocutionis vitium Quintilianus etiam posuit. *Piget referre,* inquit, *plura hinc* (scil. ex κακοζηλίᾳ) *orta vitia. Monere satis est, mentiri hyperbolen, nec tamen ita, ut mendacio fallere velit.* Atque in eo genere maxime εὐτεχνίας et κακοτεχνίας discrimen cernitur. Multa sunt in Homero et Virgilio, ex genere hyperbolico, quae nemo credere nec possit nec velit, sed quae tamen in eo affectu, vel de tantis rebus, vel tanta cum verborum gravitate dicuntur, ut nullum nisi admirationis sensum efficiant. Ardor militum pugnantium, irruentium, vulnerantium, adeo nihil habet in reliqua hominum vita, quod eius atrocitatem exaequet, ut poeta, talem ardorem descripturus, et rei paene incredibilis cogitatione plenus, non possit non circumspicere similitudinem earum rerum, quarum comparatio illum magnitudinis sensum adiuvet vel absolvat. Itaque Homerum videmus nullis in locis ὑπερβολαῖς uti frequentius, quam ubi magnas pugnantium contentiones, cladumque calamitates et furores describit. Talis locus, praeter multos alios, est Iliad. μ. 156. sq.

νιφάδες δ' ὡς πίπτον ἔραζε
Ἅς τ' ἄνεμος ζαής, νέφεα σκιόεντα δονήσας,
Ταρφειὰς κατέχευεν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.
Ὣς τῶν ἐκ χειρῶν βέλε' ἔῤῥεον, ἠμὲν Ἀχαιῶν
Ἠδὲ καὶ ἐκ Τρώων.

Quis, haec cum sensu legens, summum poetam vanum aut mendacem dicat? Aut quis iure reprehen-

dendum putet Virgilium, quod in similibus locis illud magnitudinis graviter significandae adiumentum ex Homero adsciverit? Sic ipsum illum locum ornavit Aen. 9, 666.

Sternitur omne solum telis: tum scuta cavaeque
Dant sonitum flictu galeae: pugna aspera surgit:
Quantus ab occasu veniens pluvialibus Hoedis
Verberat imber humum: quam multa grandine nimbi
In vada praecipitant, quum Iupiter horridus austris
Torquens aquosam hiemem, et coelo cava nubila rumpit.

Auctam aliquot coloribus imaginem Homericam, et quodammodo ornatam accepimus. Sed iam tertii artificis, Statii, luxuries, monstrosam et paene ridiculam dedit, Theb. 8, 406. sq.

At postquam rabies et vitae prodiga virtus
Emisere animos, non tanta cadentibus hoedis
Aeriam Rhodopen solida nive verberat Arctos,
Nec fragor Ausoniae tantus, quum Iupiter omni
Arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis,
Quum Libyae Boreas Italos niger attulit imbres.
Exclusere diem telis, stant ferrea coelo
Nubila, nec iaculis arctatus sufficit aër.
Hi pereunt missis, illi redeuntibus hastis.
Concurrunt per inane sudes, et mutua perdunt
Vulnera, concurrunt hastae, stridentia fundae
Saxa pluunt, volucres imitantur fulgura glandes,
Et formidandae non una morte sagittae.
Nec locus ad terram telis, in corpore ferrum
Omne cadit.

Quis, quaeso, ex hoc tumore, ex hac audacia, ex his paene portentis, verae alicuius magnitudinis aut admirationis sensum concipiat? Hic forsitan unus

Statii locus suffecerit, ut, qualem in hyperbole tractanda luxuriem dicamus, intelligi possit. Sed alterum tamen addam, eiusdem poetae, quo nullus facile alius, si Lucanum exceperis, in hoc praecipue genere luxuriantior est. Theb. 6, 84. pyram auguris monitu exstructam narrat, in qua Archemori a serpente confecti arma insignia et munera concremata fuerint. Concedamus poetam pyram *magnam* animo concepisse, ut illarum exequiarum splendor, pyrae etiam magnitudine illustraretur. Quid ergo? Nempe pyram descripsit, cuius molem ne mente quidem et cogitatione quis assequatur. Totius loci primam particulam exhibebo: nam reliqua longiora sunt:

Parte alia gnari monitis exercitus instat
Auguris, aëriam truncis nemorumque ruina
Montis onus cumulare pyram, quae crimina caesi
Anguis, et infausti cremet atra piacula belli.
His labor abscissam Nemeea, umbrosaque Tempe
Praecipitare solo, lucosque ostendere Phoebo.
Sternitur extemplo veteres incidua ferro
Sylva comas, largae quae non opulentior umbrae
Argolicos inter saltusque educta Lycaeos
Extulerat super astra caput.

Habes prooemium. Nam in sequentibus tanta tot arborum (quae singulae suis nominibus virtutibusque operoso cum verborum apparatu insigniuntur) excisio et ruina describitur, quae vel magnae urbi exaedificandae sufficere possit. Quem locum ubi perlegi, poetae doctrinam, copiam, facundiam, furorem admiratus sum; sed pyram istam non curavi; mendacium poetice et splendide mihi dictum existimavi. Certe memineram multo me plura, quae mirationem facerent, cogitasse et sensisse, quum illa pauca legerem apud Virgilium Aen. 4, 504.

At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, taedis atque ilice secta,
Intenditque locum sertis, et fronte coronat
Funerea.

Restant formae dicendi illae, quas Graeci ἀντιθέσεις vel ἀντίθετα vocarunt. Earum haec universa vis est, ut contraria contrariis, sive verba verbis singulis, sive sententiae sententiis, opponantur. Quam ob caussam iisdem subiectae quoque sunt illae orationis conformationes, quae utcunque e contrariis, e disiunctis, vel repugnantibus fieri solent, ut ἐνθυμήματα, ὀξύμωρα, et si quas alias huius generis Rhetorum subtilis diligentia suis quamque nominibus discrevit. Neque hae figurae nullam vel a natura, vel ab arte, commendationem habent. Contrariis et oppositis natura delectamur; et opposita iuxta se posita magis elucescunt. Illa ipsa brevitas, quae formarum illarum fere propria esse solet, atque illa e numero quodam, qui ex his sponte nascitur, concinnitas magnam ad delectandum vim habet. Denique quum in quamplurimis sententiis, quae ex contrariis et repugnantibus constant, insit aliquid αἰνιγματῶδες et acuminis gratia commendabile, dici vix potest, quam utriusque rei intelligentia capiatur animus. Sed haec ipsa, quae in his formis plurimum valent, brevitas, concinnitas, acumen, magnum perversi usus periculum adferunt. Nam si a paucis orationis opportunitatibus recesseris, in quibus illae figurae aliquam vim et virtutem habere possint, [98]) toto tamen genere eiusmodi sunt, ut vel

98) V. c. in gravi argumento, ubi aliquid oculis subiiciendum et acriter inculcandum est animis: nam rerum iuxta se positarum celerior comparatio, certiusque indicium est. Eo genere saepe Cicero gravissime utitur, ut Catil. 2, 4. *Si ipsas causas, quae inter se confligunt, contendere velimus, ex eo ipso, quam valde illi iaceant, intelli-*

scriptoris vanitatem vel solam delectationem adiuvare queant. Itaque videmus summos poetas atque oratores, qui omnium dicendi virtutum exempla extiterunt, ab iis quam maxime se abstinuisse, reliquos autem, qui acuti, concinni, novi, esse vellent, vel ad ingenii ostentationem et ad legentium oblectationem se maxi-

---

gere possumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo etc. Et pro Mil. 16. *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?* — Similia antithetorum exempla, ad gravitatem et aliquam virtutem orationis comparata apud optimos quosque auctores occurrunt. Sed ab eo genere separandum est illud, quod a corruptioris eloquentiae scriptoribus adscitum, nihil fere praeter ornatus, artis, et acuminis ambitiosam et ludicram ostentationem habet: quamquam et hoc genus subinde excusari potest, si ita adhibetur, ut non quaesitum, sed oblatum et adductum ab ipsis rebus esse videatur. Ovidius, quum antithesibus et acuminibus ludit, in ceteris carminibus saepe ineptus et frigidus est, et vix ferendus; in libris autem Amorum fere nunquam. Res leves et ludicras illa orationis levitas et lusus prope unice decet. Non possum mihi temperare, quin id unius loci exemplo confirmem. Lib. 1. Art. Am. vers. 79. sq. demonstrat, etiam forum amoribus non carere:

Et fora conveniunt, quis credere possit? amori;
Flammaque in arguto saepe reperta foro.
Subdita qua Veneris facto de marmore templo
Appias expressis aëra pulsat aquis.
Illo saepe loco capitur consultus Amori:
Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.
Illo saepe loco desunt sua verba deserto;
Resque novae veniunt, causaque agenda sui est.
Hunc Venus e templis, quae sunt confinia videt.
Qui modo patronus, nunc cupit esse cliens.

me comparassent, illis figuris ita intemperanter usos, ut orationem omni gravitate exuerent, ac frigidis ineptisque verborum et sententiarum lusibus implerent. Neque haec in eloquentiam inducta labes diu ferri, aut iudicum elegantiorum reprehensiones effugere potuit. Constat, qua in invidia olim Gorgias, Isocrates, et Lysias, et Sophistae inprimis, propter illarum figurarum abusum, fuerint.[99] In Plinii, Taciti, Senecae oratione, quum cetera praeclara sint, una illorum acu-

99) De Gorgia insignis locus est Diodori Sic. 12, 63. Οὗτος οὖν, inquit, καταντήσας εἰς τὰς Ἀθήνας, καὶ παραχθεὶς εἰς τὸν δῆμον, διελέχθη τοῖς Ἀθηναίοις περὶ τῆς συμμαχίας, καὶ τῷ ξενίζοντι τῆς λέξεως ἐξέπληξε τοὺς Ἀθηναίους, ὄντας εὐφυεῖς, καὶ φιλολόγους. πρῶτος γὰρ ἐχρήσατο τῆς λέξεως σχηματισμοῖς περιττοτέροις, καὶ ἰσοκώλοις καὶ παρίσοις καὶ ὁμοιοτελεύτοις, καί τισιν ἑτέροις τοιούτοις, ἃ τότε μὲν διὰ τὸ ξενὸν τῆς παρασκευῆς ἀποδοχῆς ἠξιοῦτο, νῦν δὲ περιεργίαν ἔχειν δοκεῖ, καὶ φαίνεται καταγέλαστον, πλεονάκις καὶ κατακόρως τιθέμενον. vid. ibi Wesseling. Unde et γοργιάζειν dixerunt eos, qui istis orationis deliciis frequenter uterentur. cf. Cresoll. Theatr. Rhet. 1, 5. p. 40. Quod quale sit, cognosci potest ex oratione Tomo 8. Oratt. graec. Reisk. inserta, quae Ἑλένης ἐγκώμιον habet et Gorgiae tributa est. Ea oratio meris antithesium, παρισῶν, et similium figurarum, quarum artificem Gorgiam veteres perhibuerunt, lusibus constat. cf. Suidas in Γόργιας. — De Isocrate iudicium est Dionysii Halic. Cap. 3. Tom. V. ed. Reisk. p. 539. et Cap. 14. — De Lysia idem Dionysius Theophrasti iudicium adfert Cap. 14. Ἐν τοῖς περὶ λέξεως γραφεῖσι τῶν τε ἄλλων καταμέμφεται τῶν περὶ τὰς ἀντιθέσεις καὶ παρισώσεις καὶ παρομοιώσεις, καὶ τὰ παραπλήσια τούτοις σχήματα διεσπουδακότων, καὶ δὴ καὶ τὸν Λυσίαν ἐν τούτοις παραριθμεῖ, καὶ τὸν ὑπὲρ Νικίου λόγον, ὡς ὑπὸ τούτου γεγραμμένον τοῦ ῥήτορος. Quanquam Dionysius Lysiam ita defendit, ut illam orationem ab eo scriptam esse neget. — De Sophistis autem ita manifesta res est, ut λόγος σοφιστικὸς, τὸ σοφιστικὸν, τὸ σοφιστεύειν dicerentur, ubi illi ipsi orationis lusus commemorandi erant. vid. Lex. technol. Rhet. gr. ad illas voces.

minum frequentia et affectatio semper reprehensa est, itque etiamnum reprehendi solet.[100]) Ipsum Ciceronem illius abusus suspectum fuisse, non obscure Quintilianus prodidit. Quid? quod illa iuvenilis redundantia, quam Cicero sibi ipse exprobrat, maxime ad eas licendi formas pertinet, quae antithetorum quasdam argutias habent.[1])

Iam, his ita expositis de figurarum illarum causis, ratione atque indole, si recordamur, quae poetarum latinorum, de quibus loquimur, aetas fuerit, quae ingenia, quae studia, et si repetimus illa, quae hactenus de omni horum poetarum luxurie dicta et demonstrata sunt,[2]) vix quisquam argumenta aut exempla deside-

---

100) Vid. Monboddo de Orig. et progressu Lingu. P. 2. Lib. 4, 3. praecipue pag. 353. vers. german.

1) Quintil. Inst. Or. 9, 3. 74. *Magnae veteribus curae fuit,* inquit, *gratiam dicendi e paribus contrariis acquirere. Gorgias in hoc immodicus, copiosus utique prima aetate Isocrates fuit. Delectatus est his etiam M. Tullius, verum et modum adhibuit non ingratae (nisi copia redundet) voluptati, et rem, alioqui levem, sententiarum pondere implevit.* cf. Quintil. Lib. 12, 10. Auct. Dial. de corr. eloq. Cap. 18. et 23. et quae ad h. l Schulzius adnotavit. Ciceronis locus est in Orat. 30. „Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum? quae nequaquam satis deferbuisse post aliquando sentire coepimus. *Quid enim tam commune quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis?*" etc. e Rosciana Cap. 26. Huc et illa referam pro Mil. 4. *Est haec, iudices, non scripta, sed nata lex* etc. unde Quintilianus Lib. 9, 3. contrapositorum exemplum, quamvis non diserte reprehendens, petiit. Mihi quidem hic locus nimiam ornatus et concinnitatis adfectationem habere semper visus est. cf. quae notavit Graevius ad Orat. pro Quintio Cap. 15. p. 62.

2) Plerumque enim plura luxuriei genera in uno loco coniuncta vidimus. Sic laudum et blanditiarum exaggerationes fere semper verborum lusus et antithesium acumina

rabit, quibus illorum in antithesibus similibusque cendi formis luxuriem atque argutias evincamus. rumtamen, quum in illorum elocutione, et in or modo tractandi nonnulla sint praecipua, e quibus luxuries eluceat, de his accuratius ac singulatim, qu tum in hac libelli brevitate fieri possit, dicendum detur.

Primum illam luxuriem copia et redundantia guet. Id hanc vim habet, ut poetas nostros, sive qua proclivitate ingenii, sive arte et studio, in or oratione conformanda exornandaque ad quaerenda antithetis similibusque figuris et lusibus verborum sententiarum acumina se comparasse statuamus: quod nihil sit in eorum oratione grave aut sever aut rectum et elegans, sed quod ad illas delicias quentius cupidiusque deflectunt, quam res et orna necessitas postulat, et quod ita omnes illarum rer occasiones captant, ut non certum elegansque iu cium secuti, sed quadam ornandi, concinnandi, ac dicendi, ingenioque indulgendi libidine et consue dine acti videantur. Hanc quidem copiam singulis gulorum poetarum exemplis demonstrare velle, et finitum et putidum foret. Satis eam iudicum veter recentiorumque auctoritas confirmavit, et suus qu que legentem usus docere potest. Tamen vel exemplo utar eiusmodi, e quo intelligi possit, qui acute dicendi ludendique deverticulum quaerant, in toto hoc genere non posse esse moderatos.

---

et paradoxa habent, ut, quum Claudianus X, 330. Hon comitatem cum gravitate iunctam laudat:

Non odium terrore moves, nec frena resolvit
Gratia; diligimus pariter pariterque timemus;
Ipse metus te noster amat, etc. cf. Stat. Silv. 5, 2. et 2, 6. 41. Sil. Ital. 8, 610. Salei. Bass. in Pison. 90. ad quem locum alia notavit Wernsdorfius Tom. IV. P. minor.

Maior pars harum formarum, quum posita sit in delectatione, facile intelligitur, in multis argumentis et affectibus ne locum quidem illis esse posse, nisi quis adeo ineptus esse velit, ut in rebus seriis ludat, atque ipsi naturae repugnet. *Ubi atrocitate, invidia, miseratione pugnandum est;* Quintilianus inquit, *quis ferat contrapositis et pariter cadentibus, et consimilibus irascentem, flentem, rogantem?* Itaque epici carminis gravitas ab hoc ornatus genere maxime abhorret: nullae autem illius partes magis illum respuent, quam ubi pugnarum irae, caedentium crudelitates, caesorum calamitates, dolores, eiulatus, enarrandi sunt. Quid ergo poetae Latini? Quasi ostendere voluissent, nihil arti et ingenio arduum esse, curarunt, ut ne illae quidem tristissimae et luctuosissimae carminis partes omni acumine lusuque destituerentur. De vulnerum et caedum quibusdam miraculis et portentis cum manifesta acuminis ingeniique ambitione inductis supra diximus. Sed aliud supererat, quod maiorem etiam antithetorum, acuminum et lusus opportunitatem haberet. Quid vero? Nempe nullam paullo atrociorem pugnam descripserunt, quam non *geminorum fratrum* mirabilibus caedibus aut facinoribus distinguerent. Homines acuti videbant, quam multa in hoc phantasmate essent, quibus ornandis artem suam et ingenium explicare possent, ut, similitudo vultus et oris, quae non hostes modo, sed et ipsos fratres in mutuum errorem induceret, mutua fratrum pietas, mutua, vel communis mors, coniunctae caedes, et similia, quae in geminis, quam in singulis, multo mirabiliora esse solent. Itaque illi, inprimis autem Ovidius, in nullis locis libentius immorantur, aut maiorem verborum sententiarumque luxuriem ostendunt, quam in his, quae affectuum quandam pugnam, studiorumque aut consiliorum errores et ambiguitates habent. Legant, qui exempla desiderant, pul-

cherrimos alioquin versus Ovidii de Althea cum diversis materni sororiique amoris affectibus luctante Metam. 8, 463 sq., legant narrationem de Narcisso Lib. 3, 407 sq. Ipsum quidem phantasma e Virgilio videntur arripuisse, qui eo primus inter Latinos usus est Aen. 10, 390. ea tamen moderatione et gravitate, ut inde non luxuriandi occasionem, sed solam narrandi varietatem quaesivisse existimandus sit.[3] Sed reliquos videamus. Primus prodeat Statius, qui aliquoties geminos induxit. Plenus inprimis praestigiarum poeticarum locus est Thebaid. 2, 629 sq. ubi Tydeus duos fratres occidit.

---

3) Virgilius unde hauserit, incertum videtur. Quidni autem poeta ornaverit locum Homeri Il. ε, 541. ubi gemini Diocles filii, Crethon et Orsilochus, ab Aenea interficiuntur? An de Dioscuris, Castore et Polluce, quorum indiscreta similitudo tantopere celebrata fuit (vid. Hemsterhus. ad Luciani Dial. Deor. 26) istam imaginem poetae effinxerunt? Illis quidem pares filios Theodosii comparavit Claudianus IV. Cons. Honor. 203. sq.

Haud aliter summo gemini cum patre Lacones
Progenies Ledaea sedent: in utroque relucent
Frater, utroque soror. Simili chlamys effluit auro
Stellati pariter crines. Iuvat ipse Tonantem
Error, et ambiguae placet ignorantia matri.

Omnino autem de geminorum similitudine multi scriptores veteres multa notabilia congesserunt. Loca illorum recensuit Bulaeus ad Val. Fl. 1, 368. quibus addi potest Q. Decl. 6, 3. Itaque quum geminorum similitudo et comparatio per se haberet aliquid miraculi aut prodigii instar, atque idcirco magnam in narrando describendoque varietatem et quasdam eloquentiae praestigias admitteret, factum est, ut quo quis scriptor aut poeta ad utramque rem proclivior esset, eo lubentius geminos commemorandi comparandique occasionem captaret. Talis locus est Cl. Mamertini, ad Maximiani et Diocletiani laudes, geminorum regum Eurysthenis et Proclis comparationem acute et blande adhibentis, Panegyr. Cap. 9. Totus Mamertini

Vos quoque Thespiadae, cur inficiatus honora
Arcuerim fama? fratris moribunda levabat
Membra solo Periphas (nil indole clarius illa,
Nec pietate fuit) laeva marcentia colla
Sustentans, dextraque latus. Singultibus arctum
Exhaurit thoraca dolor, nec vincla coercent
Undantem fletu galeam, quum multa gementi
Pone gravis curvas perfringit lancea costas.
Exit et in fratrem cognatcque pectora telo
Conserit. Ille oculos etiamnum in luce natantes
Sistit, et aspecta germani morte, resolvit.
At cui vita recens, et adhuc in vulnere vires,
Hos tibi complexus, haec dent, ait, oscula nati.
Procubuere pares fatis (miserabile votum
Mortis) et alterna clauserunt lumina dextra.

cf. Theb. 6, 340 sq. 8, 449 sq. 9, 292 sq. Lucani locus est Lib. 3, 603.

Stant gemini fratres, fecundae gloria matris,
Quos eadem variis genuerunt viscera fatis.
Discrevit mors saeva viros, unumque relictum
Agnorunt miseri, sublato errore, parentes,
Aeternis causam lacrymis: tenet ille dolorem
Semper, et amissum fratrem lugentibus offert.

Iam post haec longo ordine mera fortitudinis portenta et miracula sequuntur. At hos etiam superavit ludendi et miras rerum verborumque antitheses nectendi luxurie Silius Italicus Lib. 2, 636.

Genethliacus Maximiano dictus, huic velut phantasmati, quod in geminis usquequaque versandis et agitandis cernitur, superstructus est. Quicquid in eo reperimus acute, ingeniose, et graviter dictum, eidem illi geminos comparandi instituto debemus. Nec difficile intellectu est, quid secuti sint, qui in omnibus rerum factorumque declarandis praecipuas geminis partes tribuerint. v. Sueton. Nero Cap. 1.

Vos etiam primo gemini occidistis in aevo,
Eurymedon fratrem, et fratrem mentite Lycorma,
Cuncta pares; dulcisque labor sua nomina natis
Reddere, et in vultu genetrici stare suorum.
Iam fixus iugulo culpa te solverat ensis,
Eurymedon, inter miserae lamenta senectae.
Dumque malis turbata parens, deceptaque visis,
Quo ruis? huc ferrum, clamat, converte Lycorma,
Ecce simul iugulum perfoderat ense Lycormas.
Sed magno, quinam, Eurymedon, furor iste? sonabat
Cum planctu; geminaeque nota decepta figurae
Funera mutato revocabat nomine mater.
Donec, transacto tremebunda per ubera ferro,
Tunc etiam ambiguos cecidit super inscia natos.

His addamus locum plane mirabilem lusibus, et acuminum aucupiis, quae vix locum habere potuissent, nisi poeta iterum geminos fratres finxisset. Ide mater, quae, lepida prorsus Statiani ingenii audacia, *gemini tunc funeris parens,* appellatur, filios suos quaerit, et tandem una trabe per pectora transfixa nexos invenit; Theb. 3, 147 sq.

Illi in secessu pariter sub rupe iacebant
Felices, quos una dies, manus abstulit una
Pervia vulneribus media trabe pectora nexi.
Ut vidit, lacrymisque oculi patuere profusis:
Hosne ego complexus, genitrix, haec oscula, nati,
Vestra tuor? sic vos extremo in fine ligavit
Ingenium crudele necis? quae vulnera tractem,
Quae prius ora premam? vosne illa potentia matris?
Vos uteri fortuna mei: qua tangere divos
Rebar et Ogygias titulis anteire parentes.
At quanto melius, dextraque in sorte iugatae,
Quis steriles thalami, nulloque ululata dolore

Respexit Lucina domum. Mihi quippe malorum
Causa labor. Sed nec bellorum in luce patenti
Conspicui factis, aeternaque gentibus ausi,
Quaesistis miserae vulnus memorabile matri:
Sed mortem obscuram, numerandaque funera passi;
Heu quantus furto cruor, et sine laude iacetis.
Quin ego, non dextras miseris complexibus ausim
Dividere, et tanti consortia rumpere leti:
Ite diu fratres, indiscretique supremis
Ignibus, et caros urna confundite manes.

Non minorem autem illi poetae luxuriem eo quoque declararunt, quod a figurarum illarum lusibus et argutiis ne in iis quidem locis se abstinuerunt, quae hominum magnis animi perturbationibus concitatorum sensus ostendunt. Nihil enim magis naturae repugnare, nihil magis a gravitate et sapientia scriptoris abhorrere potest. In omni affectu, qui quidem verus sit et gravis, adeo una naturae vis est, adeo nulla artis ratio aut ingenii, ut saepe videamus homines, quum acerrimis doloris, irae, miserationis sensibus urgentur, nihil praeter lacrymas, aut suspiria, aut corporis iactationem ostendere; quum autem summus ille ardor paulum deferbuit, tum eos demum ad verba venire, et vocem emittere. Et quum omnis eloquendi facultas a natura homini ad sensa et desideria animi exprimenda, cumque aliis communicanda concessa sit: tum vero multae sunt formae orationis, quibus si qui in summo affectu utuntur, eos tamen naturam sequi recte arbitramur. Exclamant enim, secum deliberant, soli loquuntur, interrogationibus urgent, Deum hominesque testes citant, mortuos etiam appellant, et multa alia ita dicunt, ut non tam sua verba, quam ipsius naturae vocem edere videantur. Ex quo intelligitur, quam procul a vero affectu absint, qui in enunciandis sensibus ambitiose curant, ut verba omnia nu-

merose cadant, et in sententiis tantum elegantiae sit tantumque examinis, quantum non nisi a maxima ingenii contentione, et summo artis studio expectari possit. Verissime enim Quintilianus, *omnis*, inquit, *cura verborum derogat affectibus fidem, et ubicunque ars ostentatur, veritas abesse videtur;* et praeclare aliquis apud Sheakspearium, in fabula nescio qua, quum alter summo desperationis affectu concitatus atrocissimas diras continenter loquutus esset, postremo autem dicacius et ingeniosius quaedam diceret, *bene est,* ait ad spectatores, *homo ad se rediit; facetias loquitur.* Ita profecto res se habet, ut qui ingenio et arti in dicendo indulgeat, in magno et vero affectu esse non possit. Ex his igitur iudicari potest negligentia et vanitas poetarum, qui, si quos iuducunt summis affectibus perturbatos, tamen eam orationem iis tribuunt, quae animum affectibus vacuum ostendit. Scilicet tum poetae personarum suarum obliti, suum ingenium, suam artem, suam doctrinam expromunt; in quo maximum luxuriei documentum esse iam saepe diximus. 4) Neque attinet, eius generis exempla

4) Huius obliviscentiae exempla, nescio an in nullo alio carmine plura, quam in Ovidii Epistolis Heroidum, occurrunt. Nullum paene par est versuum, quod non verborum sententiarumve antitheses et lusus, et plerumque quidem in summo scribentium affectu, habeat. Nonne verbis et sententiis ludit Ariadne Epist. 10. quum Theseo perfidiam et animi duritiem sic exprobrat vers. 111. ?

Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?
At semel aeterna nocte premenda fui.
Vos quoque, crudeles venti, nimiumque parati,
Flaminaque in lacrymas officiosa meas.
Dextera crudelis, quae me fratremque necavit:
Et data poscenti nomen inane fides.
In me iurarunt somnus ventusque fidesque:
Prodita sum causis una puella tribus.

hoc loco separatim congerere. Nam quum multa sint per totum libellum sparsa, quae hoc quoque vitium aliis adiunctum ostendunt, tum inprimis illa, quae §. 3. in Senecae Medea, et in Ovidii Hecuba et Thisbe vituperavimus, huc maxime revocanda erunt.

§. 10.

Luxuries 6) in epithetis.

Ἡ *χρῆσις τῶν τρόπων*, Longinus ait *περὶ ὕψ.* Cap. 32. *ὥσπερ τὰ ἄλλα πάντα καλὰ ἐν λόγοις, προαγωγὸν ἀεὶ πρὸς τὸ ἄμετρον, δῆλον ἤδη, κἂν ἐγὼ μὴ λέγω.* Maxime igitur mirum sit, si, quos poetas in omni ornatus genere luxuriantes ostendimus, eos in epithetorum usu temperantissimos deprehendamus, hoc est in ea parte orationis, in qua tot tantaeque ad ornandum, ad illuminandum, ad delectandum opportunitates atque illecebrae propositae sunt. In epithetis maxima pars est colorum orationis. Etenim

---

Nonne lusus captat Phyllis Epist. 2. Demophoontis sui perfidiam vituperans

Demophoon, ventis et verba et vela dedisti.
Vela queror reditu, verba carere fide.

Omnino Ovidii studium acute, concinneque dicendi et ludendi inprimis etiam adiutum esse videtur natura Elegorum, qui non tractum et fusum per plures versus orationem ferunt, sed optime ita construuntur, ut binis ad summum versibus sensum absolvant. Haec elegis propria fere brevitas et circumscriptio, poetae incauto, et ad lusus et acumina proclivi, continua luxuriandi pericula obiiciebat. Itaque Quintilianus, quum Lib. 10. 1. 88. Ovidium in Heroicis lascivum et amatorem ingenii sui appellat, illa potissimum carmina in mente habuisse mihi videtur. Neque illa omnis poetae ars est τέχνη λαθοῦσα, quam Longinus Cap. 22. naturae non contrariam recte affirmat, sed satis manifesta et quaesita, et veluti applausum aucupans legentium.

merose cadant, et in sententiis tantum elegantiae sit tantumque examinis, quantum non nisi a maxima ingenii contentione, et summo artis studio expectari possit. Verissime enim Quintilianus, *omnis*, inquit, *cura verborum derogat affectibus fidem, et ubicunque ars ostentatur, veritas abesse videtur*; et praeclare aliquis apud Sheakspearium, in fabula nescio qua, quum alter summo desperationis affectu concitatus atrocissimas diras continenter loquutus esset, postremo autem dicacius et ingeniosius quaedam diceret, *bene est*, ait ad spectatores, *homo ad se rediit*; *facetias loquitur*. Ita profecto res se habet, ut qui ingenio et arti in dicendo indulgeat, in magno et vero affectu esse non possit. Ex his igitur iudicari potest negligentia et vanitas poetarum, qui, si quos inducunt summis affectibus perturbatos, tamen eam orationem iis tribuunt, quae animum affectibus vacuum ostendit. Scilicet tum poetae personarum suarum obliti, suum ingenium, suam artem, suam doctrinam expromunt; in quo maximum luxuriei documentum esse iam saepe diximus. 4) Neque attinet, eius generis exempla

4) Huius obliviscentiae exempla, nescio an in nullo alio carmine plura, quam in Ovidii Epistolis Heroidum, occurrunt. Nullum paene par est versuum, quod non verborum sententiarumve antitheses et lusus, et plerumque quidem in summo scribentium affectu, habeat. Nonne verbis et sententiis ludit Ariadne Epist. 10. quum Theseo perfidiam et animi duritiem sic exprobrat vers. 111. ?

Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?
At semel aeterna nocte premenda fui.
Vos quoque, crudeles venti, nimiumque parati,
Flaminaque in lacrymas officiosa meas.
Dextera crudelis, quae me fratremque necavit:
Et data poscenti nomen inane fides.
In me iurarunt somnus ventusque fidesque:
Prodita sum causis una puella tribus.

hoc loco separatim congerere. Nam quum multa sint per totum libellum sparsa, quae hoc quoque vitium aliis adiunctum ostendunt, tum inprimis illa, quae §. 3. in Senecae Medea, et in Ovidii Hecuba et Thisbe vituperavimus, huc maxime revocanda erunt.

§. 10.

Luxuries 6) in epithetis.

Ἡ χρῆσις τῶν τρόπων, Longinus ait περὶ ὕψ. Cap. 32. ὥσπερ τὰ ἄλλα πάντα καλὰ ἐν λόγοις, προαγωγὸν ἀεὶ πρὸς τὸ ἄμετρον, δῆλον ἤδη, κἂν ἐγὼ μὴ λέγω. Maxime igitur mirum sit, si, quos poetas in omni ornatus genere luxuriantes ostendimus, eos in epithetorum usu temperantissimos deprehendamus, hoc est in ea parte orationis, in qua tot tantaeque ad ornandum, ad illuminandum, ad delectandum opportunitates atque illecebrae propositae sunt. In epithetis maxima pars est colorum orationis. Etenim

---

Nonne lusus captat Phyllis Epist. 2. Demophoontis sui perfidiam vituperans

Demophoon, ventis et verba et vela dedisti.
Vela queror reditu, verba carere fide.

Omnino Ovidii studium acute, concinneque dicendi et ludendi inprimis etiam adiutum esse videtur natura Elegorum, qui non tractum et fusum per plures versus orationem ferunt, sed optime ita construuntur, ut binis ad summum versibus sensum absolvant. Haec elegis propria fere brevitas et circumscriptio, poetae incauto, et ad lusus et acumina proclivi, continua luxuriandi pericula obiiciebat. Itaque Quintilianus, quum Lib. 10. 1. 88. Ovidium in Heroicis lascivum et amatorem ingenii sui appellat, illa potissimum carmina in mente habuisse mihi videtur. Neque illa omnis poetae ars est τέχνη λανθάνουσα, quam Longinus Cap. 22. naturae non contrariam recte affirmat, sed satis manifesta et quaesita, et veluti applausum aucupans legentium.

hanc vim habent, ut omnium rerum personarumque proprietates, habitus, et affectiones declarent. Nulla metaphora, nullum acumen, nullus sive ad gravitatem sive ad suavitatem comparatus ornatus orationis, nullum paene concinnitatis genus fingi potest, quod illa non recipiant, aut adiuvent. Sunt autem epithetorum duo in universum genera distinguenda; unum *necessarium*, quod nominis, cui apponitur, notionem ita definit ac determinat, ut sine eo certus sententiae sensus constare non possit: alterum *arbitrarium*, quod rerum, quae nominibus appositis significantur, proprietates vel affectiones ita declarat, ut ea declaratio a cuiusque scriptoris ingenio, iudicio, doctrina, pendere videatur. Ex quo intelligitur, quum in illud necessarium genus neque nimia copia, neque usus aliqua perversitas cadere possit, omnem luxuriem in altero tantum genere dominari, quod arbitrarium appellavimus. Nam, ut quis est naturae simplicitati propior, aut plus minusve iudicio valet, aut ad artis, ingenii, doctrinae ostentationem et ad ornandae orationis libidinem vel proclivior vel minus comparatus, ita epithetorum coloribus vel moderatius vel luxuriantius utetur. Hanc varietatem omnes poetarum scriptorumque veterum aetates ostendunt. Homerum naturae imitatorem et tanquam pictorem, nulla artis ambitione, habemus. Itaque eius epitheta omnia vel necessaria sunt, vel eiusmodi, ut minus arbitrium suum, quam ipsam naturam secutus videatur: nulla ex illorum genere, quae ornantia vulgo dicuntur, a serioribus poetis, maxime Alexandrinis, inducta, et a Latinis inprimis frequentata. Quamobrem Homerum etiam unice, mea quidem sententia, decet, quod *γάλα λευκὸν*, *ὑγρὸν ὕδωρ*, aut *ἔλαιον*, *μέλι γλυκὺ* et similia dixit. Quae quum apud Homerum legimus, valde inepti simus, nisi possimus illorum temporum hominumque simplicitatem ita in animum inducere, ut

illa non modo non offendant, sed etiam, tanquam vetustatis quadam sanctimonia commendata, placeant. Eadem vero quum in Theocrito, Callimacho, Virgilio, Ovidio aut aequalibus poetis repetita legimus, vereor ne nimis blandi et faciles simus, nisi epitheta otiosa, frigida, atque ex mala vetustatis Homericae affectatione nata existimemus. Nam ubi aetatis, hominum, studiorum, literarumque omnium tam immutata ratio est, ut, qui scribunt et legunt, ad artem, ad doctrinam, ad ornatum, ad pompam et voluptatem omnia referant, quis, nisi κακοζηλίας amans ipse, ista impexae et infantis antiquitatis insignia expectet, aut valde admiretur? Nempe nunc de epithetis loquimur. In multis enim tum verborum tum sententiarum formis laudari etiam solet aliqua εὐπίνεια, et ἀρχαϊκὸν κάλλος, et τὸ ἀρχαιοπρεπὲς, quod saepe ad gravitatem orationis multum valet. [5]) At in epithetis non tam forma aliqua externa, quam aptus sensus quaeritur. Neque me Aristotelis aut Quintiliani [6]) auctoritas movet, qui istud epithetorum genus poetis concedere videntur. Aristotelis quidem haec sententia esse videtur, ut illa epitheta magis in poetis quam in oratoribus ferenda putet; quanquam valde dubito, quin ea recentioribus poetis, Theocrito aut Callimacho, tam aequo animo condonaturus fuisset. Quintiliani autem leve etiam ac dissolutum de epithetis iudicium est. *Epitheto, inquit, poetae et frequentius et liberius utuntur.* Hoc quis nescit? Nihilne autem interest, quousque illa frequentia et libertas pertineat? Sed audiamus reliqua. *Namque*

---

5) Vid. quae nos in Lex. Technol. graec. ad voc. εὐπίνεια, πῖνος, et ἀρχαιοπρεπὴ adnotavimus cf. Macrob. Saturn. 6, 1. et 2.

6) Arist. Rhetor. 3, 3. quem locum infra verbotenus adscribemus. Quint. Inst. Or. 8, 6. 40.

illis satis est convenire verbo, cui apponitur, et ita dentes albi, *et* humida vina *in his non reprehenduntur. Apud oratorem, nisi aliquid efficitur, redundat.* Vereor, ne Quintilianus, Aristotelis auctoritate impeditus, non satis, quid in hoc loco scriberet, cogitaverit. Cur enim solis poetis haec turpis venia debeatur, ut, quodcunque dicant, etiamsi eo nihil efficiatur, tamen nec ineptum, nec corruptum sit, nec redundet? Quem autem delectare possunt illa, quae passim in Latinis occurrunt, *aqua humida, liquidae undae, pavida formido, pavidus metus, muta silentia, aëriae aurae, vetus senectus, veteres senes, canae pruinae* 7) et similia? Haec neque illustrant, neque ornant, neque amplificant; itaque nihil efficiunt et redundant. At antiquam Homericamque formam habent. Audirem, nisi cetera omnia nova, ornata, comta, arte facta, et nihil minus quam Homerica essent. Quamobrem ego illa omnia ita ad luxuriem refero, ut hodie videmus luxuriosissimos homines, in cultu, in vestibus, in supellectili, quum diuturna recentissimae atque elegantissimae artis consuetudo satietatem attulit, ad vetera et obsoleta redire, quae, si cum recenti concinnitate et elegantia contendas, plerumque etiam deformia reperiuntur. Neque tamen epitheta otiosa et superflua ex una illa vetustatis affectatione redundasse videntur. Ego quidem persuasum habeo, multis, etiam optimis, poetis accidisse, ut in formandis concinnandisque versibus non pauca

7) Vid. Ovid. Met. 1, 95. 2, 66. et ibi Burmann. 9, 219. 10, 175. Lucret. 5, 502. Virgil. Aen. 5, 520. Horat. Epod. 8, 3. Tibull. 1. Eleg. 8, 50. Hinc et *potores bibuli* apud Horat. Ep. 1, 18. 91. Bentleio displicuerunt, et alios quoque moverunt, ut existimarent, eiectis aliquot verbis poeta non satis dignis, ita legi debere: *potores porrecta negantem Pocula.*

ritheta saepe non sensus sed numerorum gratia deli-
rent. Deinde, ut fit in omnibus rebus, quae, sub-
ta usus necessitate, ornatui et pompae serviunt,
uemadmodum supra docuimus in comparationibus,
scriptionibus aliisque dicendi formis factum esse)
itheta etiam, tanquam discreta et separata ab illis
minibus, quae a Grammaticis adiectiva aut parti-
pia dicuntur, longo usu principum poetarum sancita
consecrata, in numerum ornamentorum poetico-
m et quasi solemnium relata sunt. Hoc intelli-
tur ex innumeris Latinorum poetarum locis, in qui-
is epitheta ita delecta et posita sunt, ut, nisi ornandi
velut apparandi carminis quoddam munus iis tri-
iere velimus, nullum paene sensum habere possint.
em manifestum fit studio eorum, qui, ut ingenia
etica adiuvarent scilicet, vastas congeries fecerunt
ithetorum ex omnibus poetis promiscue collecto-
m, quales olim fuerunt Io. Ravisii, Georgii Fa-
icii, et illorum, qui inter gradus ad Parnassum hunc
ioque esse voluerunt, ut semper magna epitheto-
m poeticorum copia in promptu esset. Quibus qui-
m libris, si et vim epithetorum et omnem poeticae
cultatis indolem recte aestimemus, nihil excogitari
eptius aut puerilius potest.

Supra demonstravimus, poetas latinos magnam
xuriei culpam eo contraxisse, quod metaphoras in-
imis audaces, e longinquo petitas, argutasque cu-
ulaverint: docuimus etiam, in mythologiae veteris
que omnis antiquitatis usu modum eos excessisse,
ium in illo quidem genere ingenii et acuminis, in
c autem doctrinae ostentandae opportunitatem pro-
sitam viderent. Utramque luxuriem in epithetis
ioque ita declararunt, ut in iis non istius modi me-
phoras solum, sed et remotissimas obscurissimasque
l res mythicas et genealogicas allusiones frequenter
posuerint. De epithetis ex translatione ineptis aut

obscuris, putidum et vero etiam infinitum foret, exempla congerere. Sunt enim in illis poetis ubique obvia, et quae supra de metaphoris in genere diximus, etiam huc valent. Unum tamen atque alterum dabimus ex Claudiano, qui maxime in epithetis et luxuriosus et ineptus esse solet. Sic ille in Prob. et Olybr. Cons. vers. 22.

— Tacitam luna regnante per Arcton
Sidereae cedunt acies, quum fratre retuso
Aemulus adversis flagraverit ignibus orbis.

Quam molesta nobis meditatio obiicitur, ut tandem intelligamus *fratrem retusum* dici solem sub horizonte latentem, cuius radii, quippe in Oceanum immersi, *retundi* vel *obtundi* videantur. In hoc ipso loco docet, luna regnante ceterorum siderum fulgorem pallescere. Inter haec, quae omnia cum operoso et exquisito acumine finxit, eminent tamen, quae de leone addit:

tunc fulva Leonis ira perit.

Quis hic non putet ad fulvum leonis colorem adludi? Errat. Igneam vim, igneum fulgorem Leonis sideris describit. Nam *fulvum* etiam ignis et siderum epitheton est, ut Virg. 7, 76. Tibull. 2, 1. 88. Sed ego facile crediderim, Claudiano illud *fulvum*, prae ceteris, quae ponere poterat, eo arrisisse magis, quod maius ex illa ipsa sensus ambiguitate acumen nasci videretur. Ex eodem genere est, quod *manes* cruenta morte peremtorum, *purpureos* dicit, de 3 Cons. Honor. vers. 97. vel de Cons. Prob. et Olybr. 293. *noctivagos axes,* stellas, tam communi metaphora, ut, nisi in toto loco de stellis sermo esset, ne intelligi quidem possit.

Neque minorem audaciam, aut doctrinae ambitionem poetae illi epithetorum gentilium, mythicorum aut geographicorum usu prodiderunt. Virgilius

habet huius generis, nec unquam cupide iis :t. Ceteri eum secuti, quo remotiores rerum arum vel gentilium fontes erant, eo cupidius ipuisse videntur, unde epitheta nascerentur, novitate et docta quadam difficultate emine-Silius Ital. 2, 5. Publicolam, Volesi *Spa ta-*:ogeniem dicit. At quam longe recurrendum ad illius epitheti fontem pervenias. Primum iscendum est, Valerium Volesum in Valerii lae maioribus fuisse: deinde, illum Volesum is ortum; postremo, hos a Lacedaemoniis ori-luxisse. Similis longinquitas est, qua, quum s vel hominibus Romanis loquuntur, ex Ilio denominationes petunt, ut quum Statius Sylv. 4. *Tybridis arces Iliacas,* Romam, Silius 3, *iacas nurus,* Romanas feminas, vel vers. 207. *genus,* Romanos appellat. In Statio et Va-icco ex nulla re maior obscuritas atque intelli-fficultas legentibus, quam ex isto epithetorum obiicitur. Quanto opere se torserunt doctis-erpretes, ut, quare Argonaut. 2, 612. Helle *virgo* dicatur, expedirent! Unum exemplum , e quo intelligatur, adeo consuetum et so-stis poetis fuisse, e rebus mythicis epitheta ut saepe ne de aliquo quidem eorum sensu : videantur. Claudianus Rapt. Pros. 1, 30. , legum et frugum inventricem, commemorat,

de datae populis leges et glande relicta
serit inventis Dodonia quercus aristis.

ısi vero una illa *Dodonia quercus* glandes tu-Nonne absonum est, ubi de toto genere agi-epitheto uti, quod unam generis particulam ıat? Ad illum locum haec Gesneri adnotatio *Dodonia quercus et similia poetis placuere, ut Imonerent iuniores de patriis rerum quacun-sa nobilium. In universum hoc videtur consi-*

lium poetarum ab Homero inde fuisse, ut Geographiam, fundum quasi omnis historiae docerent." Haec alio sensu vera sunt, sed nunc alieno in loco posita Claudianum non defendunt. Videmus Gesnerum in illa *Dodonia quercu* haesisse. Sed is, qui alibi nullas Claudiano ineptias condonabat, hoc tempore, quum illa scribebat, eo animo fuisse videtur, ut se non nisi blande et clementer expedire vellet. — Simili modo Ausonius in Mosel. 300. Daedalum *Gortynium aligerum* vocat. Nonne vero, nisi de Daedalo aliunde constaret, vel anser vel gallus Cretensis hoc epitheto significari posset?

Quos poetas demonstravimus epithetis saepe ita usos esse, ut non tam sensus absolvendi necessitatem, in dicendo perspicuitatem aut gravitatem spectasse, quam consuetudinem ornandi, aut sui acuminis, suaeque doctrinae explicandae opportunitatem secuti viderentur, eos in universo etiam epithetorum numero modum non tenuisse, atque ita quoque luxuriei culpam contraxisse, credibile est. Nam in omnibus rebus, quarum usus non necessitate aut utilitate, sed ornandi cupiditate, vanitate, aut voluptate terminatur, luxuries maxime dominatur; et quicquid natura eo comparatum est, ut aliquid efficiat, id, si ita adhibetur, ut nihil efficiat, redundat. In hac tamen epithetorum redundantia reprehendenda cavendum videtur, ne poetis iniuriam faciamus. Poeticum ingenium iure quodam suo postulare potest, ut, quibus orationis ornamentis ceteros scriptores non nisi parce et moderate uti oporteat, iis frequentius ac liberius utatur. Magis enim sensibus patrocinatur, magisque voluptati comparatum est. Epitheta autem natura sua eam colorandi et ornandi vim habent, quae orationem poeticam et maxime adiuvare possit, et admodum deceat. Itaque Aristoteles [8]) crebra epitheta non in ali-

8) Rhetor. Lib. 3, 3. Τρίτον δὲ ἐν τοῖς ἐπιθέτοις (sc. ψυχρὰ

mo poeta, sed in Alcidamante oratore reprehendit; Platonem in hac una re minus divinum Dionysius Halicarn. [9]) iudicat; et Apuleius magna ineptiarum parte careret, si orationem impolitam et salebrosam non epithetis quoque inundasset. Sed haec omnia ita tantum

---

τὸ ἢ μακροῖς, ἢ ἀκαίροις, τὸ πυκνοῖς χρῆσθαι. ἐν μὲν γὰρ ποιήσει πρέπει γάλα λευκὸν εἰπεῖν, ἐν δὲ λόγῳ, τὰ μὲν απρεπέστερα. Τὰ δὲ ἂν ᾖ κατακορῆ, ἐξελέγχει καὶ ποιεῖ φανερὸν, ὅτι ποίησις ἐστιν. ἐπεὶ δεῖ γε χρῆσθαι αὐτῇ. ἐξαλλάττει γὰρ τὸ εἰωθὸς, καὶ ξενικὴν ποιεῖ τὴν λέξιν. Ἀλλὰ δεῖ στοχάζεσθαι τοῦ μετρίου. Διὸ καὶ Αλκιδάμαντος ψυχρὰ φαίνεται, οὐ γὰρ ἡδύσματι χρῆται, ἀλλ᾽ ὡς ἐδέσματι, τοῖς ἐπιθέτοις, οὕτω πυκνοῖς καὶ μείζοσι καὶ ἐπιδήλοις.

9) Libr. de vi dic. Demosth. Cap. 6. Quo in loco Hermogenis iudicium de epithetis silentio non praetermittendum est. Sic enim ille Lib. 2. de Form orat. Cap. 5. p. 409. ed. Laurent. Γλυκεῖα λέξις καὶ ἡ διὰ τῶν επιθέτων ὀνομάτων. καὶ κατ᾽ αὐτὴν δὲ τὴν ποίησιν φύσει οὖσαν γλυκεῖαν, παρὰ τὸν ἄλλον λόγον, ἐκφαίνεται τὰ ἐπίθετα καὶ γλυκύτερά πως ὄντα, καὶ πλείονα ποιοῦνται τὴν ηδονήν. Ταῦτά τοι καὶ ὁ Στησίχορος σφόδρα ἡδὺς εἶναι δοκεῖ, διὰ τὸ πολλοῖς χρῆσθαι τοῖς ἐπιθέτοις. Non possumus nunc satis accurate iudicare, qualis poetae illius Lyrici epithetorum copia fuerit. Sed age, cum his Quintiliani de Stesichoro iudicium committamus. „Stesichorum, inquit Lib. 10, 1, 62. quam sit ingenio validus, materiae quoque ostendunt, maxima bella et clarissimos canentem duces, et epici carminis onera lyra sustinentem. Reddit enim personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem, ac si tenuisset modum, videtur aemulari proximus Homerum potuisse. Sed *redundat, atque effunditur, quod ut est reprehendendum, ita copiae vitium est.*" Vix dubito, quin Stesichorus in epithetorum etiam usu nimium luxuriatus fuerit. Hermogeni certe, quum demonstrare instituisset, γλυκεῖαν λέξιν epithetis quoque effici, accidisse videtur, quod omnibus fere accidere solet, qui sententiae suae exempla ex aliquo scriptore repetunt, ut eius scriptoris virtutem commemorent, vitia autem vel non curent, vel data opera sileant.

valent, si poetas cum ceteris scriptoribus contendas. Enimvero ne poetis quidem omnia licent, neque, prava quae sunt, licentia illa recta fieri possunt. Itaque, quum in poetis Latinis vel ea epitheta deprehendimus, quae nihil efficiunt, quae notionem apposito nomini adiunctam inepte et frigide repetunt, quae ad res remotissimas ambigue atque obscure adludunt, vel ita cumulata animadvertimus, ut nominum appellativorum aut propriorum nnmerum exaequent; tum verō illos poetas in epithetorum usu luxuriantes recte iudicabimus. Atque huius luxuriei exempla facili negotio et passim reperient, qui poetas Virgilium deinceps secutos perlustrare volent. Quodsi ad Ausonium usque pergere legendo sustinuerint, hoc etiam intelligent, quo magis a Virgiliana aut Horatiana virtute seriorum poetarum eloquentia degeneraverit, eo luxuriantius epithetorum quoque fingendorum studium viguisse. Nam ille quidem poeta consularis, quid esset epithetis luxuriari, in una Mosella sua sic declaravit ut, quantum in ea re posset, monumento aliquo posteris prodere voluisse videatur.

II.

Commentatio de libris Ciceronis Academicis

contra

IO. AUG. GOERENZII

V. C.

rationes ab auctore defensa. [1])

Si qua est iudicii diversitas, ea potissimum locum habet in disputationibus ad criticen pertinentibus. Ut enim omittam, solum veri sensum, cum iudicio subtili coniunctum, saepius esse unicum ducem, non raro res, quae videntur levissimae, ad verum indagandum et inveniendum magno sunt momento. Idem valet de iis disputationibus, quae ad αὐθεντίαν librorum vel improbandam vel demonstrandam pertinent. Uti vero facile intelligitur, Criticum tum recta incedere via, quum, spretis omnibus argumentis speciosis et incertis, sibi cavet a coniecturis solis, ita apparet, in eo esse claborandum, ut, difficultatibus, dubitationibusque, quae afferri queant, sublatis, omnia optime se habeant. Hanc quidem legem secutus sum in libello a me nuper occasione data edito et sic inscripto: De libris Ciceronis Academicis Commentatio, adiuncta disputatione critica de capite primo libri secundi Ciceronis Academicorum spu-

1) Debuimus hoc Ranitio nostro, ut commentationis, quae ex Seminarii lege scripta est, modestam defensionem reciperemus, iudicio nostro non interposito.

rio; ex Regii Seminarii philologici Lipsiensis lege scripta ab Augusto Carolo Ranitz etc. Lipsiae CIƆIƆCCCIX. Ostendere conatus sum, neque de duabus tribusve editionibus Academicorum, neque de libris deperditis esse cogitandum, et volumen istorum librorum Varroni dicatum *nec esse nec dici posse novum opus ac penitus mutatum, sed tantummodo correctum, magis politum et quoad formam et dictionem hic et illic splendidius mutatum.*

Huic vero sententiae adversatus est nuper Vir Cel. et doctissimus Io. Aug. Goerenz in praestantissima Ciceronis Academicorum editione anno CIƆIƆCCCX Lipsiae vulgata. Et quamquam fateor, me doctrinam atque ingenii acumen huius editoris, mea laude longe maioris, agnoscere, tamen liceat mihi iis occurrere, quae Vir Cel. in contrarias partes disputavit.

Ac primum quidem non satis aperte atque sincere in me egisse videtur Vir Cel., contendens (p. XXIII. prioris introductionis in Acad.), me solummodo in illis Ciceronis verbis (ad Attic. XIII, ep. 19.) acquievisse: „*Tu illam iacturam feres aequo animo, quod illa, quae habes de Academicis frustra descripta sunt: multo tamen haec erunt splendidiora, breviora, meliora.*“ At enim vero tota mea disputatio huc redit, ut, quae in toto libro XIII. epistolarum ad Atticum inde ab ep. 12—35. de Academicis enarrantur, inter se concilientur.

Ex quibus locis etiam apparet, consequentiam, qua ex Ciceronis priora Academica delendi voluntate ad ea vere deleta concluditur, hac in re non esse imbecillam, ut editor contendit p. XXV. Nam si iam divulgata fuissent exemplaria Varronis nomen non prae se ferentia, nonne Varro aegre ferre potuit tantam inconstantiam et temeritatem Ciceronis? Qui fieri potuit, ut hic coram illo non erubesceret? Quomodo hic apud illum se excusare potuit, quod libel-

lum aliis nominibus iam ornatum et editum, nunc demum illi dedicaret? Accedit, quod Cicero in literis ad Varronem datis (ad Div. IX, 8.), cum quibus ipsi libros quatuor Academicorum mittit, ne verbum quidem sui excusandi causa profert. Simpliciter scribit: „Misi autem quatuor admonitores non nimis verecundos.“ Unde minime consentio cum Viro Cel. p. XXI, statuente, Varronem iam tum descripto Luculli exemplo (prioris editionis) usum fuisse. Provocat ad Attic. XIII, 21. ubi Cicero verbum *sustinere* retineri voluit, quamquam Atticus suaserat verbo *inhibere* (forsitan pro graeco ἐπέχειν) uti. Sed si locum accuratius inspicimus, apparet, non de Academicis, sed de alio libro esse sermonem. Abrupto enim sermone pergit: „Nec est melius quidquam, ut Lucullus.“

Contendit porro auctor, posteriora Academica maioris fuisse voluminis, quam ut singuli libri tam pauca capita complecterentur, quam pauca tribus istis ex dissectoLucullo relinquerentur (Intelligit tripartitam meam Luculli divisionem). Sed Cicero ipse l. l. ad Attic. XIII, 19. dicit, posteriora scripta esse *breviora* atque ep. 13.: „Grandiores sunt omnino, quam erant illi, *sed tamen multa detracta.*“ Quid vero? si totum opus, Varroni missum, penitus mutatum et quam maxime auctum fuisset (ut Vir Cel. statuere videtur p. XXXIII. sqq.), quomodo Cicero scribere potuerit Attico amico ep. 14.: „Illud etiam atque etiam consideres velim, placeatne tibi mitti ad Varronem, quod scripsimus — opinor igitur consideremus, *etsi nomina iam facta sunt: sed vel induci vel mutari possunt?*“

Sed non solum ad haec et alia loca, meas rationes comprobantia, provocavi, verum etiam ad temporis brevitatem respexi, qua Cicero intra paucos dies aut summum intra paucas hebdomadas, ut ex ep. ad Attic. XII, 45. (al. 44.) collata cum epistolis libri XIII. apparet, reiectis prioribus libellis, ad Atticum mis-

rio; ex Regii Seminarii philologici Lipsiensis le scripta ab Augusto Carolo Ranitz etc. Lipsiae cIↃIↃCCCI Ostendere conatus sum, neque de duabus tribus editionibus Academicorum, neque de libris deperdi esse cogitandum, et volumen istorum librorum V roni dicatum *nec esse nec dici posse novum opus penitus mutatum, sed tantummodo correctum, m gis politum et quoad formam et dictionem hic et il splendidius mutatum.*

Huic vero sententiae adversatus est nuper Vir C et doctissimus Io. Aug. Goerenz in praestantissi Ciceronis Academicorum editione anno cIↃIↃCCCX psiae vulgata. Et quamquam fateor, me doctrin atque ingenii acumen huius editoris, mea laude lo maioris, agnoscere, tamen liceat mihi iis occurre quae Vir Cel. in contrarias partes disputavit.

Ac primum quidem non satis aperte atque cere in me egisse videtur Vir Cel., contendens XXIII. prioris introductionis in Acad.), me sol modo in illis Ciceronis verbis (ad Attic. XIII, ep. acquievisse: „*Tu illam iacturam feres aequo a mo, quod illa, quae habes de Academicis fru descripta sunt: multo tamen haec erunt splendidio breviora, meliora.*“ At enim vero tota mea dis tatio huc redit, ut, quae in toto libro XIII. epist rum ad Atticum inde ab ep. 12—35. de Academ enarrantur, inter se concilientur.

Ex quibus locis etiam apparet, consequenti qua ex Ciceronis priora Academica delendi volun ad ea vere deleta concluditur, hac in re non esse becillam, ut editor contendit p. XXV. Nam si divulgata fuissent exemplaria Varronis nomen prae se ferentia, nonne Varro aegre ferre potuit tam inconstantiam et temeritatem Ciceronis? fieri potuit, ut hic coram illo non erubesceret? modo hic apud illum se excusare potuit, quod li

lum aliis nominibus iam ornatum et editum, nunc demum illi dedicaret? Accedit, quod Cicero in literis ad Varronem datis (ad Div. IX, 8.), cum quibus ipsi libros quatuor Academicorum mittit, ne verbum quidem sui excusandi causa profert. Simpliciter scribit: „Misi autem quatuor admonitores non nimis verecundos.“ Unde minime consentio cum Viro Cel. p. XXI, statuente, Varronem iam tum descripto Luculli exemplo (prioris editionis) usum fuisse. Provocat ad Attic. XIII, 21. ubi Cicero verbum *sustinere* retineri voluit, quamquam Atticus suaserat verbo *inhibere* (forsitan pro graeco ἐπέχειν) uti. Sed si locum accuratius inspicimus, apparet, non de Academicis, sed de alio libro esse sermonem. Abrupto enim sermone pergit: „Nec est melius quidquam, ut Lucullus.“

Contendit porro auctor, posteriora Academica maioris fuisse voluminis, quam ut singuli libri tam pauca capita complecterentur, quam pauca tribus istis ex dissecto Lucullo relinquerentur (Intelligit tripartitam meam Luculli divisionem). Sed Cicero ipse l. l. ad Attic. XIII, 19. dicit, posteriora scripta esse *breviora* atque ep. 13.: „Grandiores sunt omnino, quam erant illi, *sed tamen multa detracta.*“ Quid vero? si totum opus, Varroni missum, penitus mutatum et quam maxime auctum fuisset (ut Vir Cel. statuere videtur p. XXXIII. sqq.), quomodo Cicero scribere potuerit Attico amico ep. 14.: „Illud etiam atque etiam consideres velim, placeatne tibi mitti ad Varronem, quod scripsimus — opinor igitur consideremus, *etsi nomina iam facta sunt: sed vel induci vel mutari possunt?*“

Sed non solum ad haec et alia loca, meas rationes comprobantia, provocavi, verum etiam ad temporis brevitatem respexi, qua Cicero intra paucos dies aut summum intra paucas hebdomadas, ut ex ep. ad Attic. XII, 45. (al. 44.) collata cum epistolis libri XIII. apparet, reiectis prioribus libellis, ad Atticum mis-

sis, recens opus Varroni dicandum, vel rectius προςφώνησιν novam huic destinatam, confecerat. Uberius hac de re disputavi in commentatione p. 6. sqq. atque ostendi, in tanta temporis brevitate opus novum penitusque mutatum non potuisse a Cicerone confici. Sed leviter tantum adversarius hanc rem attingit et nonnisi hoc ad refellendas meas rationes affert: „*transtulerat hic* (Cicero) *iam prius eadem illa ad Catonem Brutumque, cf. ep.* 16. *quae igitur mutanda voluerat, potiora mutata sic dudum esse poterant et haud dubie erant.*“ At ex illis ep. 16. verbis tantum hoc colligere licet, Ciceronem, consilio de dedicandis Academicis mutato, colloquentium nomina, aut summum prooemia mutasse. Nam si penitus opus elaborasset prorsusque mutasset, cur non Attico uno alterove loco epistolarum libri XIII. ad eum missarum disserte scribit, cur tantummodo de *nominibus vel inductis vel mutatis*, cur tantummodo de *prooemiis novis* loquitur? Etenim attuleram locum, qui ad persuadendum momento erat, ad Attic. XIII, 32.: „*Torquatus* Romae est (i. e. liber I. de Finib. ita dictus); iussi, ut tibi daretur. *Catulum et Lucullum*, ut opinor, antea (sc. accepisti, antequam Torquatus ad te missus fuerat). *His libris nova prooemia sunt addita,* quibus eorum uterque laudatur. Verbis: *Catulum et Lucullum*, h. l. breviter significari Academica, quae Atticus in manibus teneret et mox Varroni missurus esset, tam ex eo patet, quod in omnibus epistolis, paulo ante ad amicum missis, de istis Academicis sermo erat, quam ex eo, quod librum de Finibus *Torquatum* dixerat. Si alii intelligerentur libri, quam qui ad Varronem mittendi essent, cur necesse erat, ut nova iis adderentur prooemia? Nam consilium, ἀκαδημικὴν σύνταξιν ad *Catonem Brutumque* transferendi, captum statim etiam abiecerat; v. ep. 16. Unde etiam apparet, tam iocose, quam re-

moto ioco *Academica* vocari potuisse a Cicerone *Catulum et Lucullum*. De reliquis v. Comment. p. 7. sqq.

Sed si haec omnia, quae a me disputata sunt, recte se habent, sequitur, nullis argumentis indigere, quibus demonstretur, nullum unquam librum exstitisse, *Catuli* nomine insignitum. Omissum enim tantum *nomen Catuli* fuerat.

Quod vero editor obiicit, saepius in Lucullo ad pridianum aliquem sermonem lectores remitti, id ex more dialogorum explicari potest, ita, ut, si qua negligentia, Ciceroni tribuenda, locum habeat, excusari queat. Vid. Comment. p. 12.

Similiter *divisionem meam Luculli tripartitam* non temere esse factam, sed exemplis similibus, ex aliis Ciceronis libris depromtis, confirmatam, videre licet ex Comment. p. 14. Neque de hac sententia me deiicit locus ab adversario allatus ad Attic. XVI, 6.: „De Gloria librum ad te misi et in eo *prooemium id est, quod in Academico tertio*. Ut enim taceam, Ciceronem in libro illo de Gloria eadem ratione, qua in Academicis (ineunte capite 20) loqui potuisse, quidni statuamus, prooemium illud aetatem non tulisse in Academicis, quemadmodum multa alia ad nostra tempora non sunt servata.

Et quamquam negari nequit, multa Academicis inesse loca obscuriora, sive ad res sive ad verba spectemus, tamen hanc ob causam non confugiendum videtur *ad libros deperditos*, in quibus Cicero multa uberius exposuerit.

Sententia enim editoris de Academicis huc redit: „Cum Cicero, editis prioribus Academicis, intellexis„set, id quod vagum in iis inerat, Arcesilae ratione, „separatim exposita, totum tolli, rectiusque cuique „sua tribui posse, tumque omnia in certum suum or„bem aptius redire: coepit ea statim ad Catonem Bru-

„tumque transferre. Paulo post Atticus ad eum „lud de Varrone: quum Varro Antiochius esset, „ipsum, ut prorsus rei suae conveniens, cupide „arripuit, atque IV istos libros sic conscripsit, u „*primo*, scena dialogi alia inducta, ea, quae in „tulo in totius Academiae historiam brevissimis „posuisset, accuratius ad Antiochum usque exp „ret, atque ita totum hunc librum expleret: *in* „*cundo* Arcesilae rationem separatim explicaret, „tractis iis, quae passim in Catulo et Lucullo mon „set: *tertio* denique *et quarto* libro, qui vel i „iam contractiores evaserant, Carneadis et Phil „sententias reponeret, collectis arctius accuratius „dispositis, quae paulo diffluebant, mutatisque „quis, quae mutanda putaret; cetera omnia retin „quae ad horum duumvirûm philosophiam refér „tur; singulisque his libris postremo loco prooe „praefigeret.“ Vid. Introd. p. XXXVI. sq. collata trod. in Lucullum.

Atque quod ad nostra Academica attinet, sta Vir Cel. *diversos, nec eiusdem editionis libros primum et secundum, qui adhuc superant A demicorum:* in posterioribus vero et quidem omnibus IV libris, Varroni colloquii partes fuisse marias; utrosque autem vere esse editos; vid. p. X

Nititur haec tota ratio his potissimum argumen *Primum*; quod obscuritatis culpam in se cumula Cicero, si Arcesilae philosophiam, ideoque multas gravissimas omisisset; unde etiam factum esset, his in Academicis nostris omissis, tot locis eorum esset subtracta. Sed hac de re ex parte iam monuin et statim monebimus. *Deinde* quod tam parum de cesila auctore et parente Academiae recentioris a C rone monetur l. I, c. 12. Unde maxime verosimile v tur editori, Ciceronem *in priore binorum librorum* *tione* hunc rerum ordinem fuisse secutum, ut *al*

libro, ex quo brevem totius Academiae delineationem praemisisset, *Carneadis* sententiam exponeret, *altero* eam, quam ipse sequebatur, *Philonis.*[2]) Quum vero, toties in Lucullo Arcesilae mentio iniiciatur, quoties vix factum fuerit, si huius philosophiae ratio separatim exposita esset, statuit editor hoc Ciceronem in posteriore editione fecisse. Attamen quaeri potest *primum* cur Cicero iam priori binorum librorum editione, quam Vir Cel. sumit, Arcesilam auctorem et parentem Academiae recentioris omiserit? *Deinde* recte dubitari potest, an noster primus Academicorum liber pertinuerit ad posteriorem quatuor librorum editionem eam, quam editor adumbravit. Nam in fine libri primi, qui restat, agit Cicero de Arcesilae sententia; quod non facere debuisset, si in secundo libro huius philosophi decreta separatim explicare constituisset. *Tum* etiam Cicero de Academicorum philosophia acturus haud dubie non eam viam iniisse putandus est, quam editor coniicit. Num credibile est, Ciceronem, *philosophiam Academicam* explicaturum, ita fuisse versatum, ut solummodo *Carneadis* et *Philonis* sententiam uberius exponeret, *Arcesilam* vero, novae Academiae conditorem obiter et leviter commemoraret? Nonne potius statuendum est, Ciceronem, quum primum animum ad scribendum appulerit, *Arcesilae* quoque iustam mentionem facturum fuisse. *Deinde* in omnibus epistolis ad Atticum missis tanta operis mutatio prorsus non commemoratur, sed de solis nominibus, inductis et mutatis, prooemiisque factis sermo est. Nec ulla cogitari potest ratio, cur Atticum tale quid celaverit. Contra vero si rite ea perpenduntur, quae de tempore, quo epistolae, ad Atticum mis-

2) Hanc rem editor in introductione in Lucullum acute et docte paulo uberius exponit, atque docet, primum illum librum, Catuli nomine insignitum, periisse.

sae, scriptae sunt, facili negotio intelligitur, temporis brevitatem impediisse, quominus Cicero libros suos iam confectos penitus mutaret. *Denique* causa obscuritatis et negligentiae tam in rebus, quam in dictione conspicuae quaeri etiam potest ac debet aliqua ex parte in animi statu Ciceronis, magno moerore et aegritudine ob tot et tantas res adversas tum temporis ipsi perferendas afflicti.

Quamquam igitur sententiam editoris celeberrimi et doctissimi amplecti nequeo, tamen hoc concedendum videtur, *Academica* prioribus temporibus, h. e. prioribus quinque aut sex saeculis, *duplici forma*, altera nostra, altera ea adfuisse, qua libri IV. distincti et notati fuerant, et in qua etiam nomen Varronis saepius commemorabatur. Hoc suadent non solum loca a Nonio Marcello, Lactantio et Augustino ex Academicis prolata, sed etiam locus a Marciano Capella l. V. ex Acad. II, 39 laudatus: „Latent ista omnia, *Varro*, magnis obscurata et circumfusa tenebris.“ Cf. Fortunatianus l. III. Nimirum fieri potuit, ut utraque exemplaria, scribarum Attici et Ciceronis opera descripta, postea divulgarentur, et quidem tam ea, quae nostram habebant formam, quam ea, quae ex Varronis exemplo, ubi haud dubie ipsius nomen saepius commemorabatur, exscripta erant. Necesse enim fuit, ut in exemplo ad Varronem misso, huius nomen pro Luculli nomine certe hic et illic poneretur. Hac ratione omnia optime possunt conciliari.

Sed maxime doleo, quod Viri Cel. de Ciceronis operibus meritissimi editio, praefatione et introductionibus exceptis prius prela reliquit, quam libellus meus ederetur. Quod si non factum fuisset, editor fortassis alterius meae commentationis partis, in qua de *capite primo libri secundi* Cic. Academ. *spurio* disputatum est, maiorem habuisset rationem, quam

vere habuit. Et quamquam concedo, loca illa tria[3]) a me in suspicionem vocata, ab editore doctissimo et acutissimo egregie fuisse defensa, tamen persuasum habeo, reliqua omnia, quae a me contra αὐθεντίαν illius capitis dicta sunt, adhuc firma esse atque stabilia. Omnia enim sunt in tali re suo momento ponderanda et diligenter examinanda.

M. Aug. Car. Ranitz,

Pastor subst. apud Creumanos et Mocherwitzienses.

---

3) *Primum* intelligo eum locum, ubi Cicero de Luculli consulatu loquitur: „quem ita gessit, ut diligentiam admirarentur omnes, *ingenium cognoscerent*," ubi verbum: *cognosceraint*, recte se habet.

Deinde in eo loco, ubi de Lucullo sermo est, qui, Murena bellum in Ponto gerente, *in Asiae pace* consumserat, editor recte scribi iussit: *in Asia*, *pace*, hancque dicendi rationem explicuit.

Denique in verbis, quae agunt de Themistocle, *quem facile* Graeciae principem *ponimus*, vocem: *ponere*, ferri h. l. posse, libenter largior.

III.

A. G. LANGII
Silvulae portenses.

Locus Luciani emendatus.

In Luciani libello de historia conscribenda multa insunt faceta, quae tamen ut in re admodum seria non sine temperamento quodam atque prudenti delectu reliquis intermiscuit amoenissimi ingenii scriptor. Hic illic autem librariorum negligentia factum est, ut quae acutius olim aut salsius a Luciano dicta fuissent, obtusa quasi, prout nunc leguntur, saporis habeant acumina. Apponam unum locum, c. 29, ed. Reiz. T. II. p. 40. Perstringitur malus historiarum scriptor, rerum militarium plane ignarus et bella tamen scribere aggressus; de quo sic ait: πάνυ γοῦν ἔμελεν αὐτῷ πλαγίαν μὲν τὴν ὀρθίαν φάλαγγα, ἐπὶ κέρως δὲ λέγειν τὸ ἐπὶ μετώπου ἄγειν; quod Interpres vertit: „Etenim quasi hoc „ageret, directam aciem vocat obliquum agmen etc.“, Sed quae tandem haec est ironia? Sedulo ille curavit, ut nominibus prave uteretur. Fatuum hoc ex meo sensu et insulsum. Solanus emendat πάνυ γοῦν ἔμελλεν οὗτος, exspectandum erat, probabile erat illum etc. sensu paullo meliori; sed quidni meliorem etiam minori cum litterarum mutatione demus sic scribendo: πάνυ γ'οὐν ἔμελεν αὐτῷ ille non curabat, in nullo ponebat discrimine, rectam aciem obliquam adpellare.

In eodem libello, ut hoc addam, ubi auctor carpit historici cuiusdam insulsitatem, „qui convivium Syrorum agricolarum vile satis et tenue latis et amplis verbis descripsisset, indidem refert“ ad illud symposium tibicinam denique ex propinquo vico advenisse. Nondum vidi ab interpretibus animadversum, istam mulierculam a male feriato scriptore ad imitationem Xenophontei Symposii fuisse introductam.

THERSITES
bonae sententiae turpis auctor.

Ita vero est; non modo quae eximie pulchra sunt, sed etiam quae eximie turpia acriora hominum studia in se convertunt, neque maiorem ex Homeri carminibus famam retulit Hector, quam Thersites. Incredibile enim est, quantum Graeci iam sibi placuerint in hac turpitudinis consummatae imagine pertexenda, perpolienda, exornanda, neque defuerunt, qui postquam satis iste post Ulyssis plagas ab omnibus sequentis aetatis flagellatus esset, eius encomia perscribere non sine acerbo et festivo ioco tentarent, ἄδοξον, ut est apud Gellium XVII. 12. ὑπόθεσιν adorti.

Nostri quidem inprimis hoc egerunt, ut serio ostenderent, quid Homerus hac Thersitis persona introducta voluerit, utrum epica poesi digna videatur nec ne, quam vim habeat in reliqui carminis nexu, quam non habeat, unde ista quidem vis pendeat, qua animi humani conformatione nitatur. Nota sunt, quae Klotzius, Lessingius, Herderus, alii de hoc loco disputarunt. Mihi vero praecipue arrisit Iacobsii sententia (v. Biblioth. der alten Litt. und Kunst. 5s St.), qui ab Homero censet eam ob causam Thersitem admissum, ut Graecos sui de reditu consilii ob suasoris turpitudinem maiori cum probabilitate faceret poenitentes; esse enim in hominum natura positum, ut consilia vel

saluberrima et honestissima, si ab homine pravo aut exoso profecta fuerint magno interdum cum damno suo repellant.

Schaarschmidtius in libello de Thersite (v. Commentatt. ed. Ruperti et Schlichthorst. Vol. IV.) ad confirmandam hanc Iacobsii sententiam utitur exemplo Hannibalis, cuius consilium Romanos ope Antiochi impugnandi non aliam ab causam a Carthaginensibus spretum fuisse credibile sit, quam ob odium in consilii auctorem (cfr. Nepos in Hannib. c. 8.). Luculentius exemplum petere potuisset ex Aeschine adversus Timarchum, ubi narrat, Lacedaemonios de summa reipubl. deliberaturos reiecisse consilium optimum, quia datum ab homine improbo, tum illud accepisse sed ita, ut alium et probum quidem virum iuberent eandem sententiam proponere. Cfr. quae de hac re monuit Gellius XVIII. 3. Simile quiddam est apud Plutarchum in Bruto, c. 39. Ibi refert, Cassium et plures cum eo a pugna ineunda alienos statim eandem non sine quadam indignatione decrevisse, postquam Atellius, homo meticulosus, pugnae in aliud tempus differendae auctor exstitisset.

Ac latius quidem per obscuriores animi humani latebras patet haec observatio, quam vulgo creditur. Satis erit in hanc rem digito monstrasse locum quendam elegantissimum Ruhnkenii in oratione *de doctore umbratico* (Opuscul. ed. Lugd. Bat. p. 120.)

„Ac nescio an priscis scriptoribus contumelio„sum sit, ab istis (umbraticis) cum laude commemo„rari. Nam qui a nostris studiis alieni Demosthe„nem, ut hoc utar, aut Ciceronem talium magistro„rum praeconio celebrari audiunt, statim sibi fingunt „speciem obiecti, inepti et umbratici litteratoris, qua„les sunt, qui eos laudibus ferunt. Unde fit, ut mul„ti optimos antiquitatis scriptores istorum ieiunitate „metientes ipsas ingenuas artes quae inde ad nos ma-

„narint, respuant ac pro nihilo ducant. Enimvero „paedagogorum labes non est cum divinis viris communicanda.“

Fragmenta epistolarum Corneliae spuria.

Fragmentis Cornelii Nepotis additae vulgo leguntur quaedam reliquiae epistolarum Corneliae Gracchorum matris, quae mirum est quomodo fuco suo potuerint praestringere oculos etiam perspicacium virorum. Reperiuntur enim ubique, praecipue in libellis historicis aut commemoratae aut magnis etiam laudibus celebratae et ad declarandos feminae nobilissimae mores adhibitae. Ut unum adferam, en elegantis iudicii virum, Ianum Rutgersium, qui Varr. Lectt. l. V, c. 12. haec habet: „Fuisse Corneliam Gracchorum matrem heroi„nam cum omni genere virtutum cumulatam, tum „autem ea facundiae vi, ut ipse Cicero ex eius episto„lis apparere dicat, Caium et Tiberium non tam in „gremio quam sermone matris educatos. Exstat ho„dieque fragmentum cuiusdam epistolae, quae id, „quod testatur Cicero, comprobat. Id quia et vulgo „minus notum et excelso illius heroinae animo quam „dignissimum mihi visum est, non possum quin subii„ciam.“ — Paucis suboluit aliquid fraudis, inter quos nunc inprimis nominare lubet Heerenium historiarum scriptorem florentissimum, qui in commentatione, quam de Gracchorum conatibus scripsit, illis fragmentis ut genuinis tantisper quidem usus, tamen suspicionem suam in nota textui subiecta satis aperte professus est. Verba eius huiusmodi (v. Heeren kleine histor. Schrift. I. p. 216.) sunt:

„Haec fragmenta reperiuntur inter fragmenta „Cornel. Nepotis p. 810. ed. v. Staveren, ubi Critico„rum sententiae de αὐθεντίᾳ eorum quanquam nullis „rationibus allatis collectae leguntur. Mihi quidem

„dubia illa est. Nam primum non probabile est, Corneliam his de rebus ad filium scripsisse, cum ambo „tum Romae essent; deinde ex Plutarcho (II, 836) ap„paret, Corneliam Caii conatus eo, quo hic facit, „modo non improbasse. Nihil agebat, nisi ut fero„ciam eius leniret, ceterum curabat, ut ipsa gratia „apud populum ne excideret; denique clausula secun„di fragmenti satis clare declamatoris ingenium prode„re videtur."

Mihi vero fortius etiam in haec fragmenta tristis sententia pronuntianda videbatur. Antiquitatem habuisse epistolas a Cornelia vere scriptas, quum testimoniis Ciceronis, Plutarchi et Quintiliani satis constet, nemo erit qui neget, sed miseras hasce lacinias illarum fragmenta esse, non modo dubitandum, sed pernegandum iudico.

Primum non satis constat de externa nostrorum fragmentorum auctoritate. Parum enim satis faciunt, quae A. Schottus, qui primus, ut puto ea tanquam ex codd. hausta vulgavit, hanc in rem tradit: „Parva sine „papyri iactura repertum in veteri libro Abbatiae Fe„sulanae, mihique ab Antonio Augustino, archiepisco„po Tarraconensi, viro clarissimo, perhumaniter obla„tum, post idem a clarissimo viro Iacobo Bongarsio „descriptum e Britannico exemplari e Germania dono „missum Cornelianis addendum putavi." — Alii reperisse dicuntur vitae Pomponii Attici adiunctum. Omnia incerta et pendentia. Pighius contendit, depromta esse e Cornelii Nepotis libro de latinis historicis, sed unde hoc probetur? Mihi quidem unice persuasum est, si alicubi in antiquis libris leguntur, tantum ob nominum Cornelii et Corneliae similitudinem ista et Cornelio et Cornelia aeque indigna in aliquot Nepotis codices irrepsisse. Deinde, quod modo innuebam, indigna prorsus sunt ea, quam mentiuntur, personа, nam neque moribus neque ingenio generosissi-

mae illius feminae conveniunt. Conferamus eum, quem iam Heerenius adhibuit, Plutarchi locum:

"Ἐνταῦθα καὶ τὴν μητέρα λέγουσιν αὐτῷ συςασιάσαι μισθουμένην ἀπὸ τῆς ξένης κρύφα καὶ πέμπουσαν εἰς Ῥώμην ἄνδρας ὡς δὴ θεριςάς· ταῦτα γὰρ ἐν τοῖς ἐπιςολίοις αὐτῆς ᾐνιγμένα γεγράφθαι[1]) πρὸς τὸν υἱόν. Haec docent, Corneliam a consiliis C. Gracchi aut non fuisse alienam, aut non ab omnibus creditam. Planius et liquidius istis fragmentis repugnant, quae apud eundem Plutarchum in fine vitae C. Gracchi leguntur. Erat, inquit, Cornelia θαυμασιωτάτη, τῶν παίδων ἀπενθὴς καὶ ἀδάκρυτος μνημονεύουσα καὶ πάθη καὶ πράξεις αὐτῶν, ὥςπερ ἀρχαίων τινῶν ἐξηγουμένη τοῖς πυνθανομένοις.

Iam quales nobis Corneliae mores secundum haec fragmenta informemus, si ex ea audiamus, „nihil esse neque maius neque pulchrius cuiquam, quam inimicos ulcisci," si quae tam magnifice et ambitiose de republica sentit, filium increpat, „quod conatibus suis perturbet sibi reliquam vitae partem in tranquillitate degendam;" si eidem permittit, quodcunque libuerit vel adversus rempubl. facere, modo se mortua et nihil sentiente. Scilicet hae sunt voces sanctissimae matronae, quae et adversos casus filiorum et facinora ut antiquorum hominum percontantibus enarrarit.

Quae vero in his fragmentis non modo in orationis elegantiam, sed etiam in communem sensum peccata sint, ea putidum est omnia enumerare. Subsistamus in initio alterius fragmenti, quod huiusmodi est: „Verbis conceptis deierare ausim, praeterquam

1) Bredovius haec non accurate vertit: denn diefs lies't man in ihren Briefen räthselhaft angedeutet, quasi legatur γέγραπται. At Plutarchus vel hoc incertum reliquit, utrum tale quid omnino in epp. significatum fuerit nec ne. L.

„qui Tiberium Gracchum necarunt, neminem inimi-„cum tantum molestiae tantumque laboris, quantum te ob has res mihi tradidisse.“ Quis quaeso in tali re expectet *conceptorum verborum* sollemnitatem, quis iurisiurandi religionem? Ridicula profecto mater, cui erga filium ad indignationem suam comprobandam iureiurando opus est. Quaenam sunt istae *res*, quas vage commemorat? quis latine dixit, molestiam alicui aut laborem *tradere*.

Omnia fere quae sequuntur, intolerabili prorsus battologia laborant, quorum haec enotasse sufficiet.

Denique quae *pausa* erit? et quando *desinet* familia nostra insanire et quando *modus* rei haberi poterit, et quando *desinemus* et habentes et praebentes molestiis *desistere*. Num in talia cadunt, quae honorificentissime de Cornelia Quintilianus Inst. l. I. c. 1. iudicat: „Gracchorum eloquentiae multum contulisse „accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus ser-„mo in posteros quoque est epistolis traditus.“

Hactenus misellum declamatorem tenemus tanquam reum convictum, habebimus confessum, si quae fraudis adhuc parum cautus manifesta indicia effudit, verbo tetigerimus. Vehementer enim personatae suae Corneliae oblitus est, dum eam scribentem facit: „qui Tiberium Gracchum necarunt.“ Vera enim mater filio scribens fratrem, opinor, Tiberium tantum nominasset. Et cuius notae ista sunt: „quando desinet familia nostra insanire?“ quaenam familia? Num Tiberius familia est?

Legerat nimirum, Gracchos insaniisse, sed immemor nunc erat temerarius scriptor, alterum fratrum nunc primum petere tribunatum. —

Mihi quidem, si quis hoc quaerat, verba, quae Plutarchus in vita C. Gracchi loco iam supra laudato subiunxit: ἕτεροι δὲ καὶ πάνυ τῆς Κορνηλίας δυσχεραι-

γόνσης ταῦτα πράττεσθαι λέγουσιν, huius epistolae fingendae opportunitatem videntur scholastico cuidam homini otio male abutenti dedisse.

Bentleius leviter notatus.

Memini virum quendam eruditissimum, quando sermo ferebat, dicere solere, se Bentleii notas ad Horatium legentem fere eo adduci, ut credat, Bentleio ad manus fuisse magnam doctorum puerorum, apparitorum instar, catervam, quibus singulis mandasset, ut hos vel illos libros diligenter perlegerent, et quicquid ad suam rem esset, accurate notarent, adeo incredibilem illam locorum et feliciter inventorum, et diligenter ponderatorum copiam excedere unius hominis aut sollertiam aut aetatem. Quo magis mirum videri debet, si quid magni illius et incomparabilis viri oculos quaquaversum intentos effugerit, praesertim ubi res notior esset. Tale est παρόραμα ad Serm. 3. 34. ubi reiecit lectionem *pectore* in verbis

at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub pectore —

nihil enim esse absurdius, et perinde esse, ac *ingens ingenium sub inculto hoc ingenio*, pectus enim ipsum ingenium notare. Ut hoc facile demus, addere potuisset luculentum ex Cic. secundo consulatus locum:

Inque Academia umbrifera nitidoque Lyceo
Fuderunt claras fecundi *pectoris* artes. (Cic. de Div. I. 13.)

nec diffiteamur, veriorem esse lectionem *corpore*, tamen non erat simpliciter negandum, posse dici ingenium sub pectore latere. Id quod non amplius dubium videbitur comparanti Aen. XI. 408.

Nunquam animam talem —
Amittes, habitet tecum et sit pectore in isto;

planissimum Eleg. in obitum Drusi locum. v. 260 sq.

et exspectat adhuc tuam vocem, scilicet amoris dulce illud alloquium, quo delinire solebat Galateam. cfr. fragm. Bionis ιβ'.

> Αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδὸν, ἐς τὸ κάταντες
> Τῆνο, ποτὶ ψάμαθόν τε καὶ ἠϊόνα ψιθυρίσδω
> Αἰσσόμενος Γαλάτειαν ἀπηνέα· τὰς δὲ γλυκείας
> Ἐλπίδας ὑστατίω μέχρι γήραος οὐκ ἀπολείψω.

Bucolica haec tractans admoneor scholii cuiusdam levioris ad Theocrit. Id. VI. v. 1. quod mendo purgare per hanc opportunitatem liceat. Legitur in Henrici Schölzii Iohanneis ex Theocriti Idylliis collectis p. 16. Τοῦ δὲ Ἀράτου, ᾧ προσφωνεῖ, ἐν τοῖς Θαλυσίοις καὶ ἀλλαχοῦ μνημονεύει: Ἐναντίως ἔχει τοῦτο τῷ λεγομένῳ δραματικῷ σχήματι ὃ μετὰ προσεπιζεύξεως λέγον κ. τ. λ. Corrigendum ἀλκμανικῷ de quo satis constat inter Grammaticos; de eius usu apud Latinos poetas cfr. Burmann. ad Ovid. Met. VIII. v. 790. Minus recte de eo statuere videtur Heynius ad Virg. Aen. XII. 161.

Locus in Catulli Epithalamio Pelei et Thetidos emendatus.

Soleo equidem insigni quadam cum voluptate lectitare Catulli carmen in Pelei et Thetidos nuptias tum ob ipsius elegantiam et suavitatem, tum ob fortuitam quandam commendationis accessionem. Est enim hoc carmen singulatim editum a. 1778 a Fr. Döringio, adolescente, tum quum in eo esset, ut scholam Portensem relinqueret et monitu quidem et cum praefatione F. G. Barthii praeceptoris quondam et mei. Iam quanquam eidem Döringius Vir doctissimus et mihi quoque non uno nomine colendus, repetitas curas impenderit, insunt tamen etiamnum loci, in quibus editor neque aliis, neque vero sibimet ipsi satisfacere visus est, velut vers. 83. quem nunc paullo accuratius expendere liceat. En totum locum:

Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Proiicere optavit potius quam talia Cretam
Funera Cecropia ne funera portarentur.

Multa commenti sunt interpretes, ut offensionem, quae in verbis *ne funera* inest, tollerent. N. Heinsius coniecit: munera Cecropia seu (ceu) funera; alii aliter, inter quos H. G. Reichardus (Syllog. opusc. poet. p. 10.) probabilis poeta, infelix poetarum exactor, sic:

quam talia Cretam,
Cernere, Cecropidarum ut funera portarentur.

Plurimi cum Döringio defendunt *ne* additum vocabulo funera tanquam dictum pro *non funera* ut apud Plautum nevolt pro non vult, quod loquendi genus ad Graecismum revocant, qualis in illis *δῶρα ἄδωρα, γάμοι ἄγαμοι, κῆπος ἄκηπος, γόνος ἄγονος, πόλις ἄπολις, τάφος ἄταφος, βίοτος ἀβίωτος*, nuptiae innuptae, numeri innumeri, ut *ne funera* sint funera quam maxime maesta, immania. Sed videant ipsi, quo iure hoc statuant, quum neque usus loquendi huic sententiae faveat, neque ratio metrica conveniat. Quo enim pacto producatur *ne?* Eam ipsam ob causam scriptum videtur a nonnullis secundum aliquot codices: Cecropia *nec funera*, tum vero omnis dictio rursus confusa. Saniora me daturum spero. Vestigium meae coniecturae inest in lectione, quam Achilles Statius habet — ne funere, modo praefigatur absorpta syllaba *si* et plene sic legatur:

quam talia Cretam
Funera Cecropia *sine funere* portarentur.

Viva quasi funera, ut est apud Apuleium Met. l. IV. p. 83. ed. Altenb. de Psyche, portabantur. Inest in illa figura, quam rhetores *πλοκὴν* adpellare solent,

praesertim quum hic accedat repugnantiae s. oxymori species, haud vulgare acumen, in quo captando veteres sibi placuisse exempla hic illic obvia ostendunt. Ita ut alios taceam, Cicero Philipp. V. 4. quasi *lege sine lege*. Ovid. Trist. I. 3, 89. Egredior sive illud erat *sine funere ferri*; et qui ex Catullo ipso hausisse videtur Manilius V. 548. de Andromeda:

Virginis et vivae rapitur sine funere funus.

IV.

e Longi Pastoralium et Phaedri fabularum recens inventis Supplementis.

ongi Pastoralium libri I. Fragmentum, quod in coce Florentino repertum est, et post alios diligentius litum ab *Eichstadio*, V. Ill. libello academico,[1]) nuper (Vol. I. p. 488.) iam ostendimus, nos repetituros se. Scilicet mense Novembri a. IX. huius saec. *Couerius*, militiae addictus neque tamen ab optimis litris alienus vir, *Renouardo*, Parisino bibliopola, omite, adierat Florentiam, ut tum alias bibliothecae uondam Mediceae copias, tum vetustum codicem, enophontis Ephesii et Longi amatorios libros aliaque lura scripta (v. Acta I. p. 411.) complexum, inspiceet. In quo quum supplementum lacunae deprehenlisset, quae omnes Longi editiones non longe ab inijo (c. 14.) foedasset, codicem totum conferre constiuit, novam prioribusque emendatiorem Longi editionem curaturus. Quem quidem conferendi laborem, erdifficilem propter minutam codicis scripturam, Furia et Bencinius, bibliothecae illi praefecti, quae erat ipsorum humanitas, mirifice adiuverunt. Quum autem Courierius non tantum sibi in ea re plurimum tri-

1) Novi Prorectoratus auspicia D. III. Augusti CIↃIↃCCCXI. rite, capta civibus indicit Academia Ienensis. Inest *Supplementum Longi Pastoralium ex codice Florentino nuper vulgatum nunc diligentius editum.* Ex officina Schlotteri. VIII. pp., fol.

buisset, [2]) sed folium etiam codicis, quo illud supplementum continebatur, ita atramento effuso deturpasset, ut vix legi amplius posset, idque non casu, [3]) sed consilio fecisse videretur; acriter in eum invectus est Furia [4]). *Renouardus* singulari libello a se crimen amoliri studuit, [5]) popularis autem levitatem et perfidiam accusavit. Neque enim Courierius promissis steterat, ut aut supplementi apographum redderet, aut typis illud exprimi iuberet. Tandem ille, et interpretationis, ab Amyoto olim factae, novam editionem, supplemento gallice verso locupletatam Renouardo misit, et graecum textum, sexaginta duntaxat exemplis, e Lini Contadinii officina, Romae prodire iussit, [6]) cum Hier. Amati latina, saepe ea parum recta, versione. Repetitus deinde graecus textus est, descriptus ab Hartmanno tum in Italia nunc Vindobonae versante, in Heidelbergensibus Annalibus, indeque in

2) Gazetta universale, Firenze, 1810. N. 90.

3) Id enim simulaverat Courierius, qui maculato codicis folio haec adscripserat: Ce morceau de papier posé par mégarde dans le manuscrit pour servir de marque, s'est trouvé taché d'encre; la faute en est toute à moi qui ai fait cette étourderie, en foi de quoi j'ai signé. Florence 10. Nov. 1809. *Courier.*

4) Della scoperta e subitanea perdita di una parte inedita del primo libro de pastorali di Longo fatta in un codice dell' Abazia Florentina, ora esistente nella publica Imper. Bibliotheca Medico-Laurentiana. Firenze 1810. 24. pp. 8. et in: Opuscoli scientifici e litterarj.

5) Notice sur une nouvelle édition de la traduction française de Longus, par *Amyot*, et sur la découverte d'un fragment grec de cet ouvrage. Paris de l'imprim. de Crapelet, le 5. Juillet 1810. 8.

6) *Λόγγου Ποιμενικῶν ἀποσπασμάτιον μέχρι νῦν ἀνέκδοτον.* Romae 1810. ap. Lin. Contadin. 4. pp. 8.

lenensibus. 7) Passovius, quum edere et in vernaculum sermonem convertere Longum constituisset, supplementum Furiae manu descriptum, per Büschingium, nunc Vratislaviensem, nactus est, et Courieriae editionis collationem accuratam a Beckero, qui Lutetiae Paris. nunc codicibus praestantissimis excutiendis occupatur, accepit; 8) unde primus ille supplementum textis inseruit. Sed et Courierii et Furiae apographa, ideoque etiam editiones, quae inde fluxerunt, vitiosas esse, intellexit docuitque Eichstadius. Nam Courierius in conferendo codice ita negligenter versatus est, ut interdum genuinis Longi verbis suas substitueret coniecturas, sed Furia aut Courierii apographo deceptus est, aut ipse negligentiae eiusdem accusandus visus est Eichstadio, quam in edendis Aesopi fabulis nimis crebro commisisse putatur. Nam codicis ipsius folium non ita atramento offuscatum est, quin legi ab oculatis hominibus posset. Et Eichstadius quidem Iosephi Hageri, bibliothecarii Mediolanensis, benevolentia adeptus est exemplum supplementi ex ipso cod. Florent. factum, in quo ipsa verba atramento infecta, subiunctis lineolis, diligenter erant notata. Hier. Amati versio separatim est excusa, quatuor foliis formae minimae. Post verba igitur Longi cap. XIV. (XIII. Passov.) init. καὶ ἐλθὼν ἅμα τῇ Χλόῃ πρὸς τὸ ἄντρον τῶν Νυμφῶν, ἐν ᾧ ἡ πηγὴ, τῇ μὲν ἔδωκε καὶ τὸν χιτῶνα, καὶ τὴν πήραν

ponendum hoc supplementum:

---

7) Heidelbergische Jahrbücher der Literatur. III. Jahrg. 1810. 33. Heft, p. 97. ff. Intelligenzblatt der Jenaischen Allg. Litt. Zeit. 1810. N. 82. p. 654. ff. cf. easdem ephem. N. 75. s. 1810. p. 514. N. 79. p. 629. ff. Morgenblatt 1810. N. 224. s.

8) v. Passovii praef. ad Longum p. XXIV. s.

. . . . φυλάττειν; αὐτὸς δὲ τῇ πηγῇ προστὰς [9]) τήν τε κόμην καὶ τὸ σῶμα πᾶν ἀπελούετο. Ἦν δὲ ἡ μὲν κόμη μέλαινα καὶ πολλή, τὸ δὲ σῶμα ἐπίκαυτον [10]) ἡλίῳ· εἴκασεν ἄν τις αὐτὸ χρώζεσθαι [11]) τῇ σκιᾷ τῆς κόμης. Ἐδόκει δὲ τῇ Χλόῃ θεωμένῃ καλὸς ὁ Δάφνις, καὶ ὅτι μὴ [12]) πρότερον αὐτῇ καλὸς ἐδόκει, τὸ λουτρὸν ἐνόμιζε τοῦ κάλλους αἴτιον. Καὶ τὰ νῶτα δὲ ἀπολουούσης, ἡ σὰρξ καθυπέπιπτε [13]) μαλθακή· ὥστε

---

9) προστάς. Lectionem, quam e codice accepimus, etiam Heidelbergensis habet et Passovii editio. Προσστὰς ex Romana Courierii edit. enotavit Beckerus. Id si ita correxit Courierius, bene correxit. Etymol. M. c. 700, 18. — τοιοῦτόν ἐστι καὶ τὸ προστῆναι· ἐὰν γὰρ εἴπω, προστῆναί μοι τὴν τροφὴν ἐπὶ τοῦ στομάχου, διὰ δύο Σ Σ γράφεται. ὅτε δὲ σημαίνει τὸ προΐστασθαι, δι' ἑνός. Coties in his peccasse librarios, quis nescit? *E.*

Ita προσχὼν et προσσχὼν saepe confusa. v. Schaefer. ad Iulian. p. XXII. *B.*

10) ἐπίκαυτον. Ita codex, consentiente etiam Furia et Beckero. Vocabuli forma rarior, ideoque praeferenda. Heidelbergensis ἐπίκαυστον. Paullo ante τό δε σῶμα unus enotavit Furia, cui recte non obsequutus est Passovius. *E.*

11) χρώζεσθαι. Correxit Courierius ἐπιχρώζεσθαι, temere. Tamen hanc correctionem et Heidelbergensis sequutus est, et Furia cum Büschingio communicavit, unde in Passovii textum venit. *E.*

12) ὅτι μή. Ne quid omittamus, in Nostro exemplo deest particula μή. Eam caeterae editiones habent: nec salvo sensu potest abesse. *E.*

13) καθυπέπιπτε. Ita codex. Editt. ὑπέπιπτε. Primam verbi syllabam, nunc atramenti affusione obscuratam, non sine sensus detrimento excidisse patet: sed paene irascimur Courierio, qui, quum adhuc integrum codicem versaret, oculis suis uti noluerit. Verbum ipsum, egregia vi pollens, addendum est lexicis. *E.*

τρυφερώτερον. Ita auctor negligentius scripsit, quasi σῶμα praecessisset. *B.*

λαθοῦσα ἑαυτῆς ἥψατο πολλάκις, εἰ τρυφερώτερον εἴη πειρωμένη. Καὶ, τότε μὲν γὰρ ἐπὶ δυσμαῖς ἦν ὁ ἥλιος, ἐπήλασαν τὰς ἀγέλας οἴκαδε· καὶ ἐπεπόνθει Χλόη περιττὸν οὐδὲν, ὅτι μὴ Δάφνιν ἐπεθύμει λουόμενον ἰδέσθαι πάλιν. Τῆς δὲ ὑστεραίας, ὡς ἧκον εἰς τὴν νομὴν, ὁ μὲν Δάφνις ὑπὸ τῇ δρυῒ τῇ συνήθει καθεζόμενος ἐσύριττε, καὶ ἅμα τὰς ἀγέλας [14]) ἐπεσκόπει κατακειμένας, καὶ ὥσπερ τῶν μελῶν ἀκροωμένας· ἡ δὲ Χλόη, πλησίον καθημένη, καὶ τὴν ἀγέλην μὲν τῶν προβάτων ἐπέβλεπε, τὸ δὲ πλέον εἰς Δάφνιν ἑώρα· καὶ ἐδόκει [15]) καλὸς αὐτῇ συρίττων πάλιν, καὶ αὖθις αἰτίαν ἐνόμιζε τὴν μουσικὴν τοῦ κάλλους, ὥστε μετ' ἐκεῖνον καὶ αὐτὴ τὴν σύριγγα ἔλαβεν, εἴ πως γένοιτο καὶ αὐτὴ καλή· ἔπεισε δὲ αὐτὸν καὶ λούσασθαι πάλιν, καὶ λουόμενον [16]) εἶδε, καὶ ἰδοῦσα ἥψατο, καὶ ἀπῆλθε πάλιν ἐπαινέσασα, καὶ ὁ ἔπαινος ἦν ἔρωτος ἀρχή. Ὅ, τι μὲν οὖν ἔπασχεν, οὐκ ᾔδει, νέα κόρη καὶ ἐν ἀγροικίᾳ τεθραμμένη, καὶ οὐδὲ ἄλλου λέγοντος ἀκούσασα τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα· ἄση δὲ αὐτῆς εἶχε τὴν ψυχὴν, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν οὐκ ἐκράτει, καὶ πολλὰ ἐλάλει Δάφνιν. Τροφῆς ἠμέλει, νύκτωρ ἠγρύπνει, τῆς ἀγέλης κατεφρόνει· νῦν ἐγέλα, νῦν

---

14) τὰς ἀγέλας. Ita ex codice exscriptum. Editiones τὰς αἶγας. Videtur Courierius emendasse, nec male emendavit. Utrumque vocabulum etiam alibi permutatum in Longo, velut I, 10. ubi veram lectionem bene reposuit Schaeferus. *E.*
Mihi h. l. vocabulum generalius ἀγέλας, ut antea, verius videtur. Neque enim tantum Daphnidis caprae intelligendae sunt. *B.*

15) ἐδόκει. In apographo nostro ἐδύκει. Apertum vitium, quo immunes sunt editiones. *E.*

16) λουόμενον. Unus Passovius, Furiae apographum sequutus, λουσόμενον, male. *E.*
Post Δάφνιν non puncto sed colo erit distinguendum. Sequentia asyndeta orationi Longi apprime conveniunt. *B.*

ἔκλαιεν· εἶτα ἐκάθευδεν, εἶτα ἀνεπήδα· ὠχρία τὸ [17] πρόσωπον, ἐρυθήματι αὖθις ἐφλέγετο· οὐδὲ βοὸς οἴστρῳ πληγείσης τοσαῦτα ἔργα. Ἐπῆλθόν ποτε αὐτῇ καὶ [18] τοιοίδε λόγοι μόνῃ γενομένῃ. „Νῦν ἐγὼ νοσῶ μὲν, τί δὲ ἡ νόσος, ἀγνοῶ· ἀλγῶ, καὶ ἕλκος οὐκ ἔστι μοι· λυποῦμαι [19], καὶ οὐδὲν τῶν προβάτων ἀπόλωλέ μοι· καίομαι, καὶ ἐν σκιᾷ τοσαύτῃ κάθημαι· πόσαι [20]) βάτοι

---

17) ὠχρία τὸ Codex ὠχριᾶτο. Editores, lectore non monito, correxerunt ὠχρία τὸ πρόσωπον, recte. Homer. Od. XI, 528 οὔτ᾽ ὠχρήσαντα χρόα κάλλιμον. In epigrammate quodam κατωχρήσασα παρειάς. Quamquam auctor Philopatridis c. 23 memorat ἄνδρας ἐπικεκυφότας καὶ κατωχριωμένους. *E.*

18) καὶ τοιοίδε λόγοι. Ita codex: et ex Romana edit. enotavit Beckerus. Caeteri καὶ male omittunt. *E.*

Νῦν ἐγώ. Hic cap. XIV. initium constituit Passov. *B.*

19) λυποῦμαι, καὶ οὐδὲν τῶν προβάτων ἀπόλωλέ μοι Haec potissimum verba, in Heidelb. edit. et Furiae apographo omissa, a Beckero ex Romana edit. allata, tandem etiam a Furia suppleta, in tricas coniecere Passovium, e quibus unde se expediret, lectionisque miram discrepantiam explicaret, non habebat. Nobis haec imprimis verba persuaserunt, deceptum esse Furiam mendoso exemplo, quod Courierius, manu sua scriptum, ei miserat. Editioni suae melius prospexit Francogallus: itaque defectus verborum tantum in iis est editionibus, quae ex apographo Furiae fluxerunt, quamquam ipse dein, animadverso vitio, id certe apographum, quod Büschingius habuit, additis verbis suppleri iussit.

20) πόσαι βάτοι. In codice πόσοι, quod servasse videtur Courierius in apographo ad Furiam misso: unde in Heidelberg. venit. Romana id habet, quod nos reposuimus. *E.*

Eadem varietas etiam alibi occurrit. v. Matthaeus ad Marc. XII, 26. *B.*

με πολλάκις ἤμυξαν [21]), καὶ οὐκ ἔκλαυσα· πόσαι [22]) μέλιτται κέντρα ἐνῆκαν, ἀλλὰ ἔφαγον. Τουτὶ δὲ [23]) τὸ νύττον μου τὴν καρδίαν πάντων ἐκείνων πικρότερον. Καλὸς ὁ Δάφνις, καὶ γὰρ τὰ ἄνθη· καλὸν ἡ σύριγξ αὐτοῦ φθέγγεται, καὶ γὰρ αἱ ἀηδόνες· ἀλλ' ἐκείνων οὐδείς μοι λόγος. Εἴθε αὐτοῦ σύριγξ ἐγενόμην, ἵν' ἐμπνέῃ μοι· εἴθε αἴξ, ἵν' ὑπ' ἐκείνου νέμωμαι. Ὦ πονηρὸν ὕδωρ, μόνον Δάφνιν καλὸν ἐποίησας, ἐγὼ δὲ μάτην ἀπελουσάμην. Οἴχομαι, Νύμφαι φίλαι, καὶ οὐδὲ ὑμεῖς σώζετε τὴν παρθένον τὴν ἐν ὑμῖν τραφεῖσαν. τίς ὑμᾶς στεφανώσει μετ' ἐμέ; τίς τοὺς ἀθλίους ἄρνας ἀναθρέψει; τίς τὴν λάλον ἀκρίδα θεραπεύσει, ἣν πολλὰ καμοῦσα ἐθήρασα, ἵνα με κατακοιμίζῃ φθεγγομένη [24]) παρὰ τὰ ἄντρα [25]); Νῦν δὲ ἐγὼ μὲν αγρ-

---

21) ἤμυξαν. Sic ex codice Romano. Recte. ἤμυξαν, quum ne in Furiae quidem apographo repertum, in sola sit Heidelbergensi, typothetae putamus esse errorem, quo frustra quis coloret novam emendationem ἤμαξαν. Ἀμύσσω γὰρ τὸ διὰ ξυροῦ τὴν σάρκα τέμνω, Schol. Theocr. XIII, 71. *E.*

22) πόσαι μέλιτται. Si πόσα legitur in Romana, quod Beckerus testatur, rursus est operarum vitium. In codice est πόσαι, ut in caeteris editt., hocque firmatur membrorum concinnitate. *E.*

23) τουτὶ δέ. Ita in codice. Correxere δή, quod vulgatae non praetulerimus. Sed paullo post in καλὸν bene retraxerunt accentum.

24) φθεγγομένη. Ita scripsimus cum caeteris; quamquam codex habet φλεγομένη. Sat frequens horum verborum confusio. In Heliodori Aethiopicis V, 223, quum olim editum esset, ἐπιβάλλει τὼ χεῖρε τοῖς βωμοῖς ἐπιφθεγγόμενος, rectae nuper praestantissimus Coray (p. 190) reposuit ἔτι φλεγομένοις. *E.*

25) παρὰ τὰ ἄντρα. Hanc codicis esse lectionem, affirmat Beckerus. Nec dubitamus, etsi in nostro apographo πρὸς τὰ ἄντρα scriptum est. Παρὰ τὸ ἄντρον temeraria est correctio Courierii, quae editiones occupavit. *E.*

υκνῶ διὰ Δάφνιν, ἡ δὲ μάτην λαλεῖ. Τοιαῦτα ἔπασχε, τοιαῦτα ἔλεγεν, ἐπιζητοῦσα ἔρωτος τὸ ὄνομα[26]). Δόρκων δὲ ὁ βουκόλος, ὁ τὸν Δάφνιν ἐκ τοῦ σιροῦ[27]) καὶ τὸν τράγον ἀνιμησάμενος, ἀρτιγένειος μειρακίσκος, καὶ εἰδὼς ἔρωτος ἔργα[28]) καὶ τὰ ὀνόματα, εὐθὺς μὲν ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἐρωτικῶς τῆς Χλόης διετέθη· πλειόνων δὲ διαγενομένων, μᾶλλον τὴν ψυχὴν ἐξεπυρσεύθη, καὶ τοῦ Δάφνιδος ὡς παιδὸς καταφρονήσας, ἔγνω κατεργάσασθαι δώροις ἢ βίᾳ. Τὰ μὲν δὴ πρῶτα δῶρα αὐτοῖς ἐκόμισε, τῷ μὲν σύριγγα βουκολικήν, καλάμους ἔχουσαν ἐννέα χρυσῷ[29]) δεδεμένους ἀντὶ κηροῦ· τῇ δὲ νεβρίδα βακχικήν· καὶ αὐτῇ τὸ χρῶμα ἦν ὥσπερ γεγραμμένον χρώμασιν[30]). Ἐντεῦθεν δὲ φίλος νομιζόμενος, τοῦ μὲν Δάφνι-

---

26) τὸ ἔρωτος ὄνομα. Ex Romana memoravit Beckerus. Apographum nostrum: τοῦ ἔρωτος ὄνομα. Quam codicis lectionem mutarunt deinde, qui scripsere τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα. Id ipsum supra occurrit, sed in alio orationis contextu. *E.*

Scribendum igitur erat: ἐπιζητοῦσα τὸ ἔρωτος ὄνομα. Nam non Amoris, quo ipsa flagrabat, sed omnino Amoris nomen, quaesivit. *B.*

27) ἐκ τοῦ σιροῦ. Editt. σιῤῥοῦ. Sed illa codicis lectio non debuerat mutari. Nam σιρός, σιῤῥός, σειρός, diversae sunt formae eiusdem vocabuli, quod proprie speluncam notat condendis sub terra granis. Cfr. Inttpp. ad Polluc. IX, 49. p. 1011, Valcken. Diatr. in Eurip. p. 217 et Schneider. Ind. Scriptt. R. R. p. 331. *E.*

28) ἔρωτος ἔργα καὶ τὰ ὀνόματα. Sic in exemplo nostro, e cod. facto. Editt. ἔρωτος καὶ τὰ ἔργα καὶ τὰ ὀ. Quod sane elegantius.

29) καλάμους — χρυσῷ δεδεμένους. Editt. χαλκῷ. Mira diversitas. Sed in apographo nostro etiam ἔχουσαν omissum est. *E.*

Probabilius tamen in pastoritio dono est χαλκῷ. *B.*

30) γεγραμμένον χρώμασιν. λευκώμασιν Heidelb. et

ὡς ἠμέλει κατ' ὀλίγον, τῇ Χλόῃ δὲ ἐν ἁπάσαις ἡμέραις [31]) ἐπέφερεν ἢ τυρὸν ἁπαλόν, ἢ στέφανον ἀνθηρόν, ἢ μῆλα ὀπωρινά [32]). ἐκόσμησε δέ ποτε αὐτῇ καὶ μόσχον ἀρτιγέννητον [33]) καὶ κισσύβιον διάχρυσον καὶ ὀρνίθων ὀρείων νεοττούς. Ἡ δέ, ἄπειρος οὖσα τέχνης ἐραστοῦ, λαμβάνουσα μὲν τὰ δῶρα ἔχαιρε, μᾶλλον δὲ ἔχαιρεν, ὅτι Δάφνιδι εἶχεν αὐτὴ χαρίζεσθαι. Καί, ἔδει γὰρ ἤδη καὶ Δάφνιν γνῶναι τὰ ἔρωτος ἔργα, γίνεταί ποτε τῷ Δόρκωνι πρὸς αὐτὸν ὑπὲρ κάλλους ἔρις· καὶ ἐδίκαζε

Passov. ex Furiae apographo. Lusit Courierius, quum ita mutaret: sed temerarius fuit, quum aliam coniecturam afferret, a Beckero memoratam. πεπασμένον λευκοῖς στίγμασι. E.

31) ἐν ἁπάσαις ἡμέραις. Editt. ἀνὰ πάσας ἡμέρας. E. Elegantius est ἀνὰ πάσας ἡμέρας, aut ἐν ἑκάσταις ἡμέραις. B.

32) μῆλα ὀπωρινά. Egregia lectio, quam ante nos nemo ex codice protulit. Pro ea editiones venditant μῆλον ὡραῖον. Francicam levitatem hoc certe in loco fortuna iuvit. Quum enim Courierius in conferendo codice nimium fuisset indiligens: mox ipsum illud vocabulum, cuius loco coniecturam inserserat, atramento offuscatum est, ita tamen, ut diligentioris critici aciem non falleret. Μῆλα ὀπωρινὰ quae sint, nec tirones quaerent, qui Homerici illius οὔτ' ἐν θέρει, οὔτ' ἐν ὀπώρῃ meminerint, Od. XII, 76: quod inde duxit Theocritus X, 56. Voc. ὀπώρη, quum hebraicum cognatae virtutis חֹרֶף illustraret, optime explicuit Schultensius ad Iobum XXIX, 4. E.

33) ἐκόσμησε — μόσχον ἀρτιγέννητον. Rursus servavimus codicis lectiones, editoribus non memoratas. Hi dederunt ἐκόμισε et ὀρειγέννητον. Prius placet; posterius displicet, quia Longus mox adiecit ὀρνίθων ὀρείων νεοττούς. Et paullo post, Cap. XVIII, σκύλακας ἀρτιγεννήτους, καὶ τὸν μόσχον, ὃν ὁ Δόρκων ἐχαρίσατο. Obiter monemus, falsum fuisse virum doctum, qui, quum nuper supplementum Longi in diario quodam Tubingensi Germanice verteret, hunc locum cum iis, quae in supplemento nostro de Dorconis muneribus narrata sunt, in concordiam redigi posse negaret. Nempe ἐχαρίσατο ad

μὲν Χλόη, ἔκειτο δὲ ἆθλον τῷ νικήσαντι φιλῆσαι Χλόην. Δόρκων δὲ πρότερος ὧδε ἔλεγεν· „Ἐγώ, παρθένε, μείζων εἰμὶ Δάφνιδος [34]), καὶ ἐγὼ μὲν βουκόλος, ὁ δὲ αἰπόλος [35]), τοσοῦτον κρείττων ὅσον αἰγῶν βόες· καὶ λευκός εἰμι ὡς γάλα, καὶ πυῤῥὸς ὡς θέρος μέλλον ἀμᾶσθαι, καὶ [36]) ἔθρεψε μήτηρ, οὐ θηρίον. Οὗτος δέ ἐστι μικρὸς καὶ ἀγένειος ὡς γυνή, καὶ μέλας ὡς λύκος· νέμει δὲ τράγους, ὄδω . . . . . . δεινόν [37]), καὶ ἔστι πένης ὡς μηδὲ κύνα τρέφειν. Εἰ δ', ὡς λέγουσι, καὶ αἶξ αὐτῷ γάλα δέδωκεν, οὐδὲν ἐρίφων διαφέρει.“ Ταῦτα καὶ τοιαῦτα ὁ Δόρκων, καὶ μετὰ ταῦτα ὁ Δάφνις· „Ἐμὲ αἶξ ἐνέθρεψεν [38]), ὥσπερ τὸν Δία, νέμω [39]) δὲ τράγους τῶν τούτου βοῶν μείζονας, ὄζω δὲ οὐδὲν ἀπ' αὐτῶν, ὅτι

---

puellam referendum est, cui Dorco ista donaverat, non ad Daphnidem, cui sua deinde munera Chloë concessit. Sed nec Latinus interpres neque Passovius ab illo sibi errore caverunt. *E.*

34) Δάφνιδος. Ita codex et Romana, sine articulo. Caeteri τοῦ Δάφνιδος. *E.*

35) ἐγὼ μὲν βουκόλος, ὁ δὲ αἰπόλος. Sic e codice etiam Romano. Caeterae editt. inverso ordine καὶ ὁ μὲν αἰπόλος, ἐγὼ δὲ βουκόλος, quod, etsi cum sequentibus facilius coit, tamen non anteponendum est. — Mox e cod. nobis descriptum est κρείττων. An forte quid excidit? *E.*

Deest ἐκείνου. *B.*

36) καὶ ἔθρεψε. Editt. καί με. *E.*

37) νέμει δὲ τράγους ὄδω . . . . . . δεινόν. Hanc codicis lectionem etiam Beckerus enotavit, nisi quod pro νέμει scripsit νέμω, calami lapsu, opinamur. Caeteri supplementum habent Courierii, ὄδωδε δὲ ἄρα δεινόν, non illud spernendum. *E.*

38) ἐνέθρεψεν. Romana ἀνέθρεψεν, caeterae ἀνέθρεψε. *E.*

39) νέμω δὲ τράγους τῶν τούτου βοῶν μείζονας, ὄζω δὲ οὐδὲν κ. τ. λ. Permirum, quod Beckerus e Romana hanc tamquam codicis lectionem profert: νέμω δὲ τράγους ὡς τούτους βοῶν μείζονας . . . ξω . . . οὐδὲν κ. τ. λ. Unde ait

μηδὲ ὁ Πάν [40], καίτοιγε ὢν τὸ πλέον τράγος· ἀρκεῖ δέ μοι ὁ τυρὸς καὶ ἄρτος ὀβελίας [41], καὶ οἶνος λευκός, ὅσα ἀγροίκων πλουσίων κτήματα [42]. Ἀγένειός εἰμι, καὶ γὰρ ὁ Διόνυσος· μέλας, καὶ γὰρ ὁ ὑάκινθος· ἀλλὰ κρείττων καὶ ὁ Διόνυσος Σατύρων, ὁ ὑάκινθος κρίνων [43]· οὗτος δὲ καὶ πυῤῥὸς ὡς ἀλώπηξ, καὶ προγένειος ὡς τράγος, καὶ λευκὸς ὡς ἐξ ἄστεος γυνή. Κἂν δέῃ σε φιλεῖν, ἐμοῦ μὲν φιλεῖς [44] τὸ στόμα, τούτου δὲ τὰς ἐπὶ τοῦ γενείου τρίχας. Μέμνησο δέ, ὦ παρθένε, ὅτι σὲ ποίμνιον ἔθρεψεν,

---

Courierium procudisse, quod in caeteras editt. venit: εἰμαν δὲ τράγους τῶν τούτου βοῶν ἀμείνους ἀποδείξω· ὄζω δὲ οὐδὲν κ. τ. λ. Qui nostram in gratiam codicem inspexit, nil in eo aliud reperit, quam quod in textu posuimus: nec quicquam aliud desideramus. *E.*

40) *ὅ, τι μηδὲ ὁ Πάν.* Bene correxit Passovius. Nil frequentius hac ellipsi. Codex ὅτι. Ipsa Passovii editio ὅτι. *E.*

41) *ἄρτος ὀβελίας.* Pessime vertit Amatus. Est ἄρτος, ὁ ἐπὶ ὀβελίσκου ὀπτώμενος. Cf. Pollux I, 248. p. 147. Hesych. To. II. p. 711. Photii Lex. p. 229. Zonarae Lex. p. 1422. Versionem Latinam etiam sine Grammaticorum ope corrigere poterat Francogallus, si vernaculi vocabuli oublie meminisset. *E.*

42) *ὅσα ἀγροίκων πλουσίων κτήματα.* Sic codex: sic etiam Romana, Beckero teste. In caeteras editt. fluxit Courierii inepta correctio: ὅσα ἀγροίκων, οὐ μὲν δὴ πλουσίων κτήματα. Passovius etiam comma post ἀγροίκων omisit. Caeterum pro κτήματα Courierius suspicatus est ἐδέσματα. Poterat eodem iure χρήματα, μελήματα, et huius generis centena alia, si vellet calamo ludere. *E.*

43) *ὁ ὑάκινθος κρίνων.* Editt. καὶ praemittunt, praeter necessitatem. *E.*

44) *φιλεῖς.* Editt. φιλήσεις. Illud, erunt fortasse, qui defendant futuris atticis ποιῶ (Aristoph. Plut. 1198), ἐῶ (1072) et similibus. Cfr. Villoison. ad Long. p. 247, et quos praeterea laudavit Fischer. animadv. ad Veller. II. p. 359. *E.*

ἀλλὰ καὶ εἶ καλή." Οὐκέθ' ἡ Χλόη περιέμεινεν, ἀλλὰ τὰ μὲν ἡσθεῖσα τῷ ἐγκωμίῳ, τὰ δὲ πάλαι [45]) ποθοῦσα φιλῆσαι Δάφνιν, ἀναπηδήσασα αὐτὸν ἐφίλησεν, ἀδίδακτον μὲν καὶ ἄτεχνον, πάνυ δὲ ψυχὴν θερμᾶναι δυνάμενον. Δόρκων μὲν οὖν ἀλγήσας, ἀπέδραμε ζητῶν ἄλλην ὁδὸν ἔρωτος· Δάφνις δὲ, ὥσπερ οὐ φιληθεὶς, ἀλλὰ δηχθεὶς, σκυθρωπός τις εὐθὺς ἦν, καὶ πολλάκις ἐψύχετο, καὶ τὴν καρδίαν παλλομένην οὐ κατεῖχε [46]), καὶ βλέπειν μὲν ἤθελε τὴν Χλόην, βλέπων δὲ ἐρυθήματι ἐπίμπλατο [47]). Τότε πρῶτον καὶ τὴν κόμην αὐτῆς ἐθαύμασεν, ὅτι ξανθή, καὶ τοὺς ὀφθαλμούς, ὅτι μεγάλοι καθάπερ βοός [48]), καὶ τὸ πρόσωπον, ὅτι λευκότερον ἀληθῶς καὶ [49]) τοῦ τῶν αἰγῶν γάλακτος· ὥσπερ τότε

Quum nostri scriptores Atticam dicendi consuetudinem imitentur (ut mox in σκυθρωπός τις h. e. *admodum moestus*): praeferendum est futurum contractum. *B.*

45) τὰ δὲ πάλαι. Non aliter e codice accepimus. Sic et caeterae editiones, praeter Romanam, e qua Beckerus τὰ δὲ καὶ πάλαι notavit, probatum Passovio, nobis non item. *E.*

46) οὐ κατεῖχε. Adiecimus negandi particulam ex editt. In apographo nostro κατεῖχε. *E.*

47) ἐρυθήματι ἐπίμπλατο. Interserunt his verbis editt. εὐθύς, quod neque in codice, neque in Romana editione est. — Mox apographum nostrum ἐθαύμασε. E Romana Beckerus ἐθαύμασεν attulit. *E.*

48) ὅτι μεγάλοι καθάπερ βοός. Codicis lectionem in editione sua servavit Courierius; reliquis editionibus mirificus homo suppeditavit: ὅτι μεγάλοι τε καὶ διαυγεῖς. En vobis *les yeux brillants d'une Courtisanne Parisienne!* Prioris imaginis duritiem si forte respuerent Parisinae puellae, καλλωπίζειν magis quam σκληραγωγεῖν τὴν λέξιν doctae: debebat Criticus ad Iunonem Homericam confugere. Itaque miramur, istum καλλωπισμὸν Passovio placuisse. *E.*

49) ἀληθῶς καὶ τοῦ. In nostro exemplo ἀληθῶς ἐκ

πρῶτον ὀφθαλμοὺς κτησάμενος, τὸν δὲ πρότερον χρόνον πεπηρωμένος. Οὔτε οὖν τροφὴν προσεφέρετο πλὴν ὅσον ἀπογεύσασθαι· καὶ πότον, εἴ ποτε ἐβιάσθη, μέχρι τοῦ ἂν διαβρέξαι τὸ στόμα προσεφέρετο. Σιωπηλὸς ἦν ὁ πρότερον τῶν ἀκρίδων λαλίστερος, ἀργὸς ὁ περιττότερα τῶν αἰγῶν κινούμενος· ἠμελεῖτο 50) καὶ ἡ ἀγέλη· ἔρριπτο καὶ ἡ σύριγξ· χλωρότερον τὸ πρόσωπον ἦν πόας θερινῆς· εἰς μόνην Χλόην ἐγίγνετο λάλος 51), καὶ εἴ ποτε μόνος ἀπ' αὐτῆς....

Versio latina Amati.

..... custodiendas. Ipse autem, quum ad fontem accessisset, comas corpusque omne abluere coepit. Nigrae erant comae et spissae: Corpus sole torridulum. Ipsum quis putaret vel a capillitii umbra colorem trahere. Ast pulcer Daphnis contemplanti Chloae videbatur; quodque non antea ipsi pulcer visus esset, pulcritudinis caussam lavacrum illud existimabat. Dum vero (ipsa) eius tergori abluendo manum porrexisset, carnes ita molliculae occurrebant, ut, quid ageret nescia, se ipsam saepius tangeret; ac, an illud laevius delicatiusve esset, experiretur. Sed tunc (iam enim sol ad extremum occidentem properabat) armenta domum duxerunt; nec aliud sane novi in se Chloe experta est, ni quod fortasse Daphnin se lavantem rursus videre cuperet. Postera autem luce, quum ad pascua rediissent, ad suetam quercum sedens Daphnis, fistula canebat, ac simul capras suas, huc illucque iacentes et carmini fere intentas, vigili

---

τοῦ. Paullo post τότε πρότερον, ubi verum est πρῶτον. Et sic editiones. *E.*

50) ἠμελεῖτο. Nostrum apographum ἠμελῆτο. Romana ἠμέλητο. Caeterae, sicut nos dedimus. *E.*

51) ἐγίγνετο. Est codicis lectio. Sic et editt. praeter Romanam, quae habet ἐγίνετο. Mox λαλὸς, ut supra, ita etiam h. l. in codice scriptum est. *E.*

oculo observabat: adque eius latus reclinata Chloe et ipsa ovium gregem tuebatur, ac in Daphnin plerumque ocellos flectebat. Ipse ei rursus fistula canens pulcer videbatur: et ipsa rursus musicam pulcritudinis caussam putabat: quo factum, ut et ipsa postea fistulam sumeret, si unquam scilicet et ipsa pulcra fieri posset, tentatura. Ut rursum etiam ille lavatum descenderet, suasit; et lavantem vidit; et quum vidisset, tetigit; et illo laudato recessit; et laus amoris initium erat. Verum puella adhuc tenera, et ruri aspere nutrita, quod iam in se sentiebat, prorsus ignorabat; quum nec ipsum amoris nomen ab ullo prolatum unquam audivisset. Angor tamen animi quidam eius occuparat pectus: non ipsa oculorum suorum potens: multus semper in eius ore Daphnis. Nulla cibi cura: vigiles noctes: gregis ipsius fastidium. Nunc risus in vultu: nunc luctus et moestitia. Recumbebat modo ad quietem; modo rapida prosiliebat. Nunc genae pallore perfusae; nunc vivido rubore flammantes. Non haec sane vel oestro percitae bovis propria essent. Ac quum sola versaretur, hae animum subibant cogitationes: „Morbo ego sane laboro: ast quinam sit morbus, ignoro. Dolet; nec vulnus adest. Animo sum moesta; nec ullam ovicularum amisi. Uror; ac in tam pulcra sedeo arboris umbra. Quot jam frequenter spinae me pupugerunt; nec tamen gemitus emisi. Quot me apiculae aculeo petierunt; et ego tamen cibum sumpsi. Id quod nunc pectus transverberat meum, id omnium longe est amarissimum. Pulcer quidem Daphnis: nam et flores pulcri. Dulce quid eius fistula sonat: nam et lusciniae. Sed non harum rerum ulla mihi ratio. Utinam ego ipsa eius fierem fistula, quo me tangeret spiritu! Utinam eius capella, quo me ipse pastum duceret! Pereas, mala aqua! Tu solum Daphnin pulcrum reddidisti. Ego frustra me lavi: o

bonae Nymphae, ego iam linquor animo: ego iam pereo; nec vos me virgunculam, me vobis nutritam servabitis! Quis vobis post me corollas imponet? Quis misellos agnos enutriet? Quis loquacem gryllum curabit, quem ego multo cum labore venata sum, ut me apud antra sopiret? Ac nunc ego quidem insomnis ob Daphnin sedeo: Ille vero frustra nocturnam suam vocem fundit." Haec et similia patiebatur misella; haec et similia spargebat; ac adhuc illi amoris nomen quaerebatur. Dorcon autum boum pastor, ille qui Daphnin et caprum e fovea extraxerat, primae lanuginis iuvenculus, quique amoris et opera et nomina optime nosset, ab illo statim die amatorio igne in Chloen ferri coepit; quumque diebus aliis interlapsis, maius animo incendium concepisset: Daphnin uti puerum spernens, rem sibi vel donis, vel vi conficiendam esse constituit. Ac primum iis quidem dona adtulit; huic pastoritiam fistulam, quae calamos haberet, cerae vice, flavo aere coniunctos: illi hinnuleam Baccho dignam pellem, cuius sane color, uti coloribus, varie pictus erat. Ab hac re amici loco habitus, brevi Daphnin omnino neglexit; Chloae vero ferebat ille quotidie vel caseolum mollem, vel florum corollam, vel pomum aliquod pulcrum. Adtulit etiam aliquando vitulum silvestrem, et mulctrale auratum, ac e vicinis montibus avium pullos. Puellula contra omnis amatoriae artis prorsus ignara, laeto vultu ea excipiebat dona; idque magis laetabatur, quod inde scilicet ea quae Daphnidi offerret munuscula sibi abunde sufficerent. Sed iam (oportebat enim Daphnin ipsum ad amoris opera noscenda pervenire) excitatur Dorconi cum eo de pulcritudine certamen. Certaminis arbitra sedebat Chloe: Chloen osculari praemium victori propositum erat. Ac ita prior occoepit Dorcon: „Ego quidem, o puella; maior sum Daphnide: ego boum pastor: ille

oculo observabat: adque eius latus reclinata Chloë et ipsa ovium gregem tuebatur, ac in Daphnin plerumque ocellos flectebat. Ipse ei rursus fistula canens pulcer videbatur: et ipsa rursus musicam pulcritudinis caussam putabat: quo factum, ut et ipsa postea fistulam sumeret, si unquam scilicet et ipsa pulcra fieri posset, tentatura. Ut rursum etiam ille lavatum descenderet, suasit; et lavantem vidit; et quum vidisset, tetigit; et illo laudato recessit; et laus amoris initium erat. Verum puella adhuc tenera, et ruri aspere nutrita, quod iam in se sentiebat, prorsus ignorabat; quum nec ipsum amoris nomen ab ullo prolatum unquam audivisset. Angor tamen animi quidam eius occuparat pectus: non ipsa oculorum suorum potens: multus semper in eius ore Daphnis. Nulla cibi cura: vigiles noctes: gregis ipsius fastidium. Nunc risus in vultu: nunc luctus et moestitia. Recumbebat modo ad quietem; modo rapida prosiliebat. Nunc genae pallore perfusae; nunc vivido rubore flammantes. Non haec sane vel oestro percitae bovis propria essent. Ac quum sola versaretur, hae animum subibant cogitationes: „Morbo ego sane laboro: ast quinam sit morbus, ignoro. Dolet; nec vulnus adest. Animo sum moesta; nec ullam ovicularum amisi. Uror; ac in tam pulcra sedeo arboris umbra. Quot jam frequenter spinae me pupugerunt; nec tamen gemitus emisi. Quot me apiculae aculeo petierunt; et ego tamen cibum sumpsi. Id quod nunc pectus transverberat meum, id omnium longe est amarissimum. Pulcer quidem Daphnis: nam et flores pulcri. Dulce quid eius fistula sonat: nam et lusciniae. Sed non harum rerum ulla mihi ratio. Utinam ego ipsa eius fierem fistula, quo me tangeret spiritu! Utinam eius capella, quo me ipse pastum duceret! Pereas, mala aqua! Tu solum Daphnin pulcrum reddidisti. Ego frustra me lavi: o

nae Nymphae, ego iam linquor animo: ego iam reo; nec vos me virgunculam, me vobis nutritam vabitis! Quis vobis post me corollas imponet? ris misellos agnos enutriet? Quis loquacem gryln curabit, quem ego multo cum labore venata m, ut me apud antra sopiret? Ac nunc ego quim insomnis ob Daphnin sedeo: Ille vero frustra cturnam suam vocem fundit." Haec et similia tiebatur misella; haec et similia spargebat; ac adc illi amoris nomen quaerebatur. Dorcon autum um pastor, ille qui Daphnin et caprum e fovea traxerat, primae lanuginis iuvenculus, quique amo et opera et nomina optime nosset, ab illo statim e amatorio igne in Chloen ferri coepit; quumque ebus aliis interlapsis, maius animo incendium conpisset: Daphnin uti puerum spernens, rem sibi vel nis, vel vi conficiendam esse constituit. Ac priam iis quidem dona adtulit; huic pastoritiam fistun, quae calamos haberet, cerae vice, flavo aere niunctos: illi hinnuleam Baccho dignam pellem, ius sane color, uti coloribus, varie pictus erat. Ab c re amici loco habitus, brevi Daphnin omnino nexit; Chloae vero ferebat ille quotidie vel caseolum ollem, vel florum corollam, vel pomum aliquod pulum. Adtulit etiam aliquando vitulum silvestrem, mulctrale auratum, ac e vicinis montibus avium llos. Puellula contra omnis amatoriae artis prorsus nara, laeto vultu ea excipiebat dona; idque magis etabatur, quod inde scilicet ea quae Daphnidi offert munuscula sibi abunde sufficerent. Sed iam portebat enim Daphnin ipsum ad amoris opera noenda pervenire) excitatur Dorconi cum eo de pulitudine certamen. Certaminis arbitra sedebat Chloe. iloen osculari praemium victori propositum erat. Ita prior occoepit Dorcon: „Ego quidem, o puri; maior sum Daphnide: ego boum pastor: ille

caprarius: eo ipso ego potior iure quam ille, qua prorsus boves capris. Albus ego, lactis similitudine; flavus idem caesariem, ut ille Cereris campus, cui iam messoria falx impendet. Me mater nutrivit; non fera. Hicce autem et parvus est, et imberbis, ut femella, et ater, lupi more. Hircos ille pascit graveolentes: Pauper est adeo, ut neque canem alere possit. Si vero, uti aiunt, capra illi lac praebuit, non ille mehercule aliquid ab hoedis differat." Haec et hisce similia Dorcon; ac exinde Daphnis: „Me sane nutriit capra, ut Iovem. Hircos ego pasco; sed ut hosce, ipsis bobus maiores. Odoris nihil inde traxi; si neque Deus Pan, qui praesertim maiore sui parte caper sit. Caseus mihi abunde sufficit, et panis obelo (craticulae pastoritiae) incoctus, vinumque album; quae omnia tandem divitum agricolarum meliora habentur alimenta. Imberbis ego sum: Nam et Bacchus. Colore fuscus: Nam et hyacinthus. Sed Bacchi numen longe praestantius foedis Satyris; et hyacinthus liliis. Rufus hic contra, ut vulpes; promissa barba, ut hircus; albus, ut ex urbe muliercula. Si tu proinde osculari debeas, mei sane os ipsum osculabere, illius autem e mento exstantes pilos. Memineris, puella, quod te scilicet grex nutriit, quodque tandem procul dubio pulcra es." Ad haec non amplius Chloe se continere potuit. Quumque iam laudatione illa gavisa esset, ac iamdiu osculari cuperet Daphnin, prosiluit statim, ac osculo eum donavit, rudi quidem illo, nulliusque artis participe, sed quod ingentem in pectore flammam excitare optime sciret. Dolens hinc Dorcon, aliam amoris viam quaesiturus, aufugit. Daphnis vero, ac si non osculo tactus, sed morsu, moestitia quadam illico suffusus est: frigore interdum corripiebatur, cordisque insueta palpitatione: oculos in Chloen flectere cupiebat: ac statim ea visa rubore totus spargebatur. Tunc

primum eius comas miratus est, quod flavae essent, et oculos, quod magni, uti vitulae, et genas, quod scilicet ipso caprarum lacte candidiores; ac si tum primum ipse oculorum aciem quaesivisset, antetectoque tempore ipsis oculis captus omnino fuisset. Hinc non ille cibum capiebat; sed tantum leviter degustabat: potum, si ad id cogeretur, quo tantum os humectaret, admittebat. Obmutuerat en ille, qui pridem cicadis (gryllis) loquacior: piger sedebat, qui olim ipsis capellis levior huc illucque movebatur. Grex ipse neglectui iam habetur: longe proiecta iacet fistula. Pallidior vultus arente herbula, matura aestate. De sola tamen Chloe loqui amabat: Ac si quando ab ea secessisset, haec secum amenti similis spargebat....

Iam si quaeritur, utrum hoc fragmentum genuinum sit, nec ne, primum ipsa illud codicis antiquitas tuetur. Neque enim post saeculum XIII. illud confictum esse, aut iis temporibus quibus in Italia Graecae literae reviviscere coeperunt, scriptum, ex ea, quam diximus, codicis aetate apparet. Neque vero probabiliter statui potest, illud a nescio quo Graeculo, qui inter Longi et codicis aetatem vixerit, esse suppositum aut supponi facile potuisse. Deinde enim ita aptum est loco, quo legitur, ut nihil aptius dici et cogitari potuerit. Refert vero etiam Longi ingenium tum quod ad sententias attinet, tum quod ad omnem orationis conformationem et ad singula verba, et spirat illam nativam simplicitatem et levitatem comtam, quae in toto libro conspicitur. Excidit autem ille locus, non propter similem periodorum, inter quas medius legitur, terminationem, neque propter alias quasdam eius generis rationes, sed videtur in aliquo libro vetusto, unde fluxit vulgata olim Longi lectio, intercidisse folium unum, cui hic locus inerat, quocun-

caprarius: eo ipso ego potior iure quam ille, quo prorsus boves capris. Albus ego, lactis similitudine; flavus idem caesariem, ut ille Cereris campus, cui iam messoria falx impendet. Me mater nutrivit; non fera. Hicce autem et parvus est, et imberbis, ut femella, et ater, lupi more. Hircos ille pascit graveolentes: Pauper est adeo, ut neque canem alere possit. Si vero, uti aiunt, capra illi lac praebuit, non ille mehercule aliquid ab hoedis differat." Haec et hisce similia Dorcon; ac exinde Daphnis: „Me sane nutriit capra, ut Iovem. Hircos ego pasco; sed ut hosce, ipsis bobus maiores. Odoris nihil inde traxi; si neque Deus Pan, qui praesertim maiore sui parte caper sit. Caseus mihi abunde sufficit, et panis obelo (craticulae pastoritiae) incoctus, vinumque album; quae omnia tandem divitum agricolarum meliora habentur alimenta. Imberbis ego sum: Nam et Bacchus. Colore fuscus: Nam et hyacinthus. Sed Bacchi numen longe praestantius foedis Satyris; et hyacinthus liliis. Rufus hic contra, ut vulpes; promissa barba, ut hircus; albus, ut ex urbe muliercula. Si tu proinde osculari debeas, mei sane os ipsum osculabere, illius autem e mento exstantes pilos. Memineris, puella, quod te scilicet grex nutriit, quodque tandem procul dubio pulcra es." Ad haec non amplius Chloe se continere potuit. Quumque iam laudatione illa gavisa esset, ac iamdiu osculari cuperet Daphnin, prosiluit statim, ac osculo eum donavit, rudi quidem illo, nulliusque artis participe, sed quod ingentem in pectore flammam excitare optime sciret. Dolens hinc Dorcon, aliam amoris viam quaesiturus, aufugit. Daphnis vero, ac si non osculo tactus, sed morsu, moestitia quadam illico suffusus est: frigore interdum corripiebatur, cordisque insueta palpitatione: oculos in Chloen flectere cupiebat: ac statim ea visa rubore totus spargebatur. Tunc

primum eius comas miratus est, quod flavae essent, et oculos, quod magni, uti vitulae, et genas, quod scilicet ipso caprarum lacte candidiores; ac si tum primum ipse oculorum aciem quaesivisset, anteactoque tempore ipsis oculis captus omnino fuisset. Hinc non ille cibum capiebat; sed tantum leviter degustabat: potum, si ad id cogeretur, quo tantum os humectaret, admittebat. Obmutuerat en ille, qui pridem cicadis (gryllis) loquacior: piger sedebat, qui olim ipsis capellis levior huc illucque movebatur. Grex ipse neglectui iam habetur: longe proiecta iacet fistula. Pallidior vultus arente herbula, matura aestate. De sola tamen Chloe loqui amabat: Ac si quando ab ea secessisset, haec secum amenti similis spargebat.....

Iam si quaeritur, utrum hoc fragmentum genuinum sit, nec ne, primum ipsa illud codicis antiquitas tuetur. Neque enim post saeculum XIII. illud confictum esse, aut iis temporibus quibus in Italia Graecae literae reviviscere coeperunt, scriptum, ex ea, quam diximus, codicis aetate apparet. Neque vero probabiliter statui potest, illud a nescio quo Graeculo, qui inter Longi et codicis aetatem vixerit, esse suppositum aut supponi facile potuisse. Deinde enim ita aptum est loco, quo legitur, ut nihil aptius dici et cogitari potuerit. Refert vero etiam Longi ingenium tum quod ad sententias attinet, tum quod ad omnem orationis conformationem et ad singula verba, et spirat illam nativam simplicitatem et levitatem comtam, quae in toto libro conspicitur. Excidit autem ille locus, non propter similem periodorum, inter quas medius legitur, terminationem, neque propter alias quasdam eius generis rationes, sed videtur in aliquo libro vetusto, unde fluxit vulgata olim Longi lectio, intercidisse folium unum, cui hic locus inerat, quocun-

que demum casu hoc evenerit. Inde factum est, ut omnia apographa istius codicis carerent eo loco, Florentinus autem, qui integrior est, unus eum servaret.

Non aeque benigne statui potest de supplementis fabellarum Phaedri, nuper in Italia reperto, edito et in Germania recuso, de quo idem Vir celeb. nuperrime et subtiliter iudicavit. 52) Scilicet *Ioann. Antonius Cassittus* anno huius saeculi VII. fabulas Phaedri XXXII. in codice Perottino se indagasse primum existimavit, et, ut fit, certissime sibi persuasit, vera esse illa et genuina cimelia. „In hac, inquit, Regis nostri bibliotheca codicem Perottinum evolventi mihi, ultro sese obtulit Phaedrus, meum delicium, et, qui polyhistoras, Dorvillium, Burmannum, Andresium, latere voluerat, mihi se indulsit. Reperi, inquam, fabulas has ineditas, caeteris iam vulgatis immixtas, et poëmatiis Avieni ipsiusque Perotti mediocribus. Anno, qui insequutus est, CIↃIↃCCCVIII. quinquaginta dumtaxat edidi exemplaria, praemisso anteloquio cl. Franc. Avellinii, praeceptoris Achillis, Princ. Iuvent., primumque ex illis in bibliotheca Academiae nostrae Italicae Scientiarum et Artium deposui. (vid. Acta To. I. P. I. p. 50.) Supplementa lacunarum litteris Italicis, quas vocant, exaravi, ut heic etiam factum cernis 53); nunc tamen melius et ad vestigia pressius ex monitu eruditorum, qui codicem otio belle tractarunt. Opus

---

52) Novi Prorectoratus Auspicia d. VIII. Febr. CIↃIↃCCCXII. rite capta civibus indicit Academia Ienensis, *Insunt Phaedri quae feruntur fabulae* XXXII. *in Italia nuper repertae, nunc primum in Germania editae, adiunctis Dorvillii et Burmanni emendationibus.* XII. pp. fol.

53) Referuntur haec ad alterum exemplum, quocum hanc epistolam, itidem typis excusam ad viros quosdam doctos variorum locorum misit.

Phaedro vindicabat doctissimus Avellinius corrogatis undique argumentis. Ego vero gustu solo rem definiendam puto: sicut accidit, ubi quinque libellos emisit in publicum Pithoeus. Profecto veteris vini salivam bonumque succum opsonii dignoscere tantum illis datur, qui vappam et allium non obolent. „Scilicet superiori anno rursus has fabulas una plagula formae maximae, sed bipartito impressa, emisit, ad exquirendas colligendasque de iis sententias centuriae doctorum virorum [54]), quamquam consensum eorum et laudes inventi quam dubitationes et refutationes sperasse videtur. Constituerat enim Lutetiae Parisiorum Didoti opera pulcherrimam editionem, copioso commentario instructam, evulgare. Sed quemadmodum spes laetorum iudiciorum eum fefellit [55]): ita fuit etiam, qui ante Cassitum, nescimus quo fato casuve, maiorem editionem curaverit [56]), et nuper alia nunciata est editio Lutetiae Paris., non tamen ut vi-

---

54) Inscribitur editio: *Iul. I. Phaedri fabulae ineditae XXXII. a Io. Cassito repertae in codice Perottino bibl. reg. Neap. Editio centum exemplarium.* Ad calcem legitur: *Neapoli, ex typographeio monitoreis utr. Sic.* CIↃIↃCCCXI.

55) Prodiit enim superiori anno etiam alia harum fabularum editio a Cassito curata, 8. min. adiecta Mantissa, cui emendationes in Phaedrum Cassit., Vindiciae eius et iudicia VV. DD., in his Heynii insunt, ut ex Tubingensi Diario (Morgenblatt) relatum est in ephemm. Lipss. 1812. N. 46, p. 366.

56) Titulum eius editionis Hagerus, Mediol. V. D. perscripsit Eichstadio V. C. hunc: *Codex Perottinus Ms. Regiae Bibl. Neapol., duas et triginta fabulas iam notas, totidem novas, sed et triginta Avieni vulgatas, et ipsius Perotti carmina inedita continens, digestus et editus a Cat. Iannellio.* Neap. 1809. 8. Scilicet a. IX. iam praelo subiecta est haec editio, sed a. XI. medio demum in lucem emissa.

detur, a Cassito curata [57]), et prodiit textus rep
Tubingae [58]).

Et primum quidem perperam Cassitus sibi
tecti et in lucem protracti codicis gloriam vindi
Meliora enim eum docere poterat Burmanni prae
maiori editioni (L. B. 1724. 4.) praemissa. Quum
Dorvillius iuvenis, per Britanniam et Galliam
grinatus, anno super. saeculi XXVII. studiorum
in Italia haereret; invenit codicem, in quem Nic
Parottus, Saxofereratensis, inde ab a. LVIII. saec
episcopus Sipontinus, omnis generis fabulas, Aes
Phaedrinas, Avieni et suas, vario carminum g
contulerat. Accepto eius rei nuntio exsultavit
tia Burmannus, Phaedrum illo tempore iterum e

---

57) Titulus hic indicatus est: *Phaedri Fabulae no veteres.* Fabulae novae iuxta collatas *I. A. Cass Cataldi Iannelii* editiones Neapoli nuper emissas, selectis utriusque ex commentario notis. Fabulae res iuxta accuratiss. editionem Bipontinam, cum s doctiss. viri Schwabe ex commentario notis. Pari Schoell. 8.

58) Inscribitur: *Noviter detectae Phaedri Fabulae tri* E manuscripto Bibliothecae Regiae Neap. Codice n rime editae; ad commodiorem lectitantium usum in formam recusae. Stuttgartiae et Tubingae, apud Cottam 1812. 46. pp. 88. „Licet enim, inquit e quem *Hageram* esse accepimus, in praefat., trigi duas iuxta numerum, qui est in manuscripto rec non dubitarint (Cassitus et Ianellius) revera tame ad tricesimam ascendere, res ipsa demonstrat. E quae numero sexto apud Cassitum posita est fabella, nisi quendam esse prologum alterius cuiusdam, a ea quae vicesimo quarto reperitur loco (de pastore pella) apte posse connecti, quod et nos praestitimus, vis intelliget; et quam is secundo collocavit numero rum esse similiter seu epilogum seu prologum, ma ipsa pariter ostentat; unde et nos, cum Ianellio, a cem relegavimus.

rus; sed mox, quum excerpta ex codice ad ipsum essent allata, horum conspectu gaudium antea conceptum haud parum imminutum fatetur. Quamquam quid ipse senserit de fabulis, Dorvillii sollertia repertis, adeo non perspicue exposuit, ut incerta eius et paene fluctuans oratio incautis animis afferre fluctuationem possit. Nam et de codice multum conqueritur, corrupto longa aetate multisque modis mutilato vitiatoque; et viam monstrat, qua vetustior codex, unde Perottus sua transtulerit, in aliqua Italiae bibliotheca detegatur, quod quia valde optandum esse ait, αὐθεντίας persuasionem prodit; et tamen fabulas ipsas, quibus beare Dorvillius Phaedri amatores voluit, satis habuit ex huius apographo in suum exemplum transscribere, neque operae pretium duxit, variis lectionibus fabularum e Phaedro translatarum commemoratis, eas in editionem suam recipere. Quid? quod unam ex illis [59]), cui in praefatione locum concessit, diserte pronunciat, e Perotto concinnatam esse, quamquam Phaedri verbis convenientiorem ea, quam ipse olim ex Anonymo, Rimicio, et Romulo in metrum redegerat, et cum aliis fabulis, partim Gudiamis (V.), partim suis (XXIX.) in appendicem editionis secundae (Hag. Com. 1718. 8.) coniecerat. [60])

---

59) Est ea fabula I. ed. Cassiti: De vulpe et simio, quam repetiit, additis fabulis e Romulo Divionensi (in Schwabii ed. Phaedri T. II. p. 651.) et Romulo Nilantii (ed. LB. 1709. p. 118.), atque senariis Burmanni et elegiacis versibus Anonymi Neveleti, quibus eadem continetur fabula, Eichstadius p. XII., qui p. XIII. monet, se a *Bern. Ios. Doceno* edoctum esse, Anonymum Neveleti non esse nisi Hildebertum Cenomanensem (perperam enim scriptum est, Cremonensem) post Turonensem episcopum, saec. XI. poetam et scriptorum.

60) Excerpsimus haec ex Eichstad. libello, ipsius verbis servatis.

Perottinii codicis exemplar, Burmanni manu factum, quod ex bibliotheca Geneross. Viri, *Henr. Frid. Dietzii* [61]), Borussorum regis olim legati ad Osmanorum imperatorem, nunc Berolini versantis, eximii litterarum atque historiae Orientis investigatoris [62]), acceperat *Ferdin. Handius*, in gymnasio Vinar. opti-

---

61) Servat ea plurimas vett. poetarum collationes atque codices, e bibl. Laur. Santenii aliisque comparatos, et tanta est possessoris liberalitas atque benevolentia, ut horum opum usum non invideat, si quis iis recte uti sciat.

62) Edidit ille superiori anno tres libros eius generis, quorum vel argumentum vel animadversiones inspersae ad graecas quoque latinasque litteras spectant: *Ueber Inhalt und Vortrag, Entstehung und Schicksale des königl. Buchs, eines Werks von der Regierungskunst, als Ankündigung einer Uebersetzung nebst Probe aus dem Türkisch-Persisch-Arabischen des Waassi Aly Dschelebi von Heinrich Friedrich von Dietz*, königl. preuss. geheimen Legations-Rath etc. 214. pp. 8. Agitur de fabulis Pidpai, quarum etiam graeca versio a Simeone Sethi facta legitur. — *Buch des Kabus oder Lehren des persischen Königs Kjekjawous* (qui saec. XI. p. C. N. medio floruit) *für seinen Sohn Ghilan Schach* (quem Seldschuki et Ismaelitae imperio exuerunt). *Ein Werk für alle Zeitalter aus dem Türk. Pers. Arab. übersetzt und durch Abhandlungen und Anmerkungen erläutert von H. F. von Dietz* 867. pp. 8. Veterum narrationes quaedam eroticae illustrantur p. 108. s. aliae p. 575. add. p. 697. ubi de Hippocratis operibus, quae Arabes laudant, agitur. — *Denkwürdigkeiten von Asien in Künsten und Wissenschaften, Sitten, Gebräuchen und Alterthümern, Religion und Regierungsverfassung, aus Handschriften und eignen Erfahrungen gesammelt von H. F. von Dietz. Erster Theil.* XXVIII. 514. pp. 8. Memoranda inprimis est Comm. V. p. 71. ss. quae inscribitur: *Laudabilia Ionum* (Graecorum) *Monumenta*, e Turcico versa; et continet excerptas e turcico historico Hezarfenni opere narrationes de graecis quibusdam philosophis et medicis, Aesculapio, Hippocrate, Galeno, Platone, Anaximene etc.

narum litterarum professor, atque inde descriptas Dorvillii et Burmanni observationes Eichstadio obtulit, qui iis in hoc ipso libello usus est.

Deinde in ipsas illas fabulas non ita diligenter inquisitum est vel a Cassito vel ab aliis earum defensoribus [63], ut origo earum et natura et oratio accurate examinaretur, et utrum in his nihil reperiatur, quod recentiorem prodat aetatem, quaereretur. Nam doceri potest, haud paucas illarum fabellarum esse ductas e vetustis fabulis, quas Romulus nescio quis et Rimicius aliique semibarbari scriptores huius generis soluta oratione composuerunt. Si enim cum his recens editas fabulas contulerimus, inveniemus fundum communem atque eumdem, verba in paucis diversa, argumentum a prosaicis illis auctoribus aliquanto melius expositum, acumen fabulae rectius expeditum, dicta et sales commodius interspersos, addita etiam epimythia; ut appareat, istas soluta oratione, quamquam interdum grammaticis legibus contraria, scriptas, et nunc nimia brevitate nunc loquacitate laborantes, tamen integritate, facetiis et vero antiquitate nostris senariis praestare. Quae quum sententias veras et acutas, verba pura et latina multa servaverint ex vetere poëta, cuius orationem simpliciter et nulla arte, etiam obscurius interdum expresserunt, quae in senariis nostris non insunt, hos ex illis haustos esse, non contra, apparet. Illarum scriptores hauserunt omnia ex pleniore et limpidiore fonte poëtae latini veteris nobis ignoti, quem

63) In his etiam Hagerus est, qui hoc tulit de nostris fabulis iudicium (in praef. edit.), si illud iudicium appellandum est: „Eas Iulii Phaedri, Augusti liberti, esse partum aureae stylus latinitatis, Romani mores ac consuetudines, aliaque plura, quae apud earum nuperos editores uberius enucleata reperias, quidquid Heynius aliive obloquantur, persuadent."

Aesopum nominant, quia nullum aliud inveniebant in eius opere nomen. Auctor senariorum, instaurare deperditum poëtam ausus, ductos ex isto rivulos ita in rem suam convertit, ut narrationem semibarbarorum fere breviorem faceret, omissisque fabulae iustis partibus obscuraret, perraro brevitatem illorum dilataret et dicta amplificando attenuaret. In illis disiecta veluti membra scitiorum carminum apparent, elegantisque ingenii et orationis lumina interlucent; in senariis nostris oratio purior est et mundior, sed mollius et facetius in semibarbaris narrationibus rei contexendae artificium. Illi primarium artificem sequuti, certe summas rerum occuparunt ideoque steterunt, hic arte callide furandi usus, sicca et tenui brevitate plerumque iacet. Eam in rem Eichstadius non tantum 1. sed etiam 19. et 26. fabulam ap. Cassit. cum Romulo Divionensi et Romulo Nilantii comparavit.

Ex harum fabularum comparatione intelligitur primum poëticum imitatorem (Pseudophaedrum), etiam in prima ap. Cassit. fabula, quae ex elegantioribus est, omisisse nonnulla ad fabulae integritatem paene necessaria, et Romuli Rimiciique brevitatem magis compressisse, ita ut et sensui et probabilitati fictionis obesset atque ieiunitatem quandam inferret; deinde eum interdum quaedam, contra sententiam et elegantiam, cuius partem ex antiquo poëta prosaici scriptores servarunt, immutasse, et nunc secundariam enunciationem fecisse primariam (fab. 26. Cass.), nunc inepta adhibuisse epitheta (fab. 1.), nunc aliis modis peccasse; denique antiquiorem fabulae fundum penes prosaicos istos fuisse, quem instaurare Noster frustra tentaverit; cui interdum etiam melior scriptura, ope comparationis istorum scriptorum, restitui potest.

II. Alterum argumentum, quo illas fabulas non a Phaedro, sive omnino ab antiquo poëta scriptas esse,

probatur, reperitur in orationis genere, quo scriptae sunt, parum illo conveniente aetati, qua Phaedrus vixisse fertur; tertium in levi quodam verborum Terentianorum aucupio; quartum in ipsa ieiunitate et ineptitudine fabularum quarumdam, quae nec fabulae sunt, nec Phaedrinis quidem illis, antea editis, comparandae. Haec argumenta, et quintum, quod ex metricis rationibus peti potest, indicavit tantum, non persecutus est Eichstadius. Facile autem illa possunt, si quis otium velit et literas suas impendere, uberius demonstrari. Et codicem quidem Perottinum, quem Burmannus iam monuit longa aetate corruptum et mutilatum esse (in praef. mai. edit.), diuturniore situ nova contraxisse vitia, ita ut multa verba, quae Dorvillius olim absque difficultate legerat et descripserat, a Cassito legi non possent, collato eius exemplo cum Burmanniano iudicavit idem Vir doctissimus, qui ex praefatione Nic. Perotti, ad *T. M. V. Viterbiensem, concivem suum* scripta, a Cassito autem, quoniam lacunis et ulceribus misere foedata est, omissa, haec tamen verba, quae, quo tempore vel scripti vel dispositi in libellum sint versiculi, patefaciunt, excerpsit: „Sed providendum tibi est (ita ad amicum dicere pergit), ne, cuius immortalitati tantopere studeas, eius praesenti existimationi non mediocriter detrahas. Sunt enim, ut ad te alias de epistolis scripsi, inter versiculos nostros, quos olim adolescentes lusimus, qui, si in hac aetate et professione (erat Perottus tum Siponti episcopus) scripti a nobis viderentur, iure fortasse reprehensione digni putaremur, relati vero ad eam aetatem nihil [quo reprehendi possent, habent.]" Et in fine:... „aetate scripta sint. Verum nisi animus fallit, longe plura inerunt, quae laudari merito possint, quam quae sine livoris suspicione reprehendi etc. Fabulis in codice (s. apographo Dorvill.) adhaerent tria epigrammata haec:

Iocus ad Theodorum.

Sunt duo qui subigunt, duo sunt, Theodore, subacti;
Contulit hos unus perpetuusque torus.
Quatuor hoc (num *hos?*) dices; non; bis nisi summeris unum,
Qui mediusque iacet, fertque quod ipse facit.

De Saxo-Ferrato.

Vilem sentinam veteres dixere Latini,
Saxo-Ferratum secula nostra vocant.
Hinc quia progenies gentis fuit orta Perottae,
Saxea quae nimis est, ferrea quae nimis est.
(De hoc epigr. v. Burmann. praef. ad Phaedr.)

De Asparagis et Lacte.

Meiere Valla [63]) cupit nec quit, cupit Anna cacare:
Ille edat asparagos, lac bibat illa caprae.

Sequitur in codice praefatio Perotti, et post eam haec leguntur: *Nicolai Perotti, Pontificis Sipontini, Fabellarum ad Pyrrhum Perottum fratris filium index incipit feliciter.*

(„Hic index respondet inscriptionibus, nisi quod finitur in hoc: omnia in timido esse vana. Spatium relinquitur hic ad plura in indicem referenda." *Dorvill.*) Sequitur epistola ad Pyrrhum Perottum, quam Burm. edidit in praef. maioris edit. Postremo haec ex codice exsignavit Dorvillius, valde lacunosa:

I. *Ad Lectorem.*

Q . . . .
F . . . . noctis talis erat . . .

63) Notum est, ei intercessisse acres cum aliis Latinitatis restitutoribus controversias.

L . . . . dominus dominoque libellus
E . . . . . est exiguus dominus.
Ad . . . . ocus sunt et concordia nota
H . . ioni domino possit at ille hero.

'abellas ipsas, quae in Eichstadii libello ita descriptae ant, ut, quae suppleta ab editore sunt, etiam littera-am genere distinguerentur et cursivis litteris scribe-entur, quod in Tubing. edit. non factum est, non repeti ıssimus, sed, quae vel ab ea edit. discrepant, vel x apogr. Burmann. accesserunt, aliaque enotavimus.

Fab. I. (Tub. et Cass.) Ap. Eichst. inscribitur: le *vulpe et simio*. Epimythion: Avarum etc. nec raemittitur, nec adiicitur. — „Pseudophaedrus, ait ichst. p. IV., sive ex Romulo sua ista duxerit, quo-ım fere consentit auctor anonymus fabularum, quas ıtiquas Nilantius vocat, sive ex alio quodam scripto-:, in translatione non male rem gessit." Omisisse men imitatorem poëticum monet: postrema, quibus ılpis invidia notatur, ad fabulae integritatem paene ecessaria. — V. 5. E. *Quam partem quamvis par-ım impertiar tibi*. Burm. ex codice affert: *Quam bi impertiar parvum quamvis* — idemque emendat: *uam tibi impartiar parvum quamvis pilum*, pro-ınte Ienensi editore, quia etiam in Anonymo Nilan. occurrit vocab. *pili*, quamquam non suo loco ısitum.

Fab. II. Cass. (inscripta *Poeta*) omissa est ab edit. ıbing. et in calce sine numero posita, cum hac inscr. *ɔilogus* etc. In codice Perott. tantum haec est in-riptio: *De his, qui legent libellum*.

Fab. II. (Tub. III. C.) Ap. E. inscribitur: *De nditione humana*; sed in codice inscribi dicitur: *on esse plus aequo tribuendum*. V. 1. ap. E. legi-r: *Arbitrio si Natura fecisset meo* — Cod. ha-nt: *Arbitrio si natura, ... isset meo*. Burmann.

Iocus ad Theodorum.

Sunt duo qui subigunt, duo sunt, Theodore, subacti;
Contulit hos unus perpetuusque torus.
Quatuor hoc (num *hos?*) dices; non; bis nisi summseris unum,
Qui mediusque iacet, fertque quod ipse facit.

De Saxo-Ferrato.

Vilem sentinam veteres dixere Latini,
Saxo-Ferratum secula nostra vocant.
Hinc quia progenies gentis fuit orta Perottae,
Saxea quae nimis est, ferrea quae nimis est.
(De hoc epigr. v. Burmann. praef. ad Phaedr.)

De Asparagis et Lacte.

Meiere Valla [63]) cupit nec quit, cupit Anna cacare:
Ille edat asparagos, lac bibat illa caprae.

Sequitur in codice praefatio Perotti, et post eam haec leguntur: *Nicolai Perotti, Pontificis Sipontini, Fabellarum ad Pyrrhum Perottum fratris filium index incipit feliciter.*

(„Hic index respondet inscriptionibus, nisi quod finitur in hoc: omnia in timido esse vana. Spatium relinquitur hic ad plura in indicem referenda." *Dorvill.*) Sequitur epistola ad Pyrrhum Perottum, quam Burm. edidit in praef. maioris edit. Postremo haec ex codice exsignavit Dorvillius, valde lacunosa:

1 *Ad Lectorem.*

Q . . . .
F. . . . . noctis talis erat . . .

---

63) Notum est, ei intercessisse acres cum aliis latinitatis restitutoribus controversias.

L . . . . dominus dominoque libellus
E . . . . . est exiguus dominus.
Ad . . . . ocus sunt et concordia nota
H . . ioni domino possit at ille hero.

'abellas ipsas, quae in Eichstadii libello ita descriptae ant, ut, quae suppleta ab editore sunt, etiam littera-am genere distinguerentur et cursivis litteris scribe-entur, quod in Tubing. edit. non factum est, non repeti issimus, sed, quae vel ab ea edit. discrepant, vel x apogr. Burmann. accesserunt, aliaque enotavimus.

Fab. I. (Tub. et Cass.) Ap. Eichst. inscribitur: *le vulpe et simio.* Epimythion: Avarum etc. nec raemittitur, nec adiicitur. — „Pseudophaedrus, ait ichst. p. IV., sive ex Romulo sua ista duxerit, quo-im fere consentit auctor anonymus fabularum, quas itiquas Nilantius vocat, sive ex alio quodam scripto-:, in translatione non male rem gessit." Omisisse men imitatorem poëticum monet: postrema, quibus ilpis invidia notatur, ad fabulae integritatem paene ecessaria. — V. 5. E. *Quam partem quamvis par-im impertiar tibi.* Burm. ex codice affert: *Quam bi impertiar parvum quamvis* — idemque emendat: *uam tibi impartiar parvum quamvis pilum*, pro-inte Ienensi editore, quia etiam in Anonymo Nilan-; occurrit vocab. *pili*, quamquam non suo loco isitum.

Fab. II. Cass. (inscripta *Poeta*) omissa est ab edit. ibing. et in calce sine numero posita, cum hac inscr. *ilogus* etc. In codice Perott. tantum haec est in-riptio: *De his, qui legent libellum.*

Fab. II. (Tub. III. C.) Ap. E. inscribitur: *De nditione humana;* sed in codice inscribi dicitur: *on esse plus aequo tribuendum.* V. 1. ap. E. legi-r: *Arbitrio si Natura fecisset meo* — Cod. ha-nt: *Arbitrio si natura, ... isset meo.* Burmann.

coniecit: *struxisset* vel *fecisset*. Posterius etiam Cass. supplevit. Unde *finxisset* in ed. T. venerit, nescimus. — V. 3. E. cum C.: *Namque illa* nobis adtribuisset commoda. Codex: *commodo*. — V. 4. Codex: *Qu.... fortuna indulgens animali dedit*. Unde Handius suspicabatur: *Quidquid* f. i. a. d. — V. 5. E. cum C. Elephanti, sed E. monuit recte in cod. (apogr. Dorv.) legi: *Elephantis*. — V. 6. Codex: *Cor .. ci .. ae .. gloriam*. Hinc Dorv. coniecit: *Cornicis aevum* — quod Cass. edidit. V. 7. in codice distincte expressum invenit Dorv.: *Equi veloris*, ubi literas quasdam se supplevisse ait Cass. — Post hanc fabulam in codice legitur Avieni fab. VIII. de Camelo et Iove, sed, ut notavit Burm., prioribus distichis truncata. Sequuntur verba: *de eodem alia fabella*.

F. III. (T. IV. C.) Inscriptio ap. E. *De Mercurio et duabus feminis*. Epimythion praemissum non legitur. — V. 1. C. et E. Mercurium hospitio Mulieres *olim* duae. — In cod. nil nisi haec invenit Dorv.: Mercurium hospitio mulieres.... Burm. iam vidit, supplendum esse *duae*. *Olim* Cass. addidit ex ingenio. — V. 2. Inliberali — E. V. 3. *parem* (pro *parvum*) e cod. affert Burm. Videtur ex sequ. versu aberratione oculorum librarii huc venisse. V. 8. vocab. *rogans* non apparet in cod. neque genuinum Eichstadio videtur. V. 10. *tetigerit* in cod. invenit Dorvill. (Cassitus tantum dimidiam partem). V. 11. Codex: *Vocat Mercurius intro redeunt m*. Burmannus emendabat: *intro rediens*, vel *redeuns*. Acutius Handius: *Vovet* Mercurius: intro etc. *Vovere* dicebant recentiores pro *polliceri*. Certe Cassiti *volat* magnopere displicet. Eichst. — V. 13. habet E.: Ideo quum forte Meretrix ridet validius — unde fluxerit, quam Tab. exhibet scriptura, ignoro. Codex: *Ideo dum forte* M. r. v., probante E. — V. 14. Cod. *Nares replen-*

tum humore — quod et ipsum vulgato melius esse recte censet E. — 15. Post *volens* commate interpungendum est. — Burm. notat, in codice adhuc exstare: *Emungere gutt.. s.. volens prehendit.* Quod ita supplet: *Em. guttas sed volens.* Fortasse scribendum: *Em. guttas sibi volens prendit manu.* 17. E. *alium.* „Burmannus affert *aliam,* quod cur mutaverit Cassitus, nescimus." *E.* Restituit Tub.

IV. (T. V. E.) Non ap. E. legitur: Prometheus et Dolus, sed sequens inscriptio adest. V. 1. Codex: *novi figulus.* 2. *Cura* (pro *Creta*) E. neque quidquam de hac varietate adnotatum, neque vero *creta* recte potuit *subtilis* dici. 3. Ed. Cass. et E.: Ut iura possen*t* veritatem reddere. Codex (ut T.): ut iura posset inter homines reddere; mira discrepantia, ait *E.* — 4. *arcessitus* E. Recte sed alterum formam *accersitus,* quae est mediae aetatis, fortassis auctor dederat. V. 7. Codex: *Hoc studio;* male. *E.* — *pari,* quod in fine additum habet T., deest in E. et versum pessumdat. 12. Codex: *Redit magister quo festinante dolus.* Hoc quum metro adversaretur, Cass. edidit (ut et ap. E. est): *Rediit magister; qua festinans re Dolus,* parum commode, censente E. Melior est in Tub. transpositio pronom. *quo.* 13. Codex: *Metu perturbatus.* 20. Cod. *Hinc* falsa — probante E. 21. s. Ita edidit Cass.

Mendacium adpellatum est: quod ne *cogites*
Pedes habere, *futile* ipse *conspicis.*

Burm. e codice profert haec: *Mendacium adpellatum est, quod..... Pedes habere M... ipse......* Quae sagacioribus supplenda relinquit *Eichstadius.*

V. Ap. E. et C. VI. sunt duo tantum priores versus. His addidit Tub. quatuor, qui fab. XXIV. ap. C. et E. constituunt. In C. et E. duobus illis versibus inscriptum: *Poëta.* Sed ab E. notatur, in cod. inscribi: *Nihil diu occultum,* et miratur, quod Cas-

situs, lectore non monito, aut novas inscriptio fecit, aut veteres metro inclusit. Fab. XXIV. ed inscribitur: *De pastore et capella*; sed in cod. scriptum esse dicitur: *Nihil ita occultum esse, q non reveletur.* Verba duorum postremorum versu capellae continent responsionem.

VI. (VII. E.) *Auctor* non legitur nec in nec ap. Cass. Verba *sensum* — *verba* sunt e co Ed. Cass. et E. inscripsit: *De poenis Tartari.* E. *narratur* (pro *iactatur*). Burmannus ha *Ixion quod adversar.......* 2. E. *Fortunam* — scio quid sibi velit: *Fortunâ*, in T. Burm. habet: *lubilem fortunae..* d..... 3. Codex *agit*, R modo post *revolvitur* colon ponatur (in C. et E comma) monentibus Handio et Eichst. 5. Co Sudore semper *irrito* (ut T.). Reposuit Cass. (un habet) Phaedrinum vocabulum *improbo*, de quo gius Prolegg. ad Phaedr. p. X. cfr. 6. *esse* a Cass iectum. 7. E cod. haec exscripsit Dorv. *Quod s in amne Tantalus fingitur.* Voc. *medio* utru Dorv. omissum, an a Cass. adiectum sit, dubium *E.* 10. Codex: *scelestas.* 12. C. *perfluit.* 14. *Tristis.* 15. Cod. *Quo quisque*, recte. *E.* 18 *erraret* addidit Cass. cumque eo Eichst. Fabulam modum abrupta oratione scriptam esse nec nexam intelligitur.

VII. (T. VIII. E.) Voc. *Auctor* rursus abest V. 1. E. Utilius nobis quid sit, dic, Ph. o. — *Quaeso id.* Sacratae Vatis h. c. 5. E. *ipse* p. d. post voc. *dies* plene interpungitur. 7. E. *Discun* gentes etc. haud dubie ex Cassiti emendatione, praestat, quod habet T. *Docetque* — Omnino hic ex ingenio suppleta sunt. Nam Burm. ver 3. et seqq. ita exhibet:

Qui ...... vates .... comae
Tripodis mon ..... aditus orligio
Fremitque terra et ipsa pavescat dies.
.... Phyton numine
.... delis monitus Dei
Pietatem colite, vota superis reddite
... parentes, natos, castos coniuges
D.... armis hostem ferroque pellite.

13. *Castigate* impios, Cod. Burm. sed ed. Cass. et E. *cohibete* imp. Ceterum hanc non esse fabulam, et extrema, *Furens profecto* etc. recens prodere ingenium, facile sentiet quisque.

Cap. 180: Ἀμφικτυόνων δὲ μισθωσάντων — τοὺς Δελφοὺς δὲ ἐπέβαλε τεταρτημόριον — παρασχεῖν. Illud: δὲ, ante: ἐπέβαλε, alieno loco positum esse videtur. Forte Herodotus scripserat: τοὺς Δέλφους δὴ ἐπέβαλε — Ita particulam: δή, et: δέ, capite sequenti permutant librarii in verbis: εἶπε δὴ ὁ Ἄμασις.

Lib. III. Cap. 9: Ἀσκοὺς καμήλων πλήσας ὕδατος ἐπέσαξε ἐπὶ τὰς ζωὰς τῶν καμήλων πάσας· τοῦτο δὲ ποιήσας ἤλασε ἐς τὴν ἄνυδρον. Nullus interpretum explicuit, quid sibi velit: ἐπέσαξε ἐπὶ τὰς ζωάς. In loco igitur tam obscuro hanc verborum emendationem ad interpretationem illius loci magis idoneam excogitaui: ἐπέσαξε ἐπὶ τὰ ζῶα. τῶν καμήλων πᾶσι τοῦτο δὴ ποιήσας ἤλασε —

Cap. 13: Αἰγύπτιοι μὲν μετὰ τοῦτο πολιορκεύμενοι χρόνῳ παρέστησαν· οἱ δὲ προσέχεες. Haud dubie legebatur antea: χρόνῳ παρεστήσαντο· οἱ δὲ πρόσεχεες. Ultima syllaba, quae periit, subrepta est a sequenti: οἱ δὲ — Hanc verbi significationem defendit locus Herod. III, 155: λελαμβημένου σεῦ θᾶσσον οἱ πολέμιοι παραστήσονται.

Cap. 26: Τὸ ἐντεῦθεν δέ, ὅτι μὴ αὐτοὶ Ἀμμώνιοι καὶ οἱ τούτων ἀκούσαντες ἄλλοι οὐδένες οὐδὲν ἔχουσι εἰπεῖν περὶ αὐτέων· οὔτε γὰρ ἐς τοὺς Ἀμμωνίους ἀπίκοντο, οὔτε ὀπίσω ἐνόστησαν. Nescio, qua significatione hoc loco illud: ὅτι μὴ adhibeatur. Quare a Graecae dictionis proprietate non aliena esse videtur haec emendatio a me excogitata: τὸ ἐντεῦθεν δὲ οὐδὲ μὴν αὐτοὶ Ἀμμώνιοι — Nam si quis illud: ὅτι μή, vertere velit: *praeter Ammonios*, ipsa oratio contexta non talem admittit interpretationem, quia ille exercitus neque in regionem Ammoniorum penetrare neque in locum, unde venerat, redire potuit. Quam autem in sequentibus Ammoniorum narrationem adfert, ea tantum de incerto rumore a nonnullis sparso est intelligenda et historiae a certo auctore profectae, quam verbis: ἔχουσι εἰπεῖν indicat, opponitur. Quod narrationis discrimen etiam ipse transitus orationis in verbis: λέγεται δὲ καὶ τάδε — requirit. Nam particula: καὶ locum habere non posset, si vera esset lectio recepta: ὅτι μή. Quare etiam Schaeferus doctissimus cum Wesselingio aliisque sine iusta codicum auctoritate copulam: καί, omisit.

Cap. 31: Ἐς οὗ ἀποθάνωσι ἢ σφι παρευρεθῇ τι ἄδικον, μέχρι τούτων. οὗτοι δὲ τοῖσι δίκας δικάζουσι. Magna lectionum varietas in hoc loco deprehenditur. Nam alii pro: ἢ σφι, legunt: ἢν σφι μή. Porro pro: τούτων, legitur: τούτου, in nonnullis codicibus, quod etiam Wesselingius et Schaeferus praetulerunt. Denique post: τοῖσι, vocabulum: Πέρσῃσι cum Reizio Schaeferus ex quibusdam libris inseruit. Sed adhuc interpunctione perturbata impeditur huius loci interpretatio. Nam verba: μέχρι τούτου, magis ad sequentia verba, quam ad antecedentia referri debent. Tunc opus erit, ut pro: δὲ, legatur: δή; quae duae particulae centies a librariis permutantur. Totius igitur loci lectionem et interpunctionem ita restituendam censeo: ἐς οὗ ἀποθάνωσι ἢ σφι παρευρεθῇ τι ἄδικον. Μέχρι τούτου οὗτοι δὴ τοῖσι Πέρσῃσι δίκας δικάζουσι. —

Cap. 35: Εἰ — βαλὼν τύχοιμι μέσης τῆς καρδίης, Πέρσαι φανέονται λέγοντες οὐδέν· ἢν δὲ ἁμάρτω, φάναι τε Πέρσας λέγειν ἀληθέα καί με μὴ σωφρονέειν. Lectio: φάναι τε Πέρσας λέγειν, mea quidem sententia ferri non potest, neque sensum idoneum admittit. Herodotus forte scripserat: φαίνεται Πέρσας λέγειν — *Persas vera dicere adparet.*

Cap. 42: Τὸν δὲ ὡς ἐσῆλθε θεῖον εἶναι τὸ πρῆγμα, γράφει ἐς βιβλίον πάντα, τὰ ποιήσαντά μιν οἷα καταλελάβηκε. In his verbis vocula: τὰ, post: πάντα, superflua esse, apto verborum sensui officere et librariorum incuria ex ultima syllaba vocabuli: πάντα, male repetita originem traxisse videtur.

Cap. 50: Τέλος δέ μιν περὶ θυμῷ ἐχόμενος ὁ Περίανδρος ἐξελαύνει ἐκ τῶν οἰκίων. Merito haerent interpretes in verbis: περὶ θυμῷ ἐχόμενος. Forte antea scriptum legebatur: μιν περὶ θυμῷ ἐχθόμενον ὁ Περίανδρος — Comparari potest Homericum: περὶ κῆρι ἐχολώθη, περὶ κῆρι φιλήσε, περὶ κῆρι τιμήσουσι etc.

Cap. 52: Εἰ γάρ τις συμφορὴ ἐν αὐτοῖσι ἐγεγόνεε, ἐξ ἧς ὑποψίην ἐς ἐμὲ ἔχεις, ἐμοί τε αὕτη γέγονε, καὶ ἐγὼ αὐτῆς τὸ πλεῦν μέτοχός εἰμι. — Offenduntur interpretes in lectione: ἐν αὐτοῖσι, quae non bene cum oratione contexta potest coniungi. Quare variam huius loci emendationem proposuerunt. Facillime quidem huic loco mederi videmur, si legimus: ἐν αὐτῇ σοι ἐγεγόνεε, ἐξ ἧς — Tunc optime illud: αὐτῇ, ad matrem irati iuvenis a Periandro eius patre interfectam referri poterit. Apte etiam cum illo: αὐτῇ, in sequentibus cohaeret: ἐξ ἧς. Neque negat etiam Periander in oratione continuata, hanc calamitatem, quae matris interfectione acciderit, ad filium simul pertinuisse, sed maiore tantum ex parte (τὸ πλεῦν) semet ipsum adfecisse adfirmat.

Cap. 56: Λακεδαιμόνιοι δέ, ὥς σφι τεσσεράκοντα ἐγεγόνεσαν ἡμέραι πολιορκέουσι Σάμον, ἐς τὸ πρόσω τε οὐδὲν προεκόπτετο τῶν πρηγμάτων. Particula: τε, sola in his verbis posita nihil habet, ad quod referatur. Haud dubie Herodotus scripserat: ὡς σφί τε τεσσεράκοντα. —

Cap. 69: Καὶ ἢν μὲν φαίνηται ἔχων ὦτα, νόμιζε σεωυτὴν Σμέρδι τῷ Κύρου συνοικέειν· ἢν δὲ μὴ ἔχων, σὺ δὲ τῷ μάγῳ Σμέρδι. Longe verisimilius est, Herodotum scripsisse: σὺ δὴ τῷ μάγῳ Σμέρδι (sc. συνοικέεις).

Cap. 71: Ἢ ποιέωμεν σήμερον, ἢ ἴστε ὑμῖν, ὅτι ἢν ὑπερπέσῃ ἡ νῦν ἡμέρη, ὡς οὐκ ἄλλος φθὰς ἐμεῦ κατήγορος ἔσται. Forte Herodotus scripserat: ὑμῖν ὅταν ὑπερπέσῃ ἡ νῦν ἡμέρη — Nam: ὅτι, h. l. male abundat.

Cap. 81: Ὃς οὔτ' ἐδιδάχθη, οὔτε οἶδε καλὸν οὐδὲν, οὐδ' οἰκήϊον. Particula: οὐδ', ante: οἰκήϊον, aperte turbat sensum huius loci et facile potuit male repeti ex prima antecedentis vocis: οὐδὲν, syllaba. Legendum igitur puto: καλὸν οὐδὲν οἰκήϊον, omissa particula: οὐδ'. Tunc apta erit oppositio: οὔτ' ἐδιδάχθη,

οὔτε εἶδε οἰκήϊον, *neque edoctus est ab aliis, neque sponte quidquam et suo Marte novit.*

Cap. 82: Τριῶν γὰρ προκειμένων καὶ πάντων τῶν λέγω ἀρίστων ἐόντων, δήμου τε ἀρίστου, καὶ ὀλιγαρχίης, καὶ μουνάρχου, πολλῷ τοῦτο προέχειν λέγω. Alterum: λέγω, ante: ἀρίστων, non videtur ab Herodoto profectum esse. Nam sibi repugnaret Darius in his verbis, qui non haec tria regnandi genera habet optima, sed tantum unius imperium aliis praefert. Etiam in sequentibus illud: τοῦτο; ante: προέχειν, non quadrat, quum antecesserit: μουνάρχου. Quamquam doctissimus Schaeferus codicis unius auctoritate lectionem: μουναρχίης praetulit, tamen adhuc durior est dictio, si ad: μουναρχίης, vocabulum: τοῦτο refertur. Puto igitur legendum esse: πάντων, τῶν ἔλεγον ἀρίστων, *omnium, quae optima habere solent.* In sequentibus autem haud dubie olim scriptum erat: μουνάρχου. πολλῷ τοῦτον προέχειν λέγω. Nam ea etiam, quae sequuntur, tantum masculino genere mentionem eius, qui solus imperat, iniiciunt. — In verbis eiusdem capitis: βουλόμενος κορυφαῖος εἶναι, γνώμῃσί τε νικᾷν — particula: τε, adiecta legendum videtur: κορυφαῖος τ' εἶναι γνώμῃσί τε νικᾷν.

Cap. 95: Τὸ μὲν δὴ ἀργύριον — εἶναι τεσσαράκοντα καὶ πεντακόσια. In his verbis offendit lectio: εἶναι. Nam nullum verbum finitum habet hic infinitivus, unde pendeat. Schaeferus doctissimus emendavit: ἐστί. Cum nesciam, utrum ex cod. quodam an ex ingenio hanc lectionem hauserit, mihi quidem, si coniecturis est indulgendum, minus a lectione recepta recedere videbatur haec emendatio: εἴη ἂν τεσσεράκοντα — Nam in fine capitis dixit Herodotus, se tantum numero rotundo non cavo in computando uti (τὸ δ' ἔστι τούτων ἔλασσον ἀπιεὶς οὐ λέγω). Quare illud: εἴη ἄν, apte

indicabit incerti quiddam in summa omnium tributorum definienda.

Cap. 97: Καὶ οἱ προσεχέες μέχρι τοῦ Καυκάσιος οὔρεος. Sub illo: Καυκάσιος, haud dubie latet lectio magis vera: Καυκασίου οὔρεος. Forte eodem respexit lectio nonnullorum codd.: Καυκασοιο. Etiam in sequentibus legendum censeo: Καυκασίου, sine additamento illo: οὔρεος. Eodem modo quoque in antecedentibus vocabulum: Καλαντίαι, ex cap. 38, corrigendum est: Καυλατίαι, sicut iam Wesselingius censuit.

Cap. 112: Τῶν γὰρ αἰγῶν τῶν τράγων ἐν τοῖς πώγωσι εὑρίσκεται ἐγγινόμενον. Malunt interpretes legere: αἰγῶν καὶ τῶν τράγων. Forte minus laeditur lectio recepta, si emendamus: τῶν γὰρ αἰγῶν ἢ τῶν τράγων. —

Cap. 123: Ἀποπέμπει πρῶτα κατοψόμενον Μαιάνδριον, Μαιανδρίου, ἄνδρα τῶν ἀστῶν — Deberet legi: Μαιάνδριον, τὸν Μαιανδρίου. Cum igitur desit illud: τόν, in codd., etiam tollendum censeo vocabulum: Μαιανδρίου, quod ex inepta antecedentis nominis: Μαιάνδριον, repetitione est ortum. Quae vero hic locus ignorat, adcuratius indicantur cap. 142: Τῆς δὲ Σάμου Μαιάνδριος ὁ Μαιανδρίου εἶχε τὸ κράτος.

Cap. 129: Τὸν δὲ ὡς ἐξεῦρον ἐν τοῖσι Ὀροίτεω ἀνδραπόδοισι ὅκου δὴ ἀπημελημένον, παρῆγον ἐς μέσον. Forte Herodotus scripserat: ἀνδραπόδοισι οἷα δὴ ἀπημελημένον —

Cap. 130: Ὑποτύπτουσα δὲ αὐτέων ἑκάστη, φιάλῃ τοῦ χρύσου σὺν θήκῃ ἐδωρέετο τὸν Δημοκήδεα οὕτω δή τι δαψιλέῃ δωρεῇ — Doctissimi interpretes necessariam esse iudicarunt huius loci emendationem. Sed mihi quidem periculosa huic loco medicina excogitari videtur, quam diu lectionem: ὑποτύπτουσα, retinemus. Cum vero nonnulli bonae notae codices etiam huius vocabuli loco exhibeant lectionem: ὑποκύπτουσα,

nae sensum maxime idoneum admittit, nulla ampli- emendatione opus erit, nisi quod in verbis: οὕτω τι δαψιλέη, voculam: τι, omittendam censeo, quae n quadrat, quia non eodem casu cum sequentibus t posita; quare ex inepta particulae: δή, repetitione ta esse videtur. Ceterum vocabulo: ὑποκύπτουσα, tissime indicatur reverentiae signum, qua regiae ores eum excipiebant, qui vitam regi servasse dicetur. Praeterea donum, quo eum ornarunt, phiala reis numis plena constabat, qualem singulae ei derunt. Neque vero opus est, ut a singulis etiam κην seu arcam, in qua numi reconderentur, dono tam esse credamus, sicut haec verba intelligi vult erferus doctissimus, ideoque sine necessitate pro : ἐδωρέετο, legi iubet: ἐδωρέατο. Imo una tantum a Democedi simul tradita esse videtur, in quam mi ex singularum feminarum phialis effunderentur. rba autem: δαψιλέη δωρεῇ cum antecedentibus per positionem sunt coniungenda.

Cap. 135: Ὅκως τε μὴ διαδρήσηται σφέας ὁ Δημοκή-. Illud: τε, nihil habet, ad quod referatur. tius igitur et vi maiore legitur: ὅκως δὲ μὴ —

Cap. 143: Οὐ δή τι ἐν νόῳ εἶχε μετιέναι αὐτὴν (sc. ζήν). Haud dubie admittenda est lectio codicis meris: οὐδ' ἔτι ἐν νόῳ εἶχν. Nam in antecedenti cae aperte indicatur, Maeandrium antea honestum perii deponendi cepisse consilium.

Cap. 146: Εἰδώς τε ἑωϋτῷ ἀσφαλέα ἔκδυσιν ἐοῦσαν τῆς νήσου τότε — Illud: τε, nihil habet, quo apte eratur. Mutandum censeo in hanc lectionem: εἰδὼς ἑωϋτῷ — Etiam cap. 147. in verbis: ἐντολάς τε, Δαρεῖος οἱ ἀποστέλλων ἐνετέλλετο — illud: τε, non Herodoto profectum esse videtur. Melius quadrat c lectio: ἐντολάς γε τὰς — et cap. 156. in verbis: ν τε (ἔφη λέγων), ἐγὼ ὑμῖν, ὦ Βαβυλώνιοι, ἥκω μέ-

γιςον ἀγαθὸν — haud dubie legendum est: Νῦν γε, ἔφη — Quod magis modestiae, quam Zopyrus prae se ferebat, est consentaneum.

Lib. IV. Cap. 11: Ὡς ἀπαλλάσσεσθαι πρῆγμα εἴη, μηδὲ πρὸς πολλοὺς δεόμενον κινδυνεύειν. Locus valde vexatus doctissimorum interpretum ingenia exercuit. Alii codices legunt: πολλούς, alii non minoris auctoritatis: πολλοῦ. Utramque lectionem retinendam esse censeo, ut huic loco sua integritas restituatur. Sensus etiam aptissimus existet, si legimus: μηδὲ πρὸς πολλοὺς π ο λ λ ο ῦ δεόμενον κινδυνεύειν, *neque a populo periculum contra tot milites esse subeundum, cum ipse opibus tam multis indigeat.* Werferus in suis obss. ad h. l. maxima ex parte Valkenarii emendationem sequitur, ut legamus: μηδὲ πρὸς πολλούς δέον μένοντας κινδυνεύειν. Sed lectio codd. vocabulum: δεόμενον retinere iubet.

Cap. 15: Μεταποντῖνοι φασὶ αὐτὸν Ἀριςέην — κελεῦσαι — ἱςάναι, φάναι γάρ σφι τὸν Ἀπόλλωνα — ἀπικέσθαι, καὶ αὐτὸς οἱ ἕπεσθαι ὁ νῦν ἐὼν Ἀριςέης· τότε δὲ ὅτε εἵπετο τῷ θεῷ εἶναι κόραξ· καὶ τὸν, εἰπόντα ταῦτα ἀφανισθῆναι. Ista duplex verborum constructio, cum modo nominativus, modo accusativus infinitivo adhaereat, sine apta verborum emendatione non ferenda esse videtur. Suadeo igitur, ut pro illo: φάναι γὰρ, aptior lectio: ἔφη γὰρ — recipiatur et verba illa: ἔφη γάρ σφι — εἶναι κόραξ, in parenthesi posita exhibeantur. Tunc apte cohaerent reliqua: Μεταποντῖνοι φασὶ αὐτὸν Ἀριςέην — ἀφανισθῆναι. Loci corruptionem iam indicat auribus ingratus verborum concursus in illis: ἱςάναι, φάναι.

Cap. 28: Βρονταί τε ἦμος τῇ ἄλλῃ γίνονται, τηνικαῦτα μὲν οὐ γίνονται, θέρεος δὲ ἀμφιλαφέες· ἢν δὲ χειμῶνος βροντὴ γένηται. Hic locus non bene cohaeret. Parti-

cula: νῦ, post: βρονταὶ, nihil habet, ad quod referatur, et sensus verborum ineptus existit, si legimus, tonitrua ibi raro oriri, quando aliis locis audiantur, sed aestate ibi crebro tonare. Censeo igitur cum codice melioris notae legendum esse: βρονταὶ δὲ ἦμος — sed illud: δὲ, post: θέρεος, esse plane eiiciendum. Tunc apte omnia cohaerent: *Tonitrua, quando aliis locis audiuntur, ibi non crebro oriri aestate solent. Sed quando hiemis tempore tonat.* —

Cap. 38: Ἐνθεῦτεν δὲ τὸ πρὸς ἑσπέρης ἄκται διφάσιαι ἀπ' αὐτῆς κατατείνουσι ἐς θάλασσαν. Ingeniosa est coniectura Reizii, ut pro: ἀπ' αὐτῆς, legatur: ἀπ' ἀντίης. Forte etiam scripserat Herodotus: ἐπ' αὐτοῖς (sc. ἔθνεσι) κατατείνουσι.

Cap. 63: Τοὶ δὲ οὗτοι οὐδὲν νομίζουσι, οὐδὲ τρέφειν — θέλουσι. Haud dubie legendum est: οὗτοι οὐδὲ νομίζουσι. Nam superflua litera: ν, est ex initio sequentis vocabuli: νομίζουσι, orta.

Cap. 67: Θέντες χαμαὶ διεξελίσσουσι αὐτούς· καὶ ἐπὶ μίαν ἑκάστην ῥάβδον τιθέντες θεσπίζουσι. Illud: ἐπὶ, non habet, quo referatur. Vera lectio esse videtur: καὶ ἔτι μίαν ἑκάστην —

Cap. 71: Ἀναλαμβάνουσι τὸν νεκρὸν, κατακεκηρωμένον μὲν τὸ σῶμα, τὴν δὲ νηδὺν ἀνασχισθεῖσαν, καὶ καθαρθεῖσαν, πλέην κυπέρου — συνεῤῥαμμένην ὀπίσω, καὶ κομίζουσι — Non intelligo, quo referatur illud: τὴν δὲ νηδὺν — συνεῤῥαμμένην. Nam vocabulum: τὸ σῶμα, pendet ex illo: νεκρὸν κατακεκηρωμένον, *mortuum corpore inceratum.* Est igitur verisimile, verba: τὴν δὲ νηδὺν etc. simile ratione cum antecedentibus cohaerere. Praeterea, si lectionem receptam retinemus, particula: καὶ, ante: κομίζουσι, cum antecedentibus non apte coniungitur. Utraque huius loci difficultas optime tollitur, si emendamus: συνεῤῥαμμένου ὀπίσω — et illud: συνεῤῥαμμένον, cum antecedenti: νεκρὸν, con-

iungimus: *mortuum in ventre discisso — denuo consutum.* Tunc etiam copula: καὶ, apte posita est ante: κομίζουσι. Nam omnia huius loci verba ita copulantur: ἀναλαμβάνουσι τὸν νεκρὸν, κατακεκηρωμένον μὲν τὸ σῶμα, τὴν δὲ νηδὺν συνεῤῥαμμένον ὀπίσω, καὶ κομίζουσι —

Cap. 76: Εἰ ὦν ταύτης ἦν τῆς οἰκίης Ἀνάχαρσις, ἴςω ὑπὸ τοῦ ἀδελφεοῦ ἀποθανών. Inepta est haec lectio: ἴςω — ἀποθανών, quae forte ex ultima syllaba vocabuli: Ἀνάχαρσις, male duplicata est orta. Verisimilius est, Herodotum scripsisse: Ἀνάχαρσις ἦν ὑπὸ τοῦ ἀδελφεοῦ ἀποθανών.

Cap. 77: Ὡς — Ἀνάχαρσις ἀποπεμφθεὶς τῆς Ἑλλάδος μαθητὴς γένοιτο· ὀπίσω τε ἀπονοςήσας φαίη. Particula: τε, non sola locum habere potest. Quare in antecedentibus forte altera particula: τε, ante: Ἑλλάδος excidit, ut legatur: τῆς τε Ἑλλάδος μαθητὴς — Alia ratione in sequenti capite: 78, pro illo: ἐποίεέ τε τοιοῦτο, legendum videtur: ἐποίεε δὲ τοιοῦτο. Nam illud: τε, non sensum illi loco aptum fundit.

Cap. 85: Καταδικοῖ ἐς τὸν Ἑλλήσποντον, ἐόντα ςεινότητι μὲν ἑπτὰ ςαδίους, μῆκος δὲ τετρακοσίους. Herodoti dictioni est magis consentaneum, ut legatur: ἐόντα ςεινότητα μὲν ἑπτὰ — Eodem quoque respicit lectionis varietas. Nam alius codex legit: ςεινότατον, alius: ςεινότατα.

Cap. 87: Στήλας ἔςησε δύο — ἐντάμων γράμματα, ἐς μὲν τὴν Ἀσσύρια· ἐς δὲ τὴν Ἑλληνικὰ, ἔθνεα πάντα, ὅσαπερ ἦγε — Copula: καὶ, forte excidit ante: ἔθνεα, ut legatur: Ἑλληνικὰ καὶ ἔθνεα πάντα. Ita Herodotus ἓν διὰ δυοῖν expressit. Facile apparet, quomodo copula: καὶ, ab ultima syllaba vocabuli: Ἑλληνικὰ absorberi potuerit.

Cap. 113: Τῇ δὲ χειρὶ ἔφραζε — ἕτερον ἄγειν· σημαίνουσα δύο γενέσθαι καὶ αὐτῇ ἑτέρην ἄξειν. Illud: σημαίνουσα, non apte cum antecedentibus coniungitur.

Herodotus forte scripserat: ἔφραζε — ἕτερον ἄγειν σημαινούσῃ δύο γενέσθαι καὶ αὐτῇ ἑτέρην ἄξειν. *Indicavit, se alium adducturum, feminae, duas adfore significanti, et secum se alteram esse adducturam.*

Cap. 119: Ἦν μέντοι ἐπίῃ καὶ ἐπὶ τὴν ἡμετέρην ἄρξῃ τε ἀδικέων, καὶ ἡμεῖς οὐ πεισόμεθα. Particula: τε, hoc loco neque cum sequentibus neque cum antecedentibus apte potest coniungi. Praeterea etiam varia lectio codicum: ἄρξηται indicat, hunc locum in mendo cubare. Optime huius loci sensus adiuvabitur, si commate post: ἡμετέρην, sublato legimus: ἄρξῃ τις ἀδικέων —

Cap. 136: Πολλοῦ ἐόντος πεζοῦ στρατοῦ καὶ τὰς ὁδοὺς οὐκ ἐπισταμένου, ὥστε οὐ τετμημένων τῶν ὁδῶν. Forte Herodotus scripserat: ἐπισταμένου ὅσαι κου τετμημένων τῶν ὁδῶν. Illud: τετμημέναι ὁδοὶ, nihil aliud indicat, quam, τὰ σύντομα τῆς ὁδοῦ, sicut in sequentibus adpellantur illa viarum compendia.

Cap. 147: Καταλείπει γὰρ — καὶ δὴ καὶ τῶν ἑωϋτοῦ συγγενέων Μεμβλίαρον. Quia in eodem capite scriptum legitur: Μεμβλιάρεω, non ferenda est lectio: Μεμβλίαρον, sed potius legendum est: Μεμβλιάρην, seu: Μεμβλιάρεα.

Cap. 172: Ὀμνύουσι μὲν τοὺς παρὰ σφίσι ἄνδρας δικαιοτάτους καὶ ἀρίστους λεγομένους γενέσθαι τούτους, τῶν τύμβων ἁπτόμενοι. Illud: τούτους, apto sensu caret. Melius forte legitur: — γενέσθαι τούτοις, τῶν τύμβων — Tunc illud: ἀρίστους — τούτοις, eodem modo coniungitur, quo in antecedentibus: δικαιοτάτους — παρὰ σφίσι.

Cap. 181: Μεσαμβρίη τέ ἐστι καὶ τὸ κάρτα γίνεται ψυχρόν. Haud dubie legendum est cum iota subscripto: μεσαμβρίῃ τέ ἐστι — Unus codicum non male legit: μεσαμβρίης. Utroque modo occurrit idem vocabulum lib. III. cap. 104. — Ita etiam in antecedenti-

bus Herodoti verbis: καὶ γὰρ τὸ ἐν Θήβῃσι (ὡς καὶ πρότερον εἴρηταί μοι) κριοπρόσωπον τοῦ Διὸς τὤγαλμά ἐστι — forte adcuratius legitur: καὶ γὰρ τῷ ἐν Θήβῃσι (sc. ναῷ) —

Cap. 183: Συντομώτατον δ' ἐστὶ ἐς τοὺς Λωτοφάγους· ἐκ τῶν τριήκοντα ἡμερέων ἐς αὐτοὺς ὁδός ἐστι· ἐν τοῖσι καὶ οἱ ὀπισθονόμοι βόες γίνονται. Schaeferus doctissimus illud: ἐς αὐτοὺς, referre videtur ad: Λωτοφάγους, quia illud: ὁδός ἐστι, a sequentibus maxima interpunctione separavit. Sed mihi non satis aptum esse videtur, ut primo Herodotus adfirmet, a Garamantibus inde ad Lotophagos via transiri brevissima, et tamen simul adiiciat, triginta dierum itinere opus esse, ut ad Lotophagos Garamantes proficiscantur. Puto igitur verba: ἐν τοῖσι, cum antecedentibus esse coniungenda et illud: ἐκ τῶν — referri debere ad Lotophagos: *Ex quorum Lotophagorum regione triginta dierum iter ad eos usque populos est emetiendum, in quorum terra etiam boves nascuntur, qui retrocedendo pasci debent.* Adparet quidem, fabulosa adiicere Herodotum in his verbis de bubus nusquam inveniendis. Quare etiam gentium remotissimarum nomen tanquam ignotum omittit, in quibus illi boves reperiantur. Si de ipsis Garamantibus, inter quos tales boves nascantur, illud: ἐν τοῖσι, deberet intellegi, haud dubie Herodotus in sequentibus, quum illam de Garamantibus narrationem, admixta de bubus retrogradis fabula, aliquantum interrupisset, non opus habebat, ut, fabula finita, iterum ad Garamantes orationem his verbis reflecteret: οἱ Γαραμάντες δὲ οὗτοι τοὺς Τρωγλοδύτας —

Cap. 194: Ἐν τοῖσι μέλι μὲν πολλὸν μέλισσαι κατεργάζονται, πολλῷ δ' ἔτι πλέον λέγεται δημιουργοὺς ἄνδρας ποιέειν. μιλτοῦνται δ' ὦν πάντες οὗτοι καὶ πιθηκοφαγέουσι. Non satis liquet, quomodo illud: μιλτοῦνται, cum antecedentibus cohaereat; qualis tamen coniunctio par-

ticula: ὧν, indicari videtur. Maiorem igitur huic loco lucem adfundi putem emendatione: μελιττοῦνται δ' ὧν πάντες οὗτοι, *omnes illi igitur* (sc. qui mellis conficiendi artem exercent) *melle condiunt cibos*. De cibis autem melle miscendis haec esse intelligenda, etiam inde adparet, quia statim, simiis eos etiam vesci, adiecit.

Cap. 198: Ἐπ' ἑκατοςὰ γὰρ ἐπεὰν αὐτὴ ἑωϋτῆς ἄριςα ἀνείκῃ, ἐκφέρει, ἡ δὲ ἐν τῇ Κίνυπι ἐπὶ τριηκόσια. Posset quidam coniicere, Herodotum forte scripsisse: ἐν τῇ Κίνυπι ἐπὶ τριηκοσιοςά, quia antecesserat: ἑκατοςά. Ita in Graecis scriptoribus etiam occurrunt: διακοσιοςὸς, τετρακοσιοςός.

Cap. 199: Συγκεκόμιςαί τε οὗτος ὁ μέσος καρπὸς, καὶ ὁ ἐν τῇ κατυπερτάτῃ τῆς γῆς πεπαίνεται. Constat quidem, particulam: εἰ, a Graecis interdum reticeri. Minus tamen tunc h. l. quadrat particula: τε, quae in sequentibus satis frequentatur. Praeterea, si retinemus: τε, non satis cohaerent haec verba cum antecedentibus. Quare legendum censeo: συγκεκόμιςαι δὲ οὗτος —

Cap. 202: Τῶν δέ σφι γυναικῶν τοὺς μαζοὺς ἀποταμοῦσα περιέςιξε καὶ τούτοισι τὸ τεῖχος. Illud: περιέςιξε, nimis articifiosa interpretatione indiget, ut sensum fundat idoneum. Forte Herodotus scripserat: περιέςοιχισε καὶ τούτοισι τὸ τεῖχος, *etiam his feminarum mammis* (passim suspendendis) *urbem cinxit*. Etiam lectio nonnullorum codicum: τοὺς μαςοὺς, quo vocabulo inprimis mamma muliebris indicatur, non est negligenda, quamvis vocabula: μαςὸς, et: μαζὸς, interdum promiscue poni non ignorem. Ita μαςὸς occurrit lib. V. c. 18, de feminis.

Lib. V. Cap. 16: Ὥςε ὅταν τὴν θύρην τὴν καταπακτὴν ἀνακλίνῃ κατιεῖ σχοίνῳ σπυρίδα κεινὴν ἐς τὴν λίμνην· καὶ οὐ πολλόν τινα χρόνον ἐπισχὼν, ἀνασπᾷ πλήρεα ἰχθύων.

Vera huius loci lectio mihi esse videtur: ἀνακλίνῃ κατισὶ ς σχοίνῳ — Nam ita illud: τίς, quod desideratur, facile abesse poterit, neque copula: καὶ, ante: κατισῖ, amplius requiritur. Optime etiam illud: κατισὶς, respondet sequenti participio: ἐπισχὼν — Literam: σ, a librariis male omissam prima sequentis vocabuli litera absorbuerat.

Cap. 34: Παρεσκευάσαντο δὲ, ὡς πολιορκησόμενοι, καὶ σῖτα καὶ ποτὰ καὶ τεῖχος ἐςάξαντο. Etiam Schaeferus doctissimus cum Wesselingio suspecta habet duo verba: καὶ τεῖχος, ideoque uncinis includenda curavit. Reiskius emendavit: ἐς τεῖχος, et Valkenarius omisso: καὶ, legi iussit: — καὶ ποτὰ τὸ τεῖχος ἐςάξατο. Mihi quidem nulla huius loci emendatione opus esse videtur. Nam: τεῖχος, in hoc Herodoti loco, sicut in aliis multis Graecorum scriptorum locis, non murum, sed ipsam urbem munitam indicat. Iam vocabula: σῖτα καὶ ποτὰ, cum verbo: παρεσκευάσαντο, sunt coniungenda et illa: καὶ τεῖχος ἐσάξαντο, de urbe his omnibus ad vivendum et defendendum necessariis implenda interpretor. Nam: σάττειν, iam Wesselingius in notis ad librum III, c. 7, inter vocabula ab Herodoto usurpata retulit.

Cap. 42: Εὖ τε ἐπίςατο κατ' ἀνδραγαθίην αὐτὸς σχήςων τὴν βασιληΐην. Illud: τε, post: εὖ, nihil habet, quo referatur. Aptior et magis conveniens orationi contextae erit lectio: ὅς εὖ γε ἐπίςατο — *qui certe quidem credebat* — Vocula: ὅς, excidit propter ultimam syllabam antecedentis vocabuli: πρῶτος.

Cap. 49: Ἀπὸ χρυσοῦ ἀρξαμένοισι ἄργυρος καὶ χαλκὸς καὶ ἐσθὴς ποικίλη καὶ ὑποζύγιά τε καὶ ἀνδράποδα. Verisimile est, copulam: καὶ, ante vocabulum: ἄργυρος, librariorum incuria excidisse. Nam si etiam aurum prae aliis Persae possederunt et cum illo simul argen-

tum et alia, haud dubie ad haec verba inter se connectenda necessario copula: καὶ, requiritur.

Cap. 65: Παρέστησαν δὲ ἐπὶ μισθῷ τοῖσι τέκνοισι, ἐπ᾽ οἷσι ἐβούλοντο οἱ Ἀθηναῖοι, ὥστε ἐν πέντε ἡμέρῃσι ἐκχωρῆσαι ἐκ τῆς Ἀττικῆς. Parum inter se cohaerent haec verba. Itaque duobus verbis in unum vocabulum, quo Herodotus haud dubie usus est, redactis legendum censeo: παρέστησαν δὲ ἐπὶ μισθωτοῖσι τέκνοισι — *persuaserunt Pisistratidis, ut sub hac conditione, qua praemii loco filii eorum remittendi proponebantur, et cui plane consentiebant Athenienses, interiecto quinque dierum spatio, ex Attica discederent.* Nam μισθωτὰ τέκνα sunt liberi, quibus mercedis et praemii loco libertas proponebatur, ut parentibus suis, qui solum vertebant, redderentur. — In eiusdem capitis loco: ἐπὶ τούτου δὲ καὶ τὠυτὸ οὔνομα ἀπεμνημόνευσε Ἱπποκράτης τῷ παιδὶ θέσθαι τὸν Πεισίστρατον — forte ante scriptum erat: θέσθαι τοῦ Πεισιστράτου — quod aptius ad: οὔνομα, potest referri. Simili ratione libri I, c. 113, vocabulum: Κύρου, esse emendandum censui.

Cap. 83: Κακῶς δὲ ἠγόρευον οἱ χοροὶ ἄνδρα μὲν οὐδένα, τὰς δὲ ἐπιχωρίας γυναῖκας. Vim particulae: κακῶς, hic locus non facile admittit, quum tantum feminarum congregatarum dicteriis praetereuntes peti dicantur feminae. Quare praeferendam censeo cod. Vindobon. lectionem: καὶ κῶς δὲ ἠγόρευον — Idem: καὶ κως, etiam cap. 118 legitur. — In sequentibus autem plurium codicum auctoritate pro illo: αἱ τοιαῦται ἱροργίαι, legendum erit: αὗται αἱ ἱοργίαι —

Cap. 92: Χρηστήριον ἐς Κόρινθον ἦν ἄσημον, φέρον τε ἐς τὠυτὸ καὶ τὸ τοῦ Ἠετίωνος. Haud dubie Herodotus scripserat: καὶ τῷ τοῦ Ἠετίωνος. Nam illud: τῷ, referri debet ad: ἐς τὠυτὸ —

Cap. 103: Ἐκπλώσαντές τε ἔξω τὸν Ἑλλήσποντον, Καρίης τὴν πολλὴν προςεκτήσαντο. Quamvis non ignorem, in Herodoto accusandi casus magis, quam in aliis scriptoribus Graecis, frequentari, tamen librariorum incuria eiusmodi loca interdum depravata esse non dubito. Ita nostro loco vera Herodoti lectio fuisse videtur: ἔξω τοῦ Ἑλλησπόντου. Ita etiam locum lib. VII, c. 58 emendandum censeo, ubi vulgo legitur: ὁ δὲ ναυτικὸς ἔξω τὸν Ἑλλήσποντον πλέων. In antecedenti autem capite: 102, pro illo: τὸ σκηπτόμενοι — legendum erit: τῷ σκηπτόμενοι —

Cap. 109: Εἰ δὲ Φοινίκων μᾶλλον βούλεσθε διαπειρᾶσθαι, ποιέειν χρεών ἐστι ὑμέας. ὁκότερα ἂν δὴ τουτέων ἕλησθε — Haec ultima verba: ὁκότερα ἂν — nihil habent in sequentibus ad quod referantur, quare, puncto post; ὑμέας, sublato, cum antecedentibus sunt connectenda.

Cap. 122: Αὐτός τε Ὑμέης αἱρέων ταῦτα τὰ ἔθνεα, νούσῳ τελευτᾷ. Illud: τε, cum nulla alia cohaeret particula. Alii codd. male legunt: αὐτός μεν. Vera lectio esse videtur: αὐτός γε Ὑμέης —

Lib. VI. Cap. 9: Οἱ δὲ πάντως διὰ μάχης ἐλεύσονται, τάδε σφι λέγετε. ἐπηρεάζοντες τάπερ σφέας κατέξει, ὡς ἑσσωθέντες τῇ μάχῃ ἐξανδραποδιεῦνται — Illud: ἐπηρεάζοντες, non bene convenit vocabulo: λέγετε. Melius hoc vocabulum ad Iones, qui Persas proelio lacessunt, est referendum. Quare mihi placet haec illius loci emendatio: λέγετε, ἐπηρεάζοντας τάπερ σφέας κατέξει —

Cap. 12: Οἱ Ἴωνες, οἷα ἀπαθέες ἐόντες πόνων τοιούτων, τετρυμένοι τε ταλαιπωρίῃσι τε καὶ ἡλίῳ, ἔλεξαν — Antiquior lectio haud dubie fuit: τετρυμένοι δὲ ταλαιπωρίῃσι — In verbis vero antecedentibus: τὸ λοιπὸν τῆς ἡμέρης τὰς νεὰς ἔχεσκε ἐπ' ἀγκυρέων· παρεῖχέ τε τοῖσι

Ἴωσι πόνον — puto particulam: τε, excidisse ante: ἔχεσκε — ut legatur· τὰς νεάς τ' ἔχεσκε —

Cap. 13: Μαθόντες δὲ ταῦτα τὰ γινόμενα ἐκ τῶν Ἰώνων οἱ στρατηγοὶ τῶν Σαμίων ἐνταῦθα δὴ παρ' Αἰάκεος, τοῦ Συλοσῶντος, κείνους τοὺς πρότερον ἔπεμπε λόγους Αἰάκης, κελευόντων τῶν Περσέων, δεόμενός σφεων ἐκλιπεῖν τὴν Ἰώνων συμμαχίην· οἱ Σάμιοι ὦν ὁρέοντες ἅμα μὲν ἐοῦσαν ἀταξίην πολλὴν ἐκ τῶν Ἰώνων, ἐδέκοντο τοὺς λόγους, ἅμα δὲ κατεφαίνετό σφι εἶναι ἀδύνατα τὰ βασιλῆος πρήγματα ὑπερβαλέσθαι. Totum hunc locum exscripsi, quia haec omnia verba inter se cohaerent et post: ὑπερβαλέσθαι, puncto distinguendum esse censeo. Sed summi quoque interpretes constructionem horum verborum esse perturbatam atque difficilem iudicarunt. Mihi quidem post vocabulum: Συλοσῶντος, excidisse videtur particula: ὡς, librariorum incuria. Si enim legimus: ὡς κείνους, τοὺς πρότερον, ἔπεμπε λόγους Αἰάκης, omnia apte in toto hoc loco cohaerent. Nam verba: οἱ Σάμιοι ὦν — cum verbis antecedentibus: οἱ στρατηγοὶ τῶν Σαμίων, sunt comparanda et vice versa post longam parenthesin, quae interiecta erat, similis significationis verba ad continuandum orationis nexum repetuntur: *Certiores autem tunc facti Samiorum duces bellici de iis, quae ab Ionibus acta erant, per Aeacem, Sylosontis filium, ubi eosdem, quos antea, sermones repetebat Aeaces et Persarum iussu eos rogabat, ut ab Ionum societate recederent: illi igitur Samii admiserunt hos Aeacis sermones, cum partim viderent, quam perturbatus sit rerum status inter Iones, partim ipsis adpareret, fieri non posse, ut regis opes superentur.*

Similis verborum constructio etiam in periodo sequenti reperitur: εὖ τε ἐπιστάμενοι ὡς εἰ καὶ τὸ παρεὸν ναυτικὸν ὑπερβαλοίατο τὸν Δαρεῖον, ἄλλό σφι παρέσται πενταπλήσιον. προφάσιος ὦν ἐπιλαβόμενοι — ἐν κέρδεϊ ἐποι-

κὖντο. — Sed particula: τε, post: εὖ, non quadrat, neque habet aliam particulam, ad quam referatur. Quare legendum esse videtur: εὖ δὲ ἐπιςάμενοι — Quibus verbis etiam nova periodus longe aptius incipit. Porro verba: τὸ παρεὸν ναυτικὸν ὑπερβαλοίατο τὸν Δαρεῖον — iam maximae auctoritatis interpretes in mendo cubare censuerunt. Admitto igitur ingeniosam Reiskii et Valkenarii coniecturam, ut: τοῦ Δαρείου, legatur, sed simul articuli: το, adiectio ad huius loci perspicuitatem multum conferet, qui facile intercipi potuit ab ultima syllaba antecedentis vocabuli: ὑπερβαλοίατο. Tunc ita haec verba eduntur: Εὖ δὲ ἐπιςάμενοι, ὡς, εἰ καὶ τὸ παρεὸν ναυτικὸν ὑπερβαλοίατο τὸ τοῦ Δαρείου, ἄλλό σφι — Sed verba: προφάσιος ὦν — non amplius ab antecedentibus sunt maxima interpunctione separanda, sed, sicut illa: οἱ Σάμιοι ὦν — in periodo priori, connectuntur cum antecedentibus.

Cap. 31: Ὅκως δὲ λάβωσι τινὰ τῶν νήσων, ὡς ἑκάςην αἱρεόντες οἱ βάρβαροι ἐσαγήνευον τοὺς ἀνθρώπους. σαγηνεύουσι δὲ τόνδε τὸν τρόπον. Obscuritas huius loci optime amovetur, si legimus: ὡς ἑκάςην αἱρέοντες οἱ βάρβαροι ἔσαν, ἐσαγήνευον τοὺς ἀνθρώπους. Facile adparet, quomodo vocabulum: ἔσαν —, a primis syllabis vocabuli sequentis: ἐσαγήνευον, absorberi potuerit.

Cap. 52: Δῆλά σφι ἔσεσθαι, ὡς οὐδὲ ἐκείνη πλέον οὐδὲν εἴδε· ἐπ' ἄλλην τε σφέας τραπέσθαι ὁδόν. Propter particulam: τε, huic loco insertam haud dubie antea legebatur: ὡς οὔτε ἐκείνη πλέον οὐδὲν —

Cap. 58: Ἐκ πάσης δεῖ Λακεδαίμονος, χωρὶς Σπαρτιητέων ἀριθμῷ τῶν περιοίκων ἀναγκαςοὺς ἐς τὸ κῆδος ἰέναι. Quum solum illud: ἀριθμῷ, occurrat, numerus certus: περιοίκων, qui haud dubie in his verbis indicabatur, librariorum incuria periisse videtur. Forte ante scriptum erat: χιλίους ἀριθμῷ τῶν περιοίκων. Nam in sequentibus ille magnus hominum numerus, qui mor-

regi exsequias ibant, secundum χιλιάδας, computatur: ἐπεὰν συλλεχθέωσι ἐς τὠϋτὸ πολλαὶ χιλιάδες. imerus vero: χιλίους, qui litera: α, indicatur, anvocabulum: ἀριθμῷ, facile excidere potuit. In seentibus quidem verba: καὶ αὐτέων Σπαρτιητέων — sua editione elegantissima eiecit Schaeferus, aliom interpretum suasu, quod haec verba in duobus nae notae codicibus non adsint neque luctus Lycurlegibus fuerit permissus. Sed duorum codicum auritas, quorum alter inprimis multorum verborum nissione est in aliis etiam locis notatus, ad haec rba iure omittenda non sufficere videtur, quum etiam antecedentibus satis perspicue Herodotus indicave-, in luctus propter regem mortuum orti communiom ingenuos quoque Spartanos venire debuisse.

Cap. 61: Ἐοῦσαν γάρ μιν τὸ εἶδος φλαύρην, ἡ τροφὸς αὐτῆς, οἷα ἀνθρώπων τε ὀλβίων θυγατέρα καὶ δυςειδέα ἐοῦσαν, πρὸς δὲ καὶ ὁρέουσα τοὺς γονέας συμφορὴν τὸ εἶδος αὐτῆς ποιευμένους, ταῦτα ἕκαστα μαθοῦσα, ἐπιφράζεται τοιάδε. Cuilibet haec verba attente perlegenti perrbatum esse illorum ordinem adparebit. Equidem nseo vocabulum: ὁρέουσα, ante verba: πρὸς δὲ καὶ, se collocandum. Quo loco enim nunc legitur, forex librarii interpretamento est ortum. Praeterea iam superfluum est illud: ἐοῦσαν, post: δυςειδέα po-.um, cum huius loci sententia cum eodem verbo cipiat. Magis conveniens igitur verborum ordo ita nstituetur: — καὶ δυςειδέα ὁρέουσα, πρὸς δὲ καὶ τοὺς νέας —

Cap. 84: Ἐκ τούτου δὲ μανῆναί μιν νομίζουσι Σπαρτιῆται. ἔκ τε τοῦ, ὡς αὐτοὶ λέγουσι — Ἐπισκύθισον λέγουσι. Ingrata est hoc loco repetitio verborum: ἐκ ύτου, et: ἐκ τοῦ. Praeterea particula: τε, ante: τοῦ, hil habet, quo referatur. Quare praeferendam ceno nonnullorum codd. lectionem: ἔκ τε τόσου δὲ

μανῆναι — Eidem lectioni patrocinatur falsa aliorum librorum lectio: ἐκ τοσούτου δὲ —

Cap. 112: Οἱ δὲ Πέρσαι, ὁρέοντες δρόμῳ ἐπιόντας παρεσκευάζοντο ὡς δεξόμενοι· μανίην τε τοῖσι Ἀθηναίοισι ἐπέφερον καὶ πάγχυ ὀλεθρίην, ὁρέωντες αὐτοὺς ὀλίγους — Non bene quadrat vocabulum: μανίη, de Persarum fortitudine non valde insigni usurpatum. Tota oratio contexta suadet, ut hoc vocabulum potius ad Graecos citato cursu impetum facientes referatur. Quare colon post: δεξόμενοι, tollendum censeo, ut illud: δεξόμενοι μανίην, coniungatur, et pro: ἐπέφερον, lego: τοῖσι Ἀθηναίοισι ἐπίφορον καὶ — *excepturi insanum furorem, qui non solum ad impetum vehementem instigaret Athenienses, sed ipsis simul esset perniciosissimus* — Simili modo Herodotus lib. VIII, c. 10. narrat, Persas in pugna navali ad Artemisium commisso Graecos numero paucos insaniae accusasse: οἱ στρατηγοὶ ἐπιπλώοντας νηυσὶ ὀλίγῃσι, πάγχυ σφι μανίην ἐπενείκαντες —

Cap. 119: Καὶ γὰρ ἄσφαλτον καὶ ἅλας καὶ ἔλαιον ἀρύσονται ἐξ αὐτοῦ τρόπῳ τοιῷδε. Wesselingius aliique interpretes veram lectionem esse: ἀρύονται, coniiciunt. Cum vero in eo consentiant codices, ut literam: σ, huic vocabulo inserant, legendum puto literis transpositis: ἔλαιον ἀρύσαντο ἐξ αὐτοῦ, *ex eo haurire solent.* Augmentum innumeris locis ab Herodoto negligitur. Aoristos vero agendi consuetudinem saepe exprimere, satis constat. Vid. Perizionius ad Aeliani Var Hist. I, 4. et quos Bachius laudat ad Xenoph. Oeconom. extremo cap. I.

Cap. 122: Ἔδωκέ σφι δωρεὴν μεγαλοπρεπεστάτην, ἐκείνῃσί τε ἐχαρίσατο. Totum quidem caput, ex quo hausta sunt haec verba, b. Valkenarius aliique interpretes doctissimi habent suspectum, quia in nonnullis codicibus totum est omissum atque oratio con-

texta minime laeditur, si caput: 121, statim a capite: 123, excipitur. Dubito tamen, huius capitis verba Herodoto tanquam illorum auctori eripere, quia satis constat, Herodotum in multis historiae locis eiusmodi additamenta, quae singulorum virorum fata et res gestas spectant, suae admiscuisse aliarum rerum narrationi. Praeterea etiam duo capita: 122, 123, similibus literis incipiunt, quare facilius inde capitis prioris omissionem librarii incuria ortam intelligimus. Quod vero verba huius capitis excerpta attinet, nullum discrimen inter: ἔδωκε, et: ἐχαρίσατο, deprehendo. Praeterea etiam particula: τε, nihil habet, ad quod referatur. Quare censeo, aliam his verbis lectionem subesse et Herodotum fortasse antea scripsisse: μεγαλοπρεπεστάτην, τὴν ἐκεινῳ σί γε χαρίσαιτο — *quale iis unquam impertire poterat.*

Lib. VII. Cap. 10: Καὶ δὴ καὶ συνήνεικε ἤτοι κατὰ γῆν ἢ καὶ κατὰ θάλασσαν ἑσσωθῆναι ἢ καὶ κατὰ ἀμφότερα — Illud: συνήνεικε, de re usurpatum, quae in posterum accidere possit, non apte adhiberi videtur. Forte vera huius loci lectio fuit: καὶ δὴ καὶ συνενείκεε ἤ τοι κατὰ — *accidere poterit, ut* etc.

Cap. 20: Μήτε κατὰ τὰ λεγόμενα τῶν Ἀτρειδέων ἐς Ἴλιον, μήτε τὸν Μυσῶν τε καὶ Τευκρῶν, τὸν πρὸ τῶν Τρωϊκῶν γενόμενον. Ex antecedentibus ad haec verba suppleri debet: στόλον παρὰ τοῦτον μηδὲν φαίνεσθαι. Sed si hoc verum est, aptius in nostro loco legetur: κατὰ τὰ λεγόμενα τὸν Ἀτρειδέων ἐς Ἴλιον — In verbis eiusdem capitis: μέχρι τε Πηνειοῦ ποταμοῦ — ἔλασαν, consuetudini Herodoti etiam convenientius esse puto, ut legatur: μέχρι δὲ Πηνειοῦ —

Cap. 25: Καταβάλλειν ἐκέλευε — ἄλλα ἄλλῃ ἀγινέοντας ὁλκάσι — τὸν δὲ τῶν πλείστων ἐς Λευκὴν ἀκτὴν — ἀγίνεον, οἱ δὲ ἐς Τυρόδιζαν τὴν Περινθίων — διατεταγ-

μένοι. Pro illo: ἄλλα ἄλλῃ — Schaeferus doctissimus et alii interpretes duorum codicum auctoritate ediderunt: ἄλλον ἄλλῃ — Sed mihi non mutanda esse videtur lectio vulgaris plurimorum codicum: ἄλλα ἄλλῃ — quia haec verba aptissime referuntur ad antecedentia: — καὶ σιτία τῇ ςρατιῇ καταβάλλειν — In his autem verbis potius emendandum censeo: τῇ ςρατιῇ καταβάλλει. Litera: ν, huic vocabulo ex prima syllaba vocis sequentis: ἵνα, forte adhaesit. Praesenti tempore autem hoc effert Herodotus, ut curam commeatus perpetuam indicet, quae necessaria erat in tanto exercitu. Etiam in sequentibus: τὸν δὲ τῶν πλείςων, partim codicum auctoritate, qui pro: τῶν πλείςων, legunt: ὧν πλείςων — partim ad orationis seriem magis continuandam legendum censeo: τῶν δὲ ὧν πλείςων — ἀγίνεον οἵδε — ut ita genitivus: τῶν — πλείςων, pendeat ex: οἵδε — Nam regio albi litoris, quo plurimi cum commeatu suo navigabant, in sequentibus videtur magis explicari allatis urbium nominibus, quae ad illud litus erant sitae.

Cap. 31: Εὗρε πλατάνιςον, τὴν κάλλεος εἵνεκα δωρησάμενος κόσμῳ χρυσέῳ καὶ μελεδωνῷ ἀθανάτῳ ἀνδρὶ ἐπιτρέψας — ἀπίκετο. Ferri non potest haec lectio inepta: ἀθανάτῳ ἀνδρί. Quid enim sibi vellet vir immortalis, cuius curae commissa sit opaca platanus. Ita quidem explicant interpretes hunc locum, ut illum virum fuisse dicant unum ex illis decem Persarum millibus, qui immortales (ἀθάνατοι) vocabantur et quos Herodotus lib. VII, cap. 83. latius descripsit. Sed si hoc verum esset, Herodotus haud dubie alia usus esset dicendi ratione, ut: τινὶ τῶν ἀθανάτων λεγομένων, vel alia, quae statim indicaret, hunc virum non vere immortalem, sed in eorum numero fuisse, qui immortalium nomine gaudebant. Mea quidem sententia sub hac falsa lectione forte latet: μελεδωνῷ ἀδυνάτῳ ἀν-

δρί — Lepidum igitur Xerxis ingenium in eo adpareret, quod curae viri in itinere viribus exhausti arborem opacam, sub cuius umbra requiescere posset, commiserit. Ceterum alia etiam lepidi ingenii specimina in vita Xerxis ab eo edita laudari possunt.

Cap. 33: Ὃς καὶ ἐς τοῦ Πρωτεσίλεω τὸ ἱρὸν τὸ ἐς Ἐλαιοῦντα ἀγινεόμενος γυναῖκας — Lectio duorum codicum, qui voculam: το, ante: ἐς Ἐλαιοῦντα, omiserunt, longe praeferenda esse mihi videtur.

Cap. 36: Ἵνα μὴ φοβέηται τὰ ὑποζύγια τὴν θάλασσαν ὑπερορῶντα καὶ ἵπποι. Duo codices pro illo: ὑπερορῶντα, legunt: ὁρῶντα. Forte Herodotus scripserat: τὴν θάλασσαν ὑ π ο ρ ῶ ν τ α, *cum mare sibi subesse cernerent* — In eodem capite antea legitur: ἀγκύρας κατῆκαν περιμήκεας, τὰς μὲν πρὸς τοῦ Πόντου τῆς ἑτέρης — τῆς δὲ ἑτέρης τῆς πρὸς ἑσπέρης — Wesselingio placet Petavii coniectura, ut legatur: τῆς μὲν πρὸς τοῦ Πόντου, si codices consentirent. Sed mihi potius videtur ante scriptum fuisse: τὰς δὲ ἑτέρης τῆς — ut utrumque: τὰς μὲν — τὰς δὲ, ad: ἀγκύρας, referatur. Facile etiam adparet in loco posteriori, ubi plura vocabula cum syllaba: ης, terminantur, quomodo vera lectio: τὰς, in falsam: τῆς, mutari potuerit.

Cap. 110: Οἱ δὲ αὐτέων τὴν μεσόγαιαν οἰκέοντες, καταλεχθέντες τε ὑπ' ἐμεῦ, πλὴν Σατρέων, οἱ ἄλλοι πάντες, πεζῇ ἀναγκαζόμενοι εἵποντο — Legendum puto: καταλεχθέντες γε ὑπ' ἐμεῦ —

Cap. 117: Βασιλεὺς μὲν δὴ Ξέρξης, ἀπολομένου Ἀρταχαίεω, ἐποιέετο συμφορήν. Haec verba additamentis librariorum adnumero, quae ex margine, ubi ad argumentum huius loci indicandum adscribebantur, ipsis Herodoti verbis sunt admixta. Nam paullo ante iam Herodotus scripserat: Ξέρξεα συμφορὴν ποιησάμενον μεγάλην.

Cap. 134: Μετὰ δὲ ταῦτα τοῖσι Σπαρτιήτῃσι καλλιερῆσαι θυομένοισι οὐκ ἐδύνατο. Ex antecedentibus patet, de Talthybii posteris in eius templo Lacedaemoniorum nomine sacrificantibus haec esse intelligenda. Quare legendum videtur: οὐκ ἐδύναντο. Quum enim per eos Spartani sacra offerrent neque tamen litarent, inde Talthybii ira adparuit.

Cap. 145: Τὰ δὲ Γέλωνος πρήγματα μεγάλα ἐλέγετο εἶναι, οὐδαμῶν Ἑλληνικῶν τῶν οὐ πολλὸν μέζω. Merito offendit hic locus interpretes, quum inprimis illud: τῶν, ad nihil apte referri possit. Puto, Herodotum scripsisse: οὐδαμῶν Ἑλληνικῶν ὄντων οὐ πολλὸν μέζω. Sensus huius loci iam erit: *Magnae esse dicebantur Gelonis opes, omnibus singulorum Graecorum bonis longe maiores.* Nam illud: οὐδαμῶν; aperte indicat, in hac comparatione non omnes omnium Graecorum opes in universum respici, quae certe Gelonis opibus erant longe maiores. Sed tantum adfirmatur, nullius Graecorum bona Gelonis aequiparanda fuisse divitiis. Bona non valde maiora nullius bonis sunt haud dubie bona omnium singulorum bonis longe maiora. Prior autem syllaba vocabuli: ὄντων, ab ultima antecedentis vocabuli: Ἑλληνικῶν, syllaba fuit intercepta.

Cap. 149: Προειπεῖν τε τοῖσι ἀγγέλοισι, πρὸ δύντος ἡλίου ἀπαλλάσσεσθαι — Recipienda duorum bonae notae codicum lectio: προειπεῖν δὲ τοῖσι ἀγγέλοισι — huic loco optime quadrat.

Cap. 151: Συμπεσεῖν δὲ τούτοισι καὶ τόνδε τὸν λόγον λέγουσί τινες Ἑλλήνων, πολλοῖσι ἔτεσι ὕστερον γενόμενον τουτέων — Forte Herodotus scripserat: γενομένων τουτέων, *cum haec acciderent.*

Cap. 164: Διὰ δικαιοσύνην, τὴν οἱ αὐτὸς ἄλλην συνήδεε ἐοῦσαν, ἔπεμπε. Verisimilius esse videtur, Herodotum olim scripsisse: τὴν οἱ αὐτὸς ἄλλῃ συνήδεε ἐοῦσαν.

Cap. 166: Τὸν δὲ Ἀμίλκαν — βασιλεύσαντά τε κατ' ἀνδραγαθίην Καρχηδονίων — ἀφανισθῆναι πυνθάνομαι. Legendum censeo: βασιλεύσαντα γε κατ' ἀνδραγαθίην — Eodem modo etiam in verbis cap. 175: στεινοτέρη γὰρ ἐφαίνετο ἐοῦσα τῆς ἐς Θεσσαλίην, καὶ ἅμα ἀγχοτέρη τε τῆς ἑωϋτῶν, verisimilius est, antea scriptum fuisse: ἀγχοτέρη γε τῆς ἑωϋτῶν.

Cap. 172: Ὡς εἰ μὴ πέμψετε, ἐπίστασθε ἡμέας ὁμολογήσειν τῷ Πέρσῃ. Illud: ὡς, haud dubie in: ὥς, sive: ὥστε, mutandum est, ut legatur: ὥστε εἰ μὴ πέμψετε, *Itaque nisi miseritis.*

Cap. 184: Τῶν μὲν ἐκ τῶν νεῶν τῶν ἐκ τῆς Ἀσίης ἐουσέων ἑπτὰ καὶ διηκοσίων καὶ χιλιέων, τὸν μὲν ἀρχαῖον ἑκάστων τῶν ἐθνέων ἐόντα ὅμιλον, τέσσερας καὶ εἴκοσι μυριάδας καὶ πρὸς, χιλιάδα τε καὶ τετρακοσίους, ὡς ἀνὰ διηκοσίους ἄνδρας λογιζομένοισι ἐν ἑκάστῃ νηΐ. Sermonis stribliginem Wesselingius aliique interpretes doctissimi in hoc loco deprehendunt. Nam verbum finitum deest, ex quo haec omnia pendeant. Praeterea plane superfluum est et apto sensu caret illud: τῶν μέν, ante verba: ἐκ τῶν νεῶν. Levi igitur verborum mutatione hunc locum ita emendandum censeo, ut pro illo: τῶν μὲν, legamus: θείημεν, et in fine huius periodi pro: λογιζομένοισι ἐν ἑκάστῃ, emendemus: λογιζόμενοι σὺν ἑκάστῃ. Si igitur hac emendatione admissa: θείημεν ἐκ τῶν νεῶν — τέσσερας καὶ εἴκοσι μυριάδας — ὡς ἀνὰ διηκοσίους ἄνδρας λογιζόμενοι σὺν ἑκάστῃ νηΐ, vertimus: *ponamus pro numero navium — ducenta et quadraginta militum millia cum centum et quadringentis, ducenos viros cuique navi adiunctos computantes* — nulla amplius supererit interpretandi difficultas. Haec emendata lectio confirmatur etiam sequentibus verbis: προςθήσω δ' ἔτι τούτῳ — ἀριθμῷ τοὺς —

Cap. 134: Μετὰ δὲ ταῦτα τοῖσι Σπαρτιήτῃσι καλλιερῆσαι θυομένοισι οὐκ ἐδύνατο. Ex antecedentibus patet, de Talthybii posteris in eius templo Lacedaemoniorum nomine sacrificantibus haec esse intelligenda. Quare legendum videtur: οὐκ ἐδύναντο. Quum enim per eos Spartani sacra offerrent neque tamen litarent, inde Talthybii ira adparuit.

Cap. 145: Τὰ δὲ Γέλωνος πρήγματα μεγάλα ἐλέγετο εἶναι, οὐδαμῶν Ἑλληνικῶν τῶν οὐ πολλὸν μέζω. Merito offendit hic locus interpretes, quum inprimis illud: τῶν, ad nihil apte referri possit. Puto, Herodotum scripsisse: οὐδαμῶν Ἑλληνικῶν ὄντων οὐ πολλὸν μέζω. Sensus huius loci iam erit: *Magnae esse dicebantur Gelonis opes, omnibus singulorum Graecorum bonis longe maiores.* Nam illud: οὐδαμῶν; aperte indicat, in hac comparatione non omnes omnium Graecorum opes in universum respici, quae certe Gelonis opibus erant longe maiores. Sed tantum adfirmatur, nullius Graecorum bona Gelonis aequiparanda fuisse divitiis. Bona non valde maiora nullius bonis sunt haud dubie bona omnium singulorum bonis longe maiora. Prior autem syllaba vocabuli: ὄντων, ab ultima antecedentis vocabuli: Ἑλληνικῶν, syllaba fuit intercepta.

Cap. 149: Προειπεῖν τε τοῖσι ἀγγέλοισι, πρὸ δύντος ἡλίου ἀπαλλάσσεσθαι — Recipienda duorum bonae notae codicum lectio: προειπεῖν δὲ τοῖσι ἀγγέλοισι — huic loco optime quadrat.

Cap. 151: Συμπεσεῖν δὲ τούτοισι καὶ τόνδε τὸν λόγον λέγουσί τινες Ἑλλήνων, πολλοῖσι ἔτεσι ὕστερον γενόμενον τουτέων — Forte Herodotus scripserat: γενομένων τουτέων, *cum haec acciderent.*

Cap. 164: Διὰ δικαιοσύνην, τὴν οἱ αὐτὸς ἄλλην συνήδεε ἐοῦσαν, ἔπεμπε. Verisimilius esse videtur, Herodotum olim scripsisse: τὴν οἱ αὐτὸς ἄλλῃ συνήδεε ἐοῦσαν.

Cap. 166: Τὸν δὲ Ἀμίλκαν — βασιλεύσαντά τε κατ' ἀνδραγαθίην Καρχηδονίων — ἀφανισθῆναι πυνθάνομαι. Legendum censeo: βασιλεύσαντα γε κατ' ἀνδραγαθίην — Eodem modo etiam in verbis cap. 175: στεινοτέρη γὰρ ἐφαίνετο ἐοῦσα τῆς ἐς Θεσσαλίην, καὶ ἅμα ἀγχοτέρη τε τῆς ἑωϋτῶν, verisimilius est, antea scriptum fuisse: ἀγχοτέρη γε τῆς ἑωϋτῶν.

Cap. 172: Ὡς εἰ μὴ πέμψετε, ἐπίστασθε ἡμέας ὁμολογήσειν τῷ Πέρσῃ. Illud: ὡς, haud dubie in: ὥστ', sive: ὥστε, mutandum est, ut legatur: ὥστε εἰ μὴ πέμψετε, *Itaque nisi miseritis.*

Cap. 184: Τῶν μὲν ἐκ τῶν νεῶν τῶν ἐκ τῆς Ἀσίης ἐουσέων ἑπτὰ καὶ διηκοσίων καὶ χιλιέων, τὸν μὲν ἀρχαῖον ἑκάστων τῶν ἐθνέων ἐόντα ὅμιλον, τέσσερας καὶ εἴκοσι μυριάδας καὶ πρὸς, χιλιάδα τε καὶ τετρακοσίους, ὡς ἀνὰ διηκοσίους ἄνδρας λογιζομένοισι ἐν ἑκάστῃ νηΐ. Sermonis stribliginem Wesselingius aliique interpretes doctissimi in hoc loco deprehendunt. Nam verbum finitum deest, ex quo haec omnia pendeant. Praeterea plane superfluum est et apto sensu caret illud: τῶν μέν, ante verba: ἐκ τῶν νεῶν. Levi igitur verborum mutatione hunc locum ita emendandum censeo, ut pro illo: τῶν μὲν, legamus: θείημεν, et in fine huius periodi pro: λογιζομένοισι ἐν ἑκάστῃ, emendemus: λογιζόμενοι σὺν ἑκάστῃ. Si igitur hac emendatione admissa: θείημεν ἐκ τῶν νεῶν — τέσσερας καὶ εἴκοσι μυριάδας — ὡς ἀνὰ διηκοσίους ἄνδρας λογιζόμενοι σὺν ἑκάστῃ νηΐ, vertimus: *ponamus pro numero navium — ducenta et quadraginta militum millia cum centum et quadringentis, ducenos viros cuique navi adiunctos computantes* — nulla amplius supererit interpretandi difficultas. Haec emendata lectio confirmatur etiam sequentibus verbis: προσθήσω δ' ἔτι τούτῳ — ἀριθμῷ τοὺς —

Cap. 203: Ὀφείλειν ὦν καὶ τὸν ἐπελαύνοντα, ὡς ἐόντα θνητὸν, ἀπὸ τῆς δόξης πεσέειν ἄν. In antecedentibus adfirmatur a Graecis, Xerxem non esse deum, sed hominem. Nullum autem mortalium unquam, ex quo natus sit, malorum expertem fuisse, et quo maiore sit potentia, eo maiora eidem mala imminere. Iam huius loci verba sequuntur, in quibus inprimis propter ultima illa, Xerxem ab opinione sua recedere debere, non apte posita sunt haec: ὡς ἐόντα θνητόν, quorum similia modo adfuerant. Mihi igitur verisimile est, Herodotum olim scripsisse: ὡς ἐόντα ἀθάνατον, et primam literam vocabuli: ἀθάνατον, ab ultima litera antecedentis: ἐόντα, interceptam, huic falsae lectioni dedisse originem. Qua admissa emendatione longe aptiori sensu verba: ἀπὸ τῆς δόξης πεσέειν ἄν, adiunguntur.

Cap. 215: Τότε ὅτε οἱ Φωκέες φράξαντες τείχεϊ τὴν ἐσβολὴν, ἔσαν ἐν σκέπῃ τοῦ πολέμου· ἔκ τε τόσου δὴ κατεδέδεκτο ἐοῦσα οὐδὲν χρηστὴ Μηλιεῦσι. Plura adsunt indicia, ex quibus, hunc locum in mendo cubare, adparet. Insolito enim modo duae particulae: τότε ὅτε, h. l. coniunguntur. Porro particula: τε, illis: ἐκ τόσου, interiecta nihil habet, quo referatur. Verbum denique: κατεδέδεκτο, sensum huius loci reddit obscurum. Ut igitur constet illud: τε, voculae: ἐκ, adiectum, in antecedentibus legendum censeo: τότε τε οἱ Φωκέες — Cum enim particula: τε, simillima sit literis suis ultimae syllabae antecedentis: τότε, facile etiam fieri potuit, ut librarius simul antecedentem literam: ο, male repeteret. Porro loco illius: κατεδέδεκτο, verisimillima mihi esse videtur haec emendatio, ut legatur: ἔκ τε τόσου δὴ κατεδέδοκτο ἐοῦσα — Illud: καταδοκέω, est verbum Herodoteum. Ita legitur lib. I, c. 22. lib. VI, c. 16. et alibi. Neque etiam forma: δέδοκται, et quae inde derivatur, Herodoto est

ignota. Tunc facilior huius loci sensus erit: *Phocenses non solum, aditu semitae muri ope intersepto, a pugna tuti erant tunc temporis, sed Meliensibus quoque haec via a multo inde tempore parum utilis visa fuerat.*

Cap. 223: Ἅτε γὰρ ἐπιστάμενοι τὸν μέλλοντά σφι ἔσεσθαι θάνατον — ἀπεδείκνυντο ῥώμης ὅσον εἶχον μέγιστον — In antecedentibus narrat, Persas vel invitos in pugnam propulsos magno numero cecidisse. Quare h. l. de Graecis iterum narrare incipit. Ut vero haec adcuratius separentur ab antecedentibus, vocabulum: Ἕλληνες, quod forte librariorum incuria propter similes vocabuli antecedentis: ἀπολλυμένου, syllaba excidit, inserendum esse censeo, ut iam plenius legatur: Ἕλληνες ἅτε γὰρ ἐπιστάμενοι —

Cap. 229: Εἰ μέν νυν ἦν μοῦνον Ἀριστόδημον ἀλγήσαντα ἀπονοστῆσαι — δοκέειν ἐμοί, οὐκ ἄν σφι Σπαρτιήτας μῆνιν οὐδεμίην προσθέσθαι. Putem equidem verborum constructionem, quae vulgata est, ex illa dicendi consuetudine Herodotea defendi posse. Quum tamen nimium quantum infiniti frequententur in hoc loco, magis convenire videtur Herodoti elegantiae, ut legatur: δοκέει ἐμοί — et forte ex codd. aliquando haec melior lectio confirmabitur.

Cap. 236: Εἰ δ' ἐπὶ τῇσι παρεούσῃσι τύχῃσι, τῶν νέας νεναυηγήκασι τετρακοσίας, ἄλλας ἐκ τοῦ στρατοπέδου τριηκοσίας ἀποπέμψεις — Iam Wesselingius iudicabat, ad sententiam huius loci deesse: ἡμέων. Valkenarius eadem de causa pro: τῶν, legendum esse censuit: τῷ. Facile etiam propter plures syllabas, quae simili sono terminantur, excidere vocula: συ, potuit, ut iam pleniori sensu legatur: εἰ δ' ἐπὶ τῇσι παρεούσῃσι τύχῃσι σύ, τῷ νέες νεναυηγήκασι — ἀποπέμψεις —

Lib. VIII. Cap. 39: Οἱ δὲ πεσόντες ἀπὸ τοῦ Παρνησσοῦ λίθοι ἔτι καὶ ἐς ἡμέας ἔσαν σῶοι, ἐν τῷ τεμένεϊ τῆς Προνηΐης Ἀθηναίης κείμενοι. Sensum minus aptum hoc loco mihi fundere videntur: λίθοι σῶοι. Forte Herodotus scripserat: ἔσαν ἑῷοι ἐν τῷ τεμένεϊ — κείμενοι, *in consecrato Minervae Pronaeae loco versus orientem iacebant.* Nam constat, a librariis literas: σ, et: ε, saepe esse permutatas, sicut Valkenarius ad huius libri VIII, cap. 5. docuit.

Cap. 76: Ἀνῆγον μὲν τὸ ἀπ' ἑσπέρης κέρας κυκλούμενοι πρὸς τὴν Σαλαμῖνα, ἀνῆγον δὲ οἱ ἀμφὶ τὴν Κέον τε καὶ τὴν Κυνόσουραν τεταγμένοι, κατέχον τε μέχρι Μουνυχίης πάντα τὸν πορθμὸν τῇσι νηυσί. Vocabulum: ἀνῆγον, non solum in hoc loco bis occurrit, sed etiam statim in sequentibus: τῶνδε εἵνεκα ἀνῆγον. Qualis vocabula repetendi consuetudo non est Herodoto propria. Praeterea illud: ἀνῆγον δὲ — loco valde alieno est positum et plane supervacaneum, neque particula: δέ, apto sensu ad antecedens: μέν, post: ἀνῆγον, potest referri, quia de iisdem, non autem de diversis hominibus rem eandem narrat. Particula: τε, denique post: κατέχον, nihil habet, ad quod in antecedentibus referatur. Puto igitur in mendo cubare hunc locum et eiiciendum censeo illud: ἀνῆγον δὲ, ante verba: οἱ ἀμφὶ — ut ineptum librariorum additamentum. Pro illo autem: κατέχον τε, emendo: κατέχον δὲ — ut apte respondeat antecedenti: ἀνῆγον μὲν —

Cap. 81: Ταῦτα ἔλεγε παρελθὼν ὁ Ἀριστείδης — παραρτέεσθαί τε συνεβούλευε ὡς ἀλεξησομένους — Non Aristidis sed Themistoclis oratio proxime antecesserat, quare potius legendum est: Ταῦτα ἔλεγε παρελθὼν — Pro illo: παραρτέεσθαί τε, autem, cum illud: τε, nihil habeat, ad quod referatur, aptior lectio: παραρτέεσθαί γε — est proponenda. Eodem modo etiam cap. 86, in verbis: ἐδόκεέ τε ἕκαστος ἑωϋτὸν θεήσεσθαι βασιλῆα —

tollenda est particula: τε, et cum uno codice antiquo potius legendum est: ἐδώκεέ τοι ἕκαςος — In cap. 101, pro illo: νῦν τε συμβούλευσον, ὁκότερα ποιέων ἐπιτύχω εὖ βουλευσάμενος — legere malim: νῦν γε συμβούλευσον — In cap. 103, verbis: ἥσθη τε δὴ τῇ συμβουλίῃ Ξέρξης, etiam particulam: τε, ex sequentibus, quae similis sunt soni, male adsutam esse, dubitari vix potest. In cap. 109, pro illo: καὶ τὴν θάλασσαν ἀπεμαςίγωσε, πέδας τε κατῆκε — forte scriptum olim erat: θάλασσαν τ' ἀπεμαςίγωσε — In cap. 111, ubi legitur: οὕτω τέ σφι κάρτα δοτέα εἶναι χρήματα, suadeo lectionem: οὕτω δή σφι —

Cap. 90 et 91: Πρὸς δ' ἔτι καὶ προςεβάλετο φίλος ἐὼν 'Αριαράμνης ἀνὴρ Πέρσης παρεὼν τούτου τοῦ Φοινικηΐου πάθεος. Οἱ μὲν δὴ πρὸς τοὺς Φοίνικας ἐτράποντο. Interpretes doctissimi lectionem priorum verborum esse corruptam non negant. Sed de apta illius emendatione nondum consentiunt. Mihi quidem certum esse videtur, ultima verba capitis nonagesimi: παρεὼν τοῦ Φοινικηΐου πάθεος, non ad antecedentia pertinere, sed cum verbis primis, quae caput nonagesimum primum inchoant, esse coniungenda. Nam non verisimile est, Herodotum in ultimis verbis: Φοινικηΐου πάθεος, adhuc respexisse illam Phoenicum interfectionem, quibus Xerxes irascebatur, et statim subiunxisse narrationem de Phoenicibus in proelio victis, quos Graeci in proelio sunt persecuti. Imo, de una potius eademque re gesta, nempe de Phoenicibus in proelio victis, agit. Quare finem capiti nonagesimo post verba: ἀνὴρ Πέρσης, imponendum esse censeo et sensum horum verborum: πρὸς δὲ ἔτι — 'Πέρσης, interpretor de Ariamne, regis amico, quem sibi Xerxes simul adiutorem in animadvertendis et adnotandis huius pugnae rebus gestis adiunxerit. Iam nova cum verbis sequentibus narratio de infelici pugnae exitu incipit.

Nam Phoenices a Graecis esse victos iam sub initium capitis nonagesimi Herodotus narraverat. Facta igitur digressione sibi maxime consueta de Phoenicum calumniis, ad ipsam de pugnae eventu narrationem sub initium capitis nonagesimi primi redit. Ut vero haec verba aptius cohaereant, pro illo: παρεὼν, legendum erit: παρεόντος. Incipit igitur novum caput cum his verbis: Παρεόντος τούτου τοῦ Φοινικηΐου πάθεος, οἱ μὲν δὴ πρὸς τοὺς Φοίνικας ἐτράποντο. Facile intercipi potuit ultima syllaba vocabuli: παρεόντος, a primis vocabuli sequentis: τούτου, literis, sicut etiam quidam codices in eodem loco vocabulum: τοῦ, male omiserunt. Vocabulum: πάθος. de pugna amissa etiam occurrit cap. 97, atque ibidem quoque haec clades dicitur: ἡ παρεοῦσα σφι συμφορή.

Cap. 92: Καὶ βώσας τὸν Θεμιστοκλῆα ἐπεκερτόμησε, ἐς τῶν Αἰγινητέων τὸν μηδισμὸν ὀνειδίζων. Pro illo: ἐς τῶν Αἰγινητέων, haud dubie legendum est: ἐς τὸν Αἰγινητέων — *illi Aeginetarum crimen exprobrans, quo cum Medis senserint.* Nam: τὸν, pro: τοῦτον, ab Ionibus saepissime adhibetur. Qua emendatione admissa Polycriti facetiae, quibus Themistoclem pungebat, multo magis adparent. Nam sub illo: τὸν, intelligendus est Pytheas Aegineta, in nave tunc capta inventus, qui tanta olim fortitudine restiterat Persis, vid. lib. VII, c. 181. Videbatur igitur, quia in nave hostili asservatus recipiebatur, cum Persis sentire, sed corpus eius totum vulneribus concisum maximam potius fortitudinis admirationem ei paraverat. Quum vero antea Aeginetae ab Atheniensibus aliisque Graecis propter amicitiam cum Persis initam graviter accusati et vexati essent, Polycritus huius Pytheae adspectu in memoriam ita revocare voluit Themistocli crimen Aeginetis exprobratum, ut iam de iis, fortissime contra

Persas pugnantibus, sententiam plane contrariam alere cogeretur.

Cap. 98: Τουτέων δὲ τῶν ἀγγέλων ἐστιν οὐδὲν, ὅ, τι θᾶσσον παραγίνεται θνητὸν ἐόν — Merito offendit Valkenarium illud: θνητὸν ἐόν, quod ad res a nuntiis perferendas non bene quadrat. Mihi quidem verisimile est, Herodotum olim scripsisse: οὐδὲν ᾧ τὶ θᾶσσον παραγίνεται θνητῷ νεόν, *nullae res recens gestae celerius, quam per hos nuntios, aliis mortalibus nuntiantur.* — In verbis eiusdem capitis: ὅσων ἂν ᾖ ἡμερέων ἡ πᾶσα ὁδὸς, τοσοῦτοι ἵπποι τε καὶ ἄνδρες διεστᾶσι, κατὰ ἡμερησίην ὁδὸν ἑκάστην ἵπποι τε καὶ ἀνὴρ τεταγμένος, soloecismum et ineptam verborum eorundem repetitionem Herodoto cum Gronovio et aliis tribuere nolim. Quamvis igitur haec verba: ἵπποι τε καὶ ἀνὴρ τεταγμένος, in Mediceo et aliis nonnullis codicibus legantur, ea tamen ineptis librariorum interpretamentis adnumero et aliorum codicum lectionem praefero, qui omissis vocabulis: ἵπποι τε καὶ ἀνὴρ, aptissime: τεταγμένοι, legunt, quod bene antecedentibus adnectitur. Schaeferus doctissimus, cuius elegantiam quoque soloecismus in lectione vulgata receptus offenderat, saltem emendavit: ἵππος τε καὶ ἀνὴρ τεταγμένος.

Cap. 100: Οὐδὲν γὰρ ἐν Πέρσῃσι τοῖσι δεδήληται τῶν πρηγμάτων — Offenduntur interpretes illo: τοῖσι, et propterea varias emendationes proposuerunt. Omnium minime quidem a lectione vulgata codicum recedetur, si legimus: ἐν Πέρσῃσί τοι σοὶ δεδήληται —

Cap. 106: Ἀναγκαζόμενος δὲ ἐποίεε ταῦτα· αὐτοῦ τε, ὡς ταῦτα ἐργάσατο, οἱ παῖδες ἀναγκαζόμενοι ἀπέταμνον. Haud dubie legendum est: ἀναγκαζόμενος τε ἐποίεε — ut haec cum sequentibus: αὐτοῦ τε — consentiant.

Cap. 119: Τοὺς μὲν ἐπὶ τοῦ καταστρώματος καταβιβάσαι ἐς κοίλην νῆα, ἐόντας Πέρσας καὶ Περσέων τοὺς πρώτους· τῶν δ' ἐρετέων ἐόντων Φοινίκων, ὅκως οὐκ ἂν ἴσον

πλῆθος τοῖσι Πέρσῃσι ἐξέβαλε ἐς τὴν θάλασσαν. Haec verba non iusto ordine inter se cohaerere, non facile quisquam infitiabitur. Forte unius literae mutatione, si legimus: καταβιβάσας ἐς κοίλην — omnia erunt planiora: *Quomodo non similem Persarum numero multitudinem remigum in mare deiecerit, postquam Persas et quidem primarios inter Persas viros ex tabulato navis in inferiorem eius partem* (ad curanda remigum opera) *demiserat, quum navis remiges non Persae sed Phoenices essent.* Particula: ὅκως, etiam in aliis locis tali significatu occurrit, ut lib. III, cap. 116.

Cap. 124: Ἀριστήϊα μέν νυν ἔδοσαν Εὐρυβιάδῃ ἐλαίης στέφανον· σοφίης δὲ καὶ δεξιότητος Θεμιστοκλέϊ καὶ τούτῳ στέφανον ἐλαίης. Non puto has salebras ab Herodoto esse prolatas, sed antiquiorem huius loci lectionem fuisse censeo: καὶ τοῦτον στέφανον ἐλαίης, *eandem quoque oleae coronam sollertiae et dexteritatis praemium Themistocli dederunt.* Herodoti verba in vita Themistoclis Plutarchus ita repetiit: Εὐρυβιάδῃ μὲν ἀνδρείας, ἐκείνῳ δὲ σοφίας ἀριστεῖον ἔδοσαν, θαλλοῦ στέφανον.

Lib. IX. Cap. 6: Ἅμα δὲ ὑπομνήσοντας — προεῖπαι τε, ὅτι — τινὰ ἀλεωρὴν εὑρήσονται. Legendum censeo: προεῖπαί γε, ὅτι — Ita cap. 11, in verbis: χρήσεi τε συμμάχων καταλύσονται τῷ Πέρσῃ — omittendam esse particulam: τε, duo codices bonae notae indicant.

Cap. 11: Καταλυσάμενοι δὲ, δῆλα γὰρ δὴ, ὅτι σύμμαχοι βασιλῆος γινόμεθα, συστρατευσόμεθα. Cum pluribus codd. omittenda esse videtur particula superflua: δή. Simili modo legitur cap. 17: πρόδηλα γάρ, ὅτι ἡμέας οὗτοι — μέλλουσι — θανάτῳ δώσειν.

Cap. 13: Συμβαλεῖν πρὸς πόλι τε φιλίῃ καὶ χώρῃ ἱππασίμῃ. Plurium codicum auctoritas postulat magis consuetum: ἱππασίμῳ.

Cap. 19: Φρασθέντες δὲ τοῦτο ἀντετάσσοντο ἐπὶ τῆς ὑπωρείης τοῦ Κιθαιρῶνος. — Quum antecesserit: ἐμαθόν τε δὴ τοὺς βαρβάρους — haud dubie in nostro loco emendari debet: φρασθέντες τε τοῦτο — Sicut contra in cap. 26, verbis: ἢν δὲ νικηθῇ, τὰ ἔμπαλιν Ἡρακλείδας ἀπαλλάσσεσθαι καὶ ἀπάγειν τὴν στρατιήν, ἑκατόν τε ἐτέων μὴ ζητῆσαι κάτοδον — vera lectio esse videtur: ἑκατὸν δὲ ἐτέων — *non autem reditum intra centum annorum spatium moliri debere.*

Cap. 58: Ἀρταβάζου δὲ θώϋμα καὶ μᾶλλον ἐποιεύμην, τὸ καὶ καταῤῥωδῆσαι Λακεδαιμονίους· καταῤῥωδήσαντά τε ἀποδέξασθαι γνώμην δειλοτάτην. Vera lectio mihi esse videtur: καταῤῥωδήσαντα δὲ ἀποδέξασθαι. In antecedentibus autem verba: ἐπαινεόντων τούτους, τοῖσί τι καὶ συνηδέαται — ad Persas refero, quia ante dixerat: Περσέων ἀπείροισι, at illud: συνηδέαται, a: συνήδομαι, deduco. Iam horum verborum sensus erit: *Nam Persae eos* (sc. hostium) *adeo laudare solent, in quibus quaedam* (fortitudinis documenta) *eos delectant.* Sicut fecerunt in illo Pythea, Aegineta, fortiter se defendente. Conf. lib. VII, 181, lib. VIII, 92.

Cap. 59: Ἐπεῖχε τε ἐπὶ Λακεδαιμονίους τε καὶ Τεγεήτας μούνους. Etiam h. l. particula: τε, male intrusa et vera lectio esse videtur: ἐπεῖχε δὲ ἐπὶ Λακεδαιμονίους —

Cap. 98: Ωὐτὸς δὲ οὗτος ἐὼν τυγχάνει νόος τοῦ πρήγματος καὶ ὁ Θεμιστοκλῆος ὁ ἐπ᾽ Ἀρτεμισίῳ. Herodoti verba olim ita fuisse scripta censeo: τοῦ πρήγματος, ὃς καὶ ὁ Θεμιστοκλῆος —

Cap. 99: Τούτους μὲν Ἰώνων, τοῖσι καὶ κατεδόκεον νεοχμὸν ἄν τι ποιέειν δυνάμιος ἐπιλαβομένοισι — προεφυλάσσοντο — Interpretes non sine causa hunc locum in mendo cubare arbitrantur. Forte haec vera est lectio: τοῖσι καὶ κατεδόκεε ὦν νεοχμὸν — *quibus igitur* (cum a Graecis iritati essent) *rerum novarum studium, si quam*

agendi potestatem nanciscerentur, *etiam non displicebat.* Verba: *νεοχμόν τι ποιέειν*, etiam leguntur cap. 104.

Cap. 100: Ὡς δὲ ἄρα παρεσκευάδατο τοῖσι Ἕλλησι, προςήϊσαν πρὸς τοὺς βαρβάρους. Non satis adparet, quo referenda sit haec tertia persona pluralis plusquamperfecti. Nonne potius legendum est modo impersonali: ὡς δὲ ἄρα παρεσκεύαστο —

Cap. 106: Ἀθηναίοισι δὲ οὐκ ἐδόκει ἀρχὴν, Ἰωνίην γενέσθαι ἀνάστατον, οὐδὲ Πελοποννησίοισι περὶ τῶν σφετέρων ἀποικιέων βουλεύειν. Non quadrat lectio: Πελοποννησίοισι, ad hunc locum. Forte vera lectio hac emendatione elicitur: οὐδὲ Πελοποννησίους τί περὶ —

Cap. 107: Τὸν στρατηγὸν Ἀρταΰντην ἔλεγε πολλά τε καὶ κακά, ἄλλα τε καὶ γυναικὸς κακίω φὰς αὐτὸν εἶναι. Haec verba non satis convenire cum Herodoti elegantia videntur. Mihi quidem verisimilius est Herodotum scripsisse: ἔλεγε πολλά τε κατὰ ἄλλα καὶ γυναικὸς κακίω φὰς αὐτὸν εἶναι — Particula: καὶ, orta est ex prima syllaba vocabuli: κακά. Copulam: τε, porro innumeris locis male intrusam esse, nemo negabit. Ad talia loca, in quibus copula: τε, omittenda esse videtur, etiam locum in sequenti capite: 108: εὖ (τε) γὰρ ἐπίστατο βίης οὐ τευξομένη — refero.

Cap. 111: Τῶν καὶ σὺ μίην τῷ παιδὶ τῷ σεωυτοῦ ἠγάγεο γυναῖκα· αὕτη τε μοι κατὰ νόον τυγχάνει κάρτα ἐοῦσα. Verba posteriora: αὕτη — ἐοῦσα, aperte in parenthesi sunt posita. Ex eo enim, quod Xerxes suo filio desponsaverit filiam Masistae uxoris, non eius matris mores a Xerxe improbari posse coniecerat. Iam vero modeste adiicit: *mihi saltem meisque omnibus animi votis haec coniux respondet.*

Ad hanc vero interpretationem verborum defendendam legi debet: αὕτη γέ μοι — Non enim apto loco in his verbis particula: τε, est posita. Simili ratione in ultimis Herodoti verbis cap. 122, pro illis: ἄρχειν τε εἵλοντο, λυπρὴν οἰκέοντες — legendum censeo: ἄρχειν δὲ εἵλοντο.

IV.

Ion. Aug. Weicherti,

Phil. Doct. LL. AA. M. Scholae Viteberg. Rectoris

in

C. Valerii Flacci Argonautica

Observationes Criticae.

Argon. lib. I. v. 12.

— — *versam proles tua pandet Idumen,*
(Namque potest) Solymo nigrantem pulvere fratrem.

Errat haud dubie I. Fr. Gronovius, qui Observatt. IV. c. 12. p. 656. ed. Platn., ubi h. locum prolixe persequitur, *pandet* certioris fidei esse contendit, quam *pandit*, quod Codd. Vatic. Monac. et Bon., quos Delamallus nuper contulit, et Cod. Th. Coki, cuius lectiones amicissimus Handius mecum communicavit, et Edit. Pr. 1474. sui testimonii auctoritate firmant. Vet. Codex habet *pandat*, ab Aldo et nuper a Wagnero, blandius scilicet hoc et Domitiano honorificentius esse existimante, denuo expressum: quod quo minus mea approbem assensione, me inficetus, quam infert, languor impedit. Unice vera lectio est *pan-*

lit, utpote quam a tota narrationis serie et a solenni ırationis poëticae, quae in eiusmodi invocatione a ıoëtis plerumque usurpatur, indole flagitari nemo, pinor, non videt. Valerius enim rem futuram, tanuam praesentem et certissimam, divinae mentis raesagio intuetur, atque ita totius loci sublimitaem et gravitatem adauget. — Utriusque linguae criptoribus in id genus locis familiaris est Praesentis 'emporis usus, cf. Burgess. ad Dawesii Miscell. Crit. . 514. Schrader. ad Mus. p. 49. Perizon. ad Sanct. linerv. T. I. p. 133. ed. Bauer. et Cortius ad Sallust. . Iug. c. XIV. 2. c. LXXXVII. 4., His scriptis laetus ıtellexi, Handium in notis ad Gronovii Diatr. Stat. . 298. idem mecum sentire, etsi in diversi temporis *ootest* et *pandet*) compositione praeter necessitatem fendi videtur. Idem quoque recte cum N. Heinsio ı Advers. lib. II. c. 3. p. 225. „*Namque potest*" dendit: qui enim *Namque potes*, uti etiam Cod. Coki ıbet, scribendum censebant, prorsus nexum neglerunt et latinae linguae usum ignorarunt. Est enim ıec usitata poëtis *βραχυλογία*, quam exemplis illuratam vide ab Arntzenio ad Plin. Paneg. c. 78. p. ;9. et Burman. ad Anthol. Latin. T. I. p. 175. Hoc co supple: *Namque potest* sc. *pandere*.

I, 39.

— *fictis dat vultum et pondera verbis.*

Codd. omnes, Edit. Pr. et editt. vett. habent *fi-*:*s* — *dictis*: quam posteriorem vocem exsulare iusprimus Burmannus, cuius auctoritatem secuti sunt ırlesius, Edit. Bip. Wagnerus et Delamallus. Vem enim vero Codd. et Editt. vett. auctoritas praentior est Burmanni ingenio: quapropter vulgatam :*tis*, cuius patrocinium iam Wopkens. in Lect.

IV.

Ion. Aug. Weicherti,
Phil. Doct. LL. AA. M. Scholae Viteberg. Rectoris

in

C. Valerii Flacci Argonautica

Observationes Criticae.

Argon. lib. I. v. 12.

— — *versam proles tua pandet Idumen,*
(Namque potest) Solymo nigrantem pulvere fratrem.

Errat haud dubie I. Fr. Gronovius, qui Observatt. IV. c. 12. p. 656. ed. Platn., ubi h. locum prolixe persequitur, *pandet* certioris fidei esse contendit, quam *pandit*, quod Codd. Vatic. Monac. et Bon., quos Delamallus nuper contulit, et Cod. Th. Coki, cuius lectiones amicissimus Handius mecum communicavit, et Edit. Pr. 1474. sui testimonii auctoritate firmant. Vet. Codex habet *pandat*, ab Aldo et nuper a Wagnero, blandius scilicet hoc et Domitiano honorificentius esse existimante, denuo expressum: quod quo minus mea approbem assensione, me inficetus, quam infert, languor impedit. Unice vera lectio est *pan-*

dit, utpote quam a tota narrationis serie et a solenni orationis poëticae, quae in eiusmodi invocatione a poëtis plerumque usurpatur, indole flagitari nemo, opinor, non videt. Valerius enim rem futuram, tanquam praesentem et certissimam, divinae mentis praesagio intuetur, atque ita totius loci sublimitatem et gravitatem adauget. — Utriusque linguae scriptoribus in id genus locis familiaris est Praesentis Temporis usus, cf. Burgess. ad Dawesii Miscell. Crit. p. 514. Schrader. ad Mus. p. 49. Perizon. ad Sanct. Minerv. T. I. p. 133. ed. Bauer. et Cortius ad Sallust. B. Iug. c. XIV. 2. c. LXXXVII. 4. His scriptis laetus intellexi, Handium in notis ad Gronovii Diatr. Stat. p. 298. idem mecum sentire, etsi in diversi temporis (*potest* et *pandet*) compositione praeter necessitatem offendi videtur. Idem quoque recte cum N. Heinsio in Advers. lib. II. c. 3. p. 225. „*Namque potest*" defendit: qui enim *Namque potes*, uti etiam Cod. Coki habet, scribendum censebant, prorsus nexum neglexerunt et latinae linguae usum ignorarunt. Est enim haec usitata poëtis βραχυλογία, quam exemplis illustratam vide ab Arntzenio ad Plin. Paneg. c. 78. p. 339. et Burman. ad Anthol. Latin. T. I. p. 175. Hoc loco supple: *Namque potest* sc. *pandere*.

I, 39.

— — *fictis dat vultum et pondera verbis.*

Codd. omnes, Edit. Pr. et editt. vett. habent *fictis* — *dictis*: quam posteriorem vocem exsulare iussit primus Burmannus, cuius auctoritatem secuti sunt Harlesius, Edit. Bip. Wagnerus et Delamallus. Verum enim vero Codd. et Editt. vett. auctoritas praestantior est Burmanni ingenio: quapropter vulgatam *dictis*, cuius patrocinium iam Wopkens. in Lect.

Tull. p. 32. suscepit, reponendam esse censeo. Offensioni fuit Burmanno versus leoninus vel rhopalicus, (ita huiusmodi versus Er. Schmidius in Hypomn. ad Gr. Melanchth. Lat. p. 410. ἀπὸ τοῦ ῥοπάλου vocat, ut exprimat Germanorum Knittelvers,) quem Valerio indignum putavit: hinc *verbis* substituit. Sunt, praeter Burmannum, alii, v. c. Spanhem. in Les Césars de Julien, p. 33. Markland. ad Stat. Sylv. V, 5, 283. et Winkelmann. in Histor. Art. T. II. p. 349. ed. Fea., qui id genus versus vitio poëtis vertant eosque corrigendos ducant: sed quam prave et temere hoc fiat, a quovis, opinor, linguarum veterum indole intentius considerata, intelligitur et iam a Brouckhus. ad Tibull. I, 1, 3. demonstratum est. Versus ὁμοιοτέλευτοι vel invitis poëtis, lingua ipsa sic ferente, praesertim in Pentametris, excidere debebant, qui tamen longe diversi sunt a versibus recentiorum linguarum homoeoteleuticis, quorum usus ex Arabia in Hispaniam translatus ad nos pervenit. v. Bouterweckii Histor. Poës. et Rhet. T. I. p. 50. cf. Herder. in Adrast. V. Fasc. 2. p. 247—53. Quo factum est, ut apud optimos quosque poëtas, quum graecos tum latinos, passim eiusmodi versus occurrant: quos, renitentibus potissimum libris, corrigere temerarii atque inconsulti est iudicii. Similis versus, nulla arte emendandus, invenitur lib. V. Arg. v. 304. „*Mens rapit undantem curis ac multa novantem*" aliosque collectos dabunt C. Barth. ad Stat. Theb. II, 239. T. II. p. 396. Scaliger Poëtic. Lib. II. c. 29. Brouckhus. ad Propert. I, 8, 11. Burmann. ad Lotich. p. 355. et 493. Schrader. ad Mus. p. 140. Idem in Emend. p. 105. Hier. de Bosch. in Observatt. et Not. ad Anthol. Gr. p. 268. I. H. Vossius in Symb. Crit. ad Tibull. p. 398. et Passovius ad Persii Sat. I. p. 313. qui utiliter quaedam de hac re monuit.

I, 63.

Et dabat hesterno liventia mella veneno.

Hoc etiam loco revocandum esse censeo *externo* — *veneno*, quod Codd. et Editt. vett. omnium testimonia tuentur, licet N. Heinsius ad h. l. et in Advers. II, c. 4. p. 234. et Burmannus aliter sentiant. Loca a VV. DD. ad firmandum *hesterno* prolata nullum ferme habent momentum nec non huius vocabuli explicatio perquam friget. Unde enim quaeso sciunt, Medeam pridie mella miscuisse veneno? Et cur, id a poëta moneri, necesse erat? Nemo his, opinor, perpensis, dubitabit, *externo*, quod libri scripti, ut dixi, pertinaciter tenent, in textum recipere et mecum et Delamallo T. I. p. 6. h. verbum *oris externis allato*, explicare. Nam venenum, ex poëtarum veterum sententia, ab externis et remotis allatum terris, maxime commendabatur. v. I. H. Voss. ad Virgil. Ecl. VIII. p. 434. Quod N Heinsius obiicit, Medeam praesentissimum venenum e vicino Caucaso depromere potuisse, neque ipsi, ut ad externa confugeret venena, opus fuisse, id quidem, quum Romanum poëtam in manibus versemus, nullius est evidentiae. Mella vocantur *liventia* ab effectu veneni, quod rebus corporibusque livorem inducere solet. v. Stat. Theb. IV, 58. Intelligendae autem hic sunt μελιτοῦτται, de quibus egit Creuzerus in Symbol. T. II. p. 339. Utraque vox *hesternus* et *externus* haud raro a librariis confusa est, ut docuerunt Drakenb. ad Sil. Ital. IX, 209. et Kuinoel. ad Propert. T. II. p. 299.

I, 105.

Hos stimulant, magnaque ratem per lustra viasque
Visi laude canunt manifesto in lumine Fauni.

Dubius haereo, utrum pro *visi*, quod N. Heinsii ingenio debetur, constantem Codd. et Editt. vett. lectionem, *iussi* restituam? Etsi ego non tam plumbeus sum, ut diffitear, N. Heinsii coniecturam ingeniosam pariter esse ac probabilem; tamen, quum ne levissima quidem corruptionis vestigia in libris scriptis appareant, vulgatam, quae et ipsa bona est, retinere malo, ne genuina poëtae verba temere tentasse videar. Igitur retinebimus *iussi*, ut Fauni, a Iunone *iussi* dicantur: ita haec vox sensu non cassa erit. Edit. Pr. habet *stimulat*, quod ad Iunonem referendum est. Omisit hoc monere, ut aliquoties, Delamallus.

I. 117.

Hunc quoque nec socium nostrae columenve carinae
Esse velim.

Recte Wagnerus et Delamallus dederunt *Nunc quoque*, uti plurimi libri praebent. Egregie inservit haec particula exprimendae Iunonis indignationi atque irae, quae, uti nusquam, ita quoque *nunc* i. e. in hac periculosa navigatione Herculem laborum periculorumque socium esse non vult. Sic nos irati rem factumve aversantes dicere solemus: *auch itzt nicht*. *Hunc* totius loci vim infringit, *nunc* adauget. Haec autem vox exterminanda esse videtur v. 152. „*in solum nunc saeviet Aesona pontus?*" *Nunc* languet: quare e Pii et Carrionis Codd. restituere placet *num*.

quod ob seq. *Non iuvenem* etc. (ubi *non* pro *nonne* ponitur, ut saepe, v. Burman. ad Ovid. Tr. III, 4, 24.) meliorem nexum constituit.

I, 120.

— — *et Haemonias oculos detorquet ad undas.*

Codd. Vat. II Reg. Burm. et Bonon. nec non Edit. Pr. 1474., quod Delamallus iterum monere oblitus est, praeferunt *oras*, quae lectio haud dubitanter τῷ *undas* anteponenda est ob vers. seq., qui *oras* h. e. litus, non undas, nos cogitare iubet. Vid. IV, 115. „*extremum nati prospexit in oras.*" cf. I, 394. III, 508.

I, 150.

— — *Heu miseros nostrum natosque patresque.*

Pro *natosque* coniecit Burmannus *matresque*, quod etiam Harlesius in Cod. invenit, neque ego illi coniecturae calculum meum addere gravor, quia vulgata, ut bene docuit Burmannus, habet, quo offendat. cf. v. 315. et Stat. Theb. XI, 183.

I, 157.

Talia contanti laevum Iovis armiger aethra
Advenit: et validis fixam erigit unguibus agnam.

Prorsus assentior doctissimo Handio, qui ad Gronov. Diatr. Stat. p. 418. v. 156. pro *contanti* e Cod. Coki lectionem *conanti*, iam ab Harlesio e Cod. enotatam et a Delamallo in Codd. Vatic. Mon. et Bon. repertam, restituendam censet eamque bene *moliri, meditari* explicat. Plus tamen in hoc diversarum lectionum iudicio Codd. auctoritati tribuo, quam ratio-

nibus ab Handio propositis. Etenim si *contanti* Codd. fide niteretur, non plane spernendum esset. Neque opus est, ut *cunctanti* scribatur: sic Handius existimat, non item ego. Utraque enim vox eiusdem originis et eiusdem notionis apud veteres fuisse videtur, quam serioribus temporibus ita discernebant, ut *contari* et *percontari* de interrogatione, inquisitione, *cunctari* autem de meditatione, deliberatione adhiberetur. cf. loca a Gronovio in Observatt. I. c. 18. p. 111. allata et Perizon. ad Sanct. Minerv. T. I. p. 384. ed. Bauer. Verrius Flaccus *contari* derivat *ex nautico usu, qui conto i. e. pertica pertentant cognoscuntque aquae altitudinem*, plane ut gr. πυνθάνομαι a πύθος πύνθος *fundus*, descendit. Igitur *contari* est perscrutando sciscitari et, qua ratione quaeque res perfici queat, meditari, deliberare. Festi ratio sub *percunctatio*: „*quod is, qui curiose quid interrogat, per cuncta visit*," paulo contortior mihi cum Goerenzio ad Ciceron. Acad. I. c. 1. §. 2. esse videtur, etsi ei subscripsit Heumannus in Cellarii Orthogr. p. 217. ed. Harl. — Nam quemadmodum veteres *fruns*, *cunchis* pro *frons*, *conchis* dicere consueverunt (v. Priscian. p. 553.), sic *cuntus* pro *contus* et plenius *cunctus*, uti *auctor* pro *autor*, pronuntiasse videntur, hinc *contari* et *cuntari* in usum venit. Verum licet, habita significationis et usus ratione, *contanti* ferri possit, tamen, suadentibus libris scriptis, *conanti* hic praefero atque ita explico, ut Iasoni talia *conanti* i. e. *agenti, molienti* interveniens aquila augurium tulisse dicatur. — V. 157. *erigit*, quod suspectum faciunt Codd. Mss., haud dubie textu exturbandum est. Quum enim hic verbum, quod notionem in altum tollendi, celeriter et violenter rapiendi et auferendi, ob seqq. v. 159. „*citus occupat auras*" requiratur; liquet, *erigere* hic parum convenire. Videlicet hoc verbum

non nisi vim elevandi aliquid et paulo sursum tollendi habet. Ita lib. III, 331. „*Erigit haerentem*“ idem est, quod v. 339. „*Hunc crebris quatiens singultibus ora Allevat Aesonides.*“ Proinde quod Handius l. c. τὸ *erigit* defensurus protulit exemplum e Virgil. Aen. III, 422. „*Sub auras fluctus erigit*“ parum hic momenti habet, quum *erigit* nil nisi *elevat, protrudit* ibi denotet. Aquila vero agnam terra non elevat sursumve tollit, sed quum vi et celeritate aufert, nubes petitura. Quae quum ita sint, non dubito, quin hic legendum sit:

et validis fixam eripit *unguibus agnam.*

Eripit itidem Burmanno arrisit et librariorum error in utraque voce commiscenda perquam facilis erat neque insolens deprehenditur. v. Intpp. ad lib. IV, 279. Quam emendationem ut veram putem, bina faciunt Virgilii loca Aen. V, 254. „*quem praepes ab Ida Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis*“ et XII, 249, „*subito cum lapsus* (Iovis ales) *ad undas Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.*“ quae si quis certo sibi persuaserit a Valerio Flacco expressa esse, eidem de vera huius loci lectione nulla, opinor, supererit dubitatio.

I, 255.

Iamque aderat summo decurrens vertice Chiron,
Clamantemque patri procul ostentabat Achillem.

Burmannus ambigit, an *clamantem* vel *ostentabat* cum verbo *patri* iungendum sit; sed si vers. seq. intentius legisset, ubi Peleus ad notas filii Achillis voces erectus esse dicitur, sine dubio non haesisset. Puer scilicet Achilles *patri clamavit* h. e. acclamavit, quo laetabundus pueri patrem conspicientis animus suaviter depingitur. Ita recte verba iunxit I. F. Gro-

nov. in Gustu ad Stat. Theb. V, 462. p. 389., quam non erat, quod sequi dubitaret Burmannus. — *Ostentabat* Valerius Heinsio debet: Carrion dedit *ostendebat* e vet. Cod. idque firmant denuo Codd. Vat. Mon. et Bon. — Ego hoc recte se habere puto, quum hic non sit identidem iteratisque vicibus, sed semel omnino ostendere: cf. quae de hoc verbo monuit Drakenb. ad Liv. II, 23, 4. et Buenemann ad Lactant. de fals. Sap. III, c. 27. p. 406. Utraque vox haud raro confunditur v. Drakenb. ad Liv. XXVIII, 3, 11. Aliter se res habet in Virgil. Aen. XII, 479, „*Iamque hic germanum, iamque hic ostentat ovantem.*“ ubi sic recte Pierius et N. Heinsius pro Vulg. *ostendit* e Codd. rescripserunt: apud Valerium vero *ostendebat* indubitate legendum erit.

I, 373.

— — et tortum non a Iove fulmen Oileus
Qui gemet Euboicas nato stridente per undas.

Pius verba: *nato stridente* sic intelligit: „*Aiace querente fata sua: vel vulnere stridorem emittente ex plaga, sanguine auras terebrante: vel fulminis vi in aquis luctantis.*“ Ego nullam harum interpretationum probare possum. Burmanno de vulnere explicatio haud displicet ob lib. III, 278. cuius tamen loci longe diversa est ratio. Equidem Aiacem *stridentem* ideo vocari coniicio, quia fulmine ictus et flamma circumdatus et combustus in Euboici maris fluctibus demergebatur et, tanquam ferrum candens, stridorem emittebat. Haec explicandi ratio procul dubio doctior est et poëta dignior. *Stridere* de fulmine apd Stat. Theb. X, 932. Conferri meretur Quintus Smyrn. XIV, v. 557. „πολλοὶ δέ μιν ἔνθα καὶ ἔνθα σβεννύμενοι σμαράγιζον ἔσω πόντοιο κεραυνοί,“ qui a vers.

416—630 totam historiam de Aiace ad Caphareas rupes naufragium passo persequitur. v. Heynius ad Virg. Aen. XI, 260.

I, 590.

— — *cum flens Siculos Oenotria fines*
Perderet, et mediis intrarent montibus undae.

Burmannus emendavit *latrarent*, quae emendatio uti ipsi certissima aliisque ingeniosa visa est, sic ego eam huic loco prorsus inconvenientem dicere nil moror. Etenim, si quid video, hic non de maris aestu fluctuumve sonitu vel fragore, qui latratui assimilari solet, sermo est, sed de abscindendi terrasque disrumpendi actu vel de fluctuum impetu, quo viam sibi faciunt, quo ruptis utrinque terris intrant. Ergo *intrarent* nullo pacto moveri debet et sensus totius loci hic est: Italia flebat perditos Siciliae fines, quum undae divulsis montibus irrumperent sibique viam et exitum inter utramque terram facerent. *Intrare* aliquoties iungitur tertio casui. v. N. Heinsius ad Sil. Ital. VI, 498. et Drakenb. ad Eund. XIV, 391. licet hoc Burmannus h. l. et ad Virgil. Aen. VIII, 389. neget et serioris aevi esse moneat. Vulgatam defendit Virg. Aen. III, 417. „*venit medio vi pontus et undis Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes Litore diductas angusto interluit aestu.*,“ quem Noster ante oculos habuisse videtur. Adde loca, quae N. Heinsius in Advers. lib. II, c. 4. p. 237. et Schrader. ad Avien. Desc. Orb. 832. in Wernsdorf. P. L. M. T. V. P. II. p. 1063. attulerunt.

I, 636.

— *iunguntque manus atque ora fatigant:*
Adspectu tota in misero cum protinus alnus
Solvitur etc,

Ita hic locus interpungitur in Editt. Burm. Harles. et Bipont; quam prave, in aprico est. Cel. Beckius primus hoc sensit et in Biblioth. N. Phil. Vol. I. Fasc. II. p. 262. scite interpunxit et emendavit: *atque ora fatigant Adspectu* toti *in misero*, quod Wagnerus in texta intulit. Eleganter apud Latinos dicitur *totus esse in aliqua re* v. c. apud Terent. Adelph. IV, 2, 50. Horat. Serm. I, 9, 2. et alibi. Delamallus, qui hanc Beckii correctionem ne memoravit quidem, itidem h. l. interpunxit, praeeunte Scaligero in Poet. lib. VI. c. 6. neque ego, ut qui ne literarum quidem apicem citra necessitatem mutare velim, ei adstipulari dubito. Quare, virgula tantum post *misero* posita, hic nihil mutandum esse puto. *Ora* sunt oculi, qui *toti* eleganter dicuntur, quatenus intenti et quasi infixi erant misero illi adspectui. Etenim *totus* inservit exprimendae attentioni, quam alicui rei impendimus; hinc *tota mente*, *toto animo et pectore cogitare*, *sentire*, *amare* occurrit, quo mentis vim animique intentionem exprimere solent Romani. Hanc ob causam nolim cum Burmanno *tota* movere, quod plurimorum librorum testimonio fultum nititur. Delamallus T. I. p. 194. vertit: *Et tous leurs yeux remplis de ce spectacle affreux, se fatiguaient à suivre et la mer et les cieux.*

I, 652.

— — — quos caerulus Horror
Et madido gravis unda sinu, longeque secutus
Imber, ad Aeoliae tendunt simul aequora portae.

Quae sint *aequora Aeoliae portae* nemo, si recte memini, explicuit: de mari circa Aeoliam i. e. Liparen cogitare, durum est. Carrion in Codd. invenit: *aequore* itemque Harlesius *portas*: quare parum abest, quin ego cum Harlesio h. locum sic refingam:

ad Aeolias tendunt simul aequore portas.

h. sensu: ex aequore, ubi furebant venti (v. 608. 614.), se recipiunt ad Aeoli, regis domum, quam Valerius poëtice *Aeolias portas* appellat: v. 609. „*tum valido contortam turbine portam impulit Hippotades.*" Harlesius *simul* male cum *aequore* iunxit, quum potius ad *tendunt* referendum et ea sumendum sit notione, ut denotet: *una, iunctim:* de quo vocis usu vide Gronov. ad Senec. Troad. v. 1046. Intpp. ad Nemes. Cyneg. v. 158. Burman. ad Val. IV, 88. item Drakenb. ad Liv. I, 31, 3. VIII, 31, 7.

I, 662.

Salmoneus nondum ille furens, quum fingeret alti
Quadrifida trabe tela Iovis, contraque ruentem
Aut Athon, aut Rhodopen; moestae nemora ardua Pisae
Aemulus et miseros ipse ureret Elidis agros.

Durior, quam quae admittenda sit, mihi videtur Burmanni ratio, qua ad *ruentem* suppletur *Iovem:* quapropter *ruentis* Cod. Vat. lectionem praeferre malo verborumque ordinem ita constituo: *cum fing. quadr. tr. tela Iovis alti et ruentis contra* etc.

Intelligendus est *Ζεὺς καταιβάτης*: quemadmodum vero Iupiter cum imbre, nive, fulmine et tonitru in terram descendere dicitur, v. Mitscherl. ad Horat. I, 16, 12., sic h. l. *contra Athon et Rhodopen ruit* i. e. hos montes fulmine et tonitru ferit. Poeta verbum ad sensum gravius de industria elegisse videtur estque *ruere* hac in re usitatum: vide quos laud. Ruperti ad Sil. Ital. I, 251. Non igitur est, quod Delamallus T. I. p. 198. *Iovem contra montem ruere* recte dici neget. — V. 664. leg. *Atho*, uti recte Wagnerus dedit, quem non deserere debebat Delamallus. *Athon*, etsi in plur. Cod., etiam in Cod. Coki, quod Burm. non notavit, reperitur, repugnat metro, uti iam alibi alii docuerunt: v. Intpp. ad Virg. G. I, 332. et Micyllus ad Ovid. A. A. II, 517. qui, quod obiter moneam, Merulam sine causa vituperat, quod *Athon*, *Athonis* flexerit. Nam Servius ad Virg. Aen. XII, 701. „*Quantus Athon*" ita: *haec est vera lectio; nam si Athos legeris, os brevis est et versus non fiat.* (Haec Servii observatio locum habere nequit, nisi apud Graecos Ἄθος quoque in usu fuisse statuamus.) *Athon*, pergit Servius, *dici, Accusativus indicat; nam hunc Athona facit, sicut Apollon, Apollona.* Hactenus Servius. Hoc firmat Lucilius p. 97. ed. Dous. „*Αἰγίλιποι montes, Aëtnae omnes, asperi Athones*" (ita hic versus interpungendus!) et inprimis Cicero, qui libr. III. de Republ. (refer. Prisciano p. 710.) ita: „*quid ergo illa sibi vult absurda exceptio, nisi quis Athonem pro monumento vult funditus efficere? Quis enim est, Athos aut Olympus tantus?*" Haec contra Micyllum de declinandi ratione τοῦ *Athos* monere libuit: referamus pedem ad Valerium, ubi *Atho* legendum esse etiam Theocritus Id. VII, 76. docet: „Εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἷμον, Ἢ Ἄθω, ἢ Ῥοδόπαν, ἢ Καύκασον

ὀχατόεντα." — Batavus quidam Criticus, Ezras de Clerqcq in Observatt. in Lucan. lib. I, p. 24. (Lugd. Bat. 1772.) h. Valerii locum, ut e Delamalli Comment. T. I. p. 197—99. intellexi, pingui Minerva ita tractavit:

qui fingeret alti
Quadrifida face tela Iovis, tonitrumque ruentem
Aut Atho, aut Rhodopen, moestae cum moenia Pisae
Aemulus, et miseros exureret Elidis agros.

Hae emendationes, si quae sint, licet Delamallo arrideant, ita, meo sensu, comparatae sunt, ut neminem, qui Valerii ingenium aliquantisper noverit, fore existimem, qui non hunc Criticum eodem, quo medicum sano corpori medentem, animo reiiciat averseturque. — Aliquam similitudinem cum h. loco habet Stat. Theb. III, 317—20. „*Non ocius alti In terras cadit ira Iovis, si quando nivalem Othryn, et Arctoae gelidum caput instititit Ossae, Armavitque in nube manus.*"

Argon. lib. II, v. 62.

— — quantis, pro Iupiter, austris
Restitimus! quanta quoties et Palladis arte,
Incassum decimae cecidit tumor arduus undae.

Vers. 53. admodum hiulcus est, quem a Valerio ita procusum esse, nullo pacto mihi possum persuadere. Quae tandem verborum collocatio *quanta quoties!* Et quam alieno loco copula *et* intrusa est, licet, ut alibi ostendemus, poëta in huius voculae usu fluctuet. Ego hanc labem non diutius in Valerio feren-

dam esse puto: quare verba, a librariorum oscitantia confusa, uti N. Heinsius iam suspicabatur, in pristinum ordinem repono:

quoties et quanta Palladis arte.

Vers. 54. sermonem esse de τρικυμίᾳ, liquet: de qua v. Barnes. ad Eurip. Troad. 83. et de lat. *fluctu decumano* v. Intpp. ad Ovid. Met. XI, 530. Trist. I, 2, 50. et Delamall. ad h. l. T. I, p. 307.

II, 57.

— — certusque ad talia Titan
Integer in fluctus et in uno decidit Euro.

Tetigi h. locum in Epist. Crit. p. 34., ubi lectionem *uno* — *Euro* utcunque defendere studebam; fassus tamen sum, mihi huius loci sensum nec dum satis liquere: qua in sententia etiamnum persisto. Nam fac, Eurum, quae mea ibi fuit suspicio, pro quovis poni vento et Solem uno flante vento occidentem serenae signum esse tempestatis, tamen, si quid sentio, ineptum erat, Eurum, ventum maxime praecipitem et omnium infestissimum (v. Virg. G. I, 453. II, 339. IV, 29, 192. Valer. Flacc. II, 565. Stat. Theb. I, 193. et I. H. Vossius Epist. Mythol. I. p. 237.), tanquam serenitatis πρόδρομον et nuntium hic memorare. Nam quod Delamallus in Versione Gallica (*Et seul le doux zéphyr murmurait sur la plage*) expressit, et doctissimus Epist. Crit. meae Censor in Ephemer. Ien. liter. N. 160 (1812.) p. 245. opinatur, Eurum hic de Zephyro intelligendum esse, id temere sumtum esse videtur. Prior opinationem suam nullo, posterior unico firmavit loco, ex Ovidii Trist. I, 2, v. 27. depromto:

Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu:
Nunc Zephyrus sero vespere missus adest.
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto:
Nunc Notus adversa proelia fronte gerit.

quem locum nullius hic evidentiae esse, ut prolixe demonstrem, Censoris doctrinae aeque atque humanitati debeo. Ovidium de quatuor ventis, qui dicuntur, cardinalibus loqui, jam Ciofanus recte monuit: proinde vel sensus utriusque loci, quum Ovidiani tum Valeriani, prorsum diversus est, nihilque similitudinis habet. Verba autem *sero vespere*, quae V. D. fraudi fuisse videntur, non *tempus* quo flat, sed *regionem*, unde flat, indicant: quod versus antecedens et consequens et verbum *missus* aperte docent. *Zephyrus* enim, lat. *Favonius* (v. Plin. H. N. XVIII, 34. s. 77.), nost. *Westwind*, verni temporis nuntius a plaga occidentali flat. cf. Senec. Quaest. Nat. lib. V. c. 16. §. 5. ed. Ruhk. et Ovidius in ventorum numero sequitur Homerum Odyss. V, 295. „Σὺν δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἔπεσε, Ζέφυρός τε δυςαής, Καὶ Βορέης αἰθρηγενέτης, μέγα κῦμα κυλίνδων.“ quocum convenit Hesiodus Theog. 378—80., qui Eurum ibi Argesten appellat. Hunc ventorum numerum serius conduplicatum esse, e Plin. H. N. II, 47, constat, quibus deinde, refer. Senec. l. c., quatuor alios addebant, ut duodecim essent, cf. Gell. N. A. II, 22. et Ruhk. ad Senec. l. c. — *Eurus*, Graecis etiam Ἀφηλιώτης, Romanis *Subsolanus* dictus, ab Ovidio et nomine et ortus regione a Zephyro diserte distinguitur; hinc lubenter fateor, me non perspicere, quo iure doctissimus Censor hoc Nasonis loco ad fulciendam opionionem suam uti potuerit. Verum si vel unus itemque alter locus, ubi Eurum pro Zephyro nominari in propatulo esset, in medium proferri posset: quod, etsi poëtas in ventorum nominibus parum diligentes esse ac religiosos

haud me fugiat, etiam nunc addubito: tamen ante omnia idoneis probandum erit exemplis, flatum solius Zephyri vespertinum serenae tempestatis prognosticon esse. Sumit hoc Is. Vossius, sumit Delamallus, itemque Censor: nullus tamen exemplum protulit. Neque ego unquam fando legendove comperi, solius Zephyri vel cuiuscumque venti sub vesperam flatum εὐδίας signum a veteribus esse habitum et a nostratibus haberi: quae enim in Epist. Crit. p. 35. e Festo Avieno protuli loca, huic opinioni, ut tum mihi visum est, faventia, de νηνεμίᾳ explicari debent. Harlesii opinio, lectionem *in uno Euro* forsitan ex situ et plaga coeli, quam habuerint Argonautae, lucem accipere, est mera ac vana suspicio. Quibus de causis inducor, ut hunc locum mendosum habeam corrigendumque esse putem:

Integer in fluctus et in uno decidit auro.

Hanc optimam lectionem invenit Carrion in Codd. Basil. et Argent., item Pius et N. Heinsius in Codd. suis, eiusque bonitatem agnoverunt idem Heinsius, Burmannus, Wagnerus: qui tamen omnes religione nescio qua praepediti locum ei in Valerio concedere dubitarunt. Ego prolixiori expositione efficere conabor, ut eam Valerio in perpetuum vindicem. *Aurum*, quod centies de Solis et Siderum splendore occurrit, v. N. Heinsius et Burman. ad h. l. et ad V, 370., h. l. egregio inservit describendo splendidissimo illi spectaculo, quo Sol occidens Horizontem *uno auro* i. e. perpetuo iubare, aureo rubore, circumfundit. Hanc rem suaviter depingit Ennius in Fragm. apud Macrob. VI. Sat. c. 4. p. 597. ed. Zeune, ita:

interea fax
Occidit, Oceanumque rubra tractim obruit aethra.

quo in loco nolim Hesselius vocem *tractim* suspectam

habuisset, etsi eam haud incommode in *tactum* mutaveris. v. Senec. Herc. Fur. v. 38. et Bentlei. ad Horat. Od. II, 15, 9. Illud vocabulum enim graphice repraesentat continuum Solis radiantis iubar et bene redditum est a I. H. Vossio ad Virg. G. III, p. 617.

Aber das Licht nun
Sank, und ergoss langhin dem Okeanos rothe Verklärung.

Pari elegantia Noster *uno* — *auro* dixit: nam *uno* bene respondet *τῷ tractim* neque, uti N. Heins. et Burm. fecerunt, alia voce commutandum est: significat *continuus, perpetuus,* v. Burmann. ad lib. VII, 229. et, quem laudat, N. Heinsius ad Claudian. II. in Eutrop. 285. et ad VI. Cons. Honor. 238. — Ennii loco adde Virgil. G. III, 358. „*Nec quum invectus equis altum petit aethera, nec quum Praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum.*“ Senec. Herc. Oet. v. 448. „*cum ferens Titan diem Lassam rubenti mergit Oceano rotam.*“ cf ei. Trag. v. 1835. Cicero in fragm. Arat. (de Nat. Deor. II, 43.) „*vada radiantis ponti.*“ Stat. Theb. III, 408. „*Phoebus pronus — rutilamque lavabat Oceani sub fonte comam.*“ Theb. lib. V, 476. „*Ut flata lux pelago, venturumque aethera sensit Tiphys et occidui rubuere cubilia Phoebi.*“ Festus Avien. Progn. v. 311. 334. *rutila stagna*“ Phaen. v. 34. 127. 128. cf. I. H. Voss. ad Virg. G. I, 126. His locis sedulo comparatis apparet, *aurum* Soli puro nullisque obvelato nebulis nubibusve a poëta recte tribui. Quod si nostro Titan, ut cum poëtis loquar, certus et integer in fluctus cadit, in uno auro, in rubenti Oceano rotam mergit, prosperam sperare licet tempestatem ventorumque opportunitatem: quod multis locis probare factu haud erit difficile, sed pauca sufficiant. Vid. Arat. Diosem. v. 825 — 27.

„Εἰ δ' αὔτως καθαρόν μιν ἔχοι βουλύσιος ὥρη, Δύνοι δ' ἀνέφελος μαλακὴν ὑποδείελος αἴγλην, Καὶ μὲν ἐπερχομένης ἠοῦς ἔθ' ὑπεύδιος εἴη." — Ibidem v. 858—861. „Εἰ δ' ὁ μὲν ἀνέφελος βάπτοι ῥόον ἑσπερίοιο, ταὶ δὲ κατερχομένου νεφέλαι καὶ οἰχομένοιο Πλησίον ἑστήκωσιν ἐρευθέες, οὔ σε μάλα χρὴ Αὔριον οὐδ' ἐπὶ νυκτὶ περιτρομέειν ὑετοῖο. Vide Scholia ad h. ll. et inprimis ad posteriorem Schol. Theonis T. I. p. 340. ed. Buhle, quae maxime huc faciunt. „Ἐὰν δὲ ὁ ἥλιος αὐτὸς δίχα νεφελῶν δύνηται, ἀνωτέρω δὲ αὐτοῦ νεφέλαι ὑπάρχωσι ἐρυθραί, καταδύνοντες δὲ αὐτοῦ καὶ ἤδη δεδυκότος, εὐδίαν ἴσθι κἀκείνῃ τῇ νυκτὶ καὶ τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ γενησομένην. Ἐξ αὐτοῦ δὲ τοῦ ἡλίου νεφέλαι φαίνονται, καθάπερ χρυσίζουσαι, ὅτε σφόδρα αὐτὸν καθαρὸν δέχονται. — ὅτε δὲ χρυσίζουσι, καθαρὸν ἐδέξαντο τὸ φῶς, καὶ ἑξῆς εὐδιεινὸς καιρός. — Ἐὰν οὖν καθαρὰν καὶ ἀνεπιθόλωτον νέφους ὁ ἥλιος τὴν δύσιν ποιήσῃ, αἱ δὲ πλησίον τοῦ ὁρίζοντος νεφέλαι ἐρυθραί, προςδόκα εὐδίαν. — Virgil. Georg. III, 458. „*At si, quum referetque diem, condetque relatum, Lucidus orbis erit; frustra terrebere nimbis, Et claro sylvas cernes Aquilone moveri.*" — Stat. Theb. I, 342. „*Sed nec puniceo rediturum nubila coelo Promisere iubar, nec rarescentibus umbris Longa repercusso nituere crepuscula Phoebo:*" ad q. locum Statii v. C. Barth. T. II. p. 113., qui praeter haec alia dabit.

II, 200.

Inde novam pavidas vocem furibunda per aures Congeminat.

Per aures? cuius nam? Ego satis mirari nequeo, quomodo VV. DD. hanc insulsam lectionem in textu tolerare potuerint. Haud dubie reponendum erit *per auras*, quam lectionem Codd. Vat. Mon. Bon. Carr.

et Burm. Edit. Pr. 1474. habent, quamque seqq. flagitant. Venus *per auras* congeminat vocem, ita ut Athos, pontus et palus Maeotis (*Thraca palus* v. 202.) exhorreant. Liquet, quam ineptum sit τὸ *aures*, quod saepe cum *auras* commiscetur a librariis, v. Burman. ad Petron. Satir. p. 787. *Auras* ex orationis poëticae elegantia vocat *pavidas*, uti lib. III, 218. *trepidos agros* et apud Stat. Theb. V, 730. „*aera dei metas crepuere per auras.*" et geminus locus reperitur in Petron. Satir. c. 121. „*Iam fragor armorum trepidantes personat auras,*" uti ego cum N. Heinsio ad Ovid. Metam. XIII, 406. legere malim, quidquid obloquatur Burmannus.

II, 233.

It cruor in thalamis, et anhela in pectore fumant
Vulnera; seque toris misero luctamine trunci
Devolvunt: diras aliae ad fastigia taedas
Iniiciunt, adduntque domos: pars ignibus atris
Effugiunt propere; sed dura in limine coniux etc.

Vers. 233. correxit N. Heinsius *It cruor*, quod recepit Burmannus; Codd. et Editt. vett. omnes: *His cruor*, quod revocavit Delamallus. Recte! Vers. 235. 36. variis modis a VV. DD. tentati sunt: missis Maserii, N. Heinsii, Burmanni et Iacobsii emendationibus, quarum nullam probo, hic Edit. Harlesianae textum dedi. Erat, quo ego quoque, importuna corrigendi lubidine abreptus, h. locum emendarem:

Iniiciunt, abolentque *domos pars ignibus atris.*

uti apud Stat. Theb. VIII, 385. „*Bellipotens — arma ciens aboletque domos, connubia, natos.*" quod idem esset, atque apud Virgil. Aen. VIII, 375. *vasta-*

bant — casuras inimicis ignibus arces." cf. XI, 789. Sensus sic evadit facilis et bonus: sed in tanto Mssto-rum consensu iusta potius interpretatione, quam emendatione opus esse videtur. Idem censuit Delamallus T. I. p. 340., qui h. locum ita interpunxit:

diras aliae ad fastigia taedas
Iniiciunt adduntque: domos pars ignibus acti
Effugiunt propere, etc.

Addunt explicat *infestant:* quam insolentiorem significationem probatum ivit e Macrobii Sat. V. c. 4. interpretatione verborum Virgil. Aen. VI, 90. „*addita Iuno*" i. e. „*affixa et per hoc infesta,*" cui assentitur Servius. Recte quidem in Virgilii loco Grammatici: non item in Valerio Delamallus. *Addere* enim nusquam per se est *infestare*, *hostiliter urgere*, sed ex adiunctis demum haec significatio passim nascitur. Proprie sociandi et iungendi actum indicat: in passivo ipsam coniunctionem et societatem includit, v. Burmann. ad Valer. Flacc. V, 286. neque alia sumendum est notione apud Virgilium l. c. atque in iis locis quae fulciendae interpretationis suae causa protulit Delamallus. Ex natura cuiuscumque coniunctionis, quae vel grata ac iucunda vel molesta et odiosa esse potest, nexu consulto, videndum erit, quo sensu haec vox sit accipienda. Sic apud Virgilium l. c. *addita Iuno* bene Macrobius interpretatur *affixa:* quo verbo arcta, quae inter Iunonem et Teucros fuit, coniunctio indicatur; Iuno autem, ut aliunde constat, Troianos graviter urgere, hostiliter persequi solebat; inde recte Macrobius itemque Servius *infesta* exponit. Aliter de huius significationis derivatione statuit Heynius ad Virgil. l. c; videant doctiores, utra sententia praestet? Inspecto autem accuratius Valerii loco apparet, hanc notionem hic prorsus non quadrare. Ce-

teroquin hiulca est verborum coniunctio: *taedas iniiciunt et infestant:* quidnam? num *taedas?* nam *domos* Delamallus cum sequentibus connectit. Vocabulum *pars* male quoque divellitur a voc. *aliae:* est enim illud ad feminas, non ad viros vulneratos, ut Delamallus vult, referendum. Secus quoque pro *atris*, quod plur. Codd testimoniis fulcitur, voc. *acti* ab eodem typis expressum est. Igitur quam verborum interpunctionem et interpretationem Delamallus fecit, neque facilem dixeris neque commodam! Ego hunc locum, in quo, quidquid agas, rigoris quid et scabritiei remanebit, ne literula quidem mutata, sic interpungam:

diras aliae ad fastigia taedas
Iniiciunt, adduntque domos pars ignibus atris;
Effugiunt propere etc.

Ignibus atris est casus tertius: *domos ignibus addere* nil aliud est, quam *comburere*, *incendio delere*. Quae paulo ante de usu voc. *addere* dixi, illustrant huius loci explicationem: adiice Valer. Flacc. I, 825. „*Te, puer, et visa pallentem morte parentum, Diripiunt adduntque tuis,*" h. e. simul cum parentibus interficiunt. Virgil. Aen. II, 660. „*Et — hoc periturae addere Troiae Teque tuosque iuvat.*" i. e. cum Troiae interitu se suosque morti dare, simul perire. Ibid. v. 566. „*Deseruere omnes defessi*, (sic pro *et* legere malim!) *corpora saltu Ad terram misere aut ignibus aegra dedere,*" ubi *corpora ignibus dare* significat *se comburere.* Offensioni aliquatenus hic esse possunt voces *aliae — pars:* quae diversum actum postulant, quum h. l. *taedas ad fastigia iniicere* et *domos comburere* unum idemque esse videatur. Sed res apud animum ita informanda est, ut aliae feminae extra, aliae intra domum ignem excitasse di-

cantur. Hunc ignem viri vulnerati effugere volunt, sed a feminis retinentur et repelluntur. *Alius* et *pars* saepe sibi respondent v. c. Virgil. Georg. IV, v. 158. Aen. I, 212. II, 400. XI, 193. Val. Flacc. II. 447. 49. Stat. Theb. V, 382. et alia dabunt Burm. ad Virg. Ecl. I, 65. et Cortius ad Sallust. Catil. p. 10.

II, 322.

Portum demus, ait: haec hospita, credite, puppis
Adveniet: levior Lemno deus aequore flexit
Huc Minyas. Venus ipsa volens dat tempora iungi.

Vulgati omnes: *nobis hac* s. *haec credite puppis advenit, et* etc., quam ego deserere nolim. *Hospita* apertum est glossema librarii doctiorem Vulgatam non intelligentis; *nobis* bene Pius explicuit *in commodum nostrum*. Tempus futurum *adveniet* hic parum aptum mihi videtur, quia dubitationem quandam et timorem exprimit in oratione, qua hic Polyxo utitur, persuasoria non ferendam. Credite, Polyxo inquit, haec navis non hostilis advenit. Quare repono Vulg. *advenit et*, quam Codd. Mon. Vatic. et Coki denuo confirmant. — *Deus* neque Venus, neque Cupido, uti Burm. vult, sed omnino *quivis deus* intelligendus esse videtur, ut nos *ein Gott, eine Gottheit*. Pro *levior* maluit Heinsius *melior*, quem secutus est Ezr. de Clerq. in Observ. in Lucan. Spec. I. p. 71. 72. (Lugd. Bat. 1767.), qui totum hunc locum ita emendavit: *Haec hospita, credite, puppis Advehit et melior Deus* etc. Quod ad *advehit* attinet, dubito, utrum recte et latine dicatur *puppis advehit*, nisi res, quae apportatur, addita sit: licet dicere *navis advehit, nautas, merces* etc., sed nunquam *navis advehit* pro *advenit* vel *advehitur*. Mihi saltem nulli id genus loci innotuerunt. Quare Clerquii emendationem admittere

nequeo. *Melior* item est emendatio non necessaria ideoque reiicienda. *Levior* enim *Deus* est benignior, magis, quam ante, propitius: quod ex opposito *gravis deus* liquet. *Gravis deus* est inimicus, iratus, hostiliter premens: hinc ex oppositi vi est *levis* i. q. *lenis* (cf. Horat. I, od. 19, 16. Carm. Sec. 13. Claudian. R. Pr. I, 16.). Sic apud German. Arat. 649. „*levis ira deorum*" et Stat. Theb. VII, 85. „*Vidit pater altus et ira iam levior,*" v. Gronov. Diatr. in Stat. Sylv. I, c. 9. p. 100. ed. Hand. Pro *tempora iungi* Burmannus malebat *corpora* vel *pectora iungi*, et Markland. in Praef. ad Stat. Sylv. p. 11. *foedera*. Sed *tempora* h. l. notant opportunitatem cum viris coëundi, quam Venus ipsis dedit, dum gignendae proli aptae essent (v. 325.). Nil igitur hic movendum! Handius ad Gronov. Diatr. Stat. p. 101. *levior* interpretatur *mutabilis*, sensu refragante. Nam quis est, cui placeat talis sensus: agite, portu recipiamus hanc navem, est hospita nobisque amica: nam *mutabilior*, quam ante, Deus Minyas huc flexit?

II, 385.

Haud secus Aesonides monitis accensus amaris,
Quam bellator equus, quem longa frigida pace
Terra iuvat, brevis in laevos piger angitur orbes:
Frena tamen dominumque velit, etc.

Vers. 387. variis tentatus est interpretationibus et emendationibus, quarum aliquot in Epist. Crit. p. 54. attuli. Inter recentiores acutissimus Handius ad Gronov. Diatr. Stat. p. 469. h. versum ita sanare voluit:

quem longa frigida pace
Terra iuvat, brevius laevo piger angitur orbe.

At in hac ingeniosa emendatione me male habet *laevo*, quod nullius est sensus. Cur enim *laevo orbe?* quid-

ni *dextro?* Neque satisfacit Delamallus T. I. p. 363. „*quand on a fait tourner quelque temps un cheval par la droite, pour le mieux assouplir, ne le fait-on pas tourner aussi par la gauche? c'est ce qu'on appelle changer de main en termes d'équitation.*“ Quare erat, quò mihi *parvo* placeret: v. Ovid. Heroid. IV, 79. „*Sive ferocis equi luctantia colla recurvas: Exiguo flexos miror in orbe pedes.*“ et Columell. de cult. Hort. X, v. 226. „*parvoque iubet decurrere gyro.*“ quae emendatio cum *angitur* bene convenit. Sed, ut, quid de h. loco sentiam, aperte fatear, mihi Intpp., qui haec verba de exercitiis equitationis apud veteres usitatis interpretantur, totius, quae hic est, comparationis finem parum recte percepisse videntur. Igitur primum de eo videndum est, quid poëta hic spectaverit: quo constituto forsitan rectior h. l. corrigendi via mihi aliisve me ingeniosioribus monstrabitur. Valerius Flaccus loquitur hic de equo in bellis emerito, qui cum maxime certo quodam et brevi terrae spatio vel orbe, ne pro lubitu evagetur, inclusus et septus, in pascuis quietus versatur; qui tamen, si *Martius aures clamor et obliti rursus fragor impleat aeris, frena*, licet pascua iuvent, *dominumque* vult, i. e. iterum bella pugnasque cupit. Tali equo aequiparatur Iason, qui deses intra arctos insulae Lemni limites in luxu et Veneris gaudiis diffluxerat, sed accensus amaris monitis Herculis, qui *Phasin et Aeeten, Scythicique pericula ponti* flagitabat, arma denuo vult et bella spirat. Hunc comparationis finem esse, attente h. locum perlegenti manifestum, opinor, erit! Itaque de illis equitandi exercitiis, ubi solitarius (ἱππατής) equum vel directo cursu, missis habenis, incitabat, vel cum adductis habenis breviore gyro retorsit ac circumegit (v. eleg. loc. Tibull. IV, 1, 91.), commode hic cogitari nequit.

Equidem in *laevos* ulcus latere puto: idem iam sensit, diversa licet interpretatione usus, Withofius in Observatt. Crit. Fasc. V. p. 23. qui h. l. ita correxit:

quem frigida pace
Rura iuvant, brevis in flexus piger angitur orbis.

qua in correctione uti priorem vocem (*rura*) prorsus improbo, ita posteriorem (*flexus*) ad veram huius loci emendationem ducere opinor. Ego vocabulum desidero, quod sepimentum, quo equus in pascuis inclusus tenetur, notet. Sed nihil in praesentiarum mihi succurrit, quare h. locum ampliandum esse iudico! —

II, 412.

— — *mediis refugit pater anxius umbris.*

Harlesius in Cod. invenit *undis*, quod ob v. 300. „*ille procul trunca fugit anxius alno*" praeferendum existimat. Ego Vulgatam non prorsus repudiandam neque eam a sciolo ob *silva tremit* profectam esse puto. Respexit fortassis poëta v. 295. „*adnue votis, Diva, soporiferas quae nunc trahis aequore bigas.*" unde liquet, patrem Hypsipyles nocte aufugisse, quod tempus Poëta *mediis umbris* expressit. Neque tamen si quis Harlesium sequi malit, acriter cum eo contendam. Libr. III, 1. Cod. Coki pariter *undas* pro *umbras* habet, quod Burmannus non notavit.

II, 452.

Attoniti pressere gradum, vacuumque sequuntur
Vocis iter: iam certa sonat.

Haeserunt VV. DD. in voc. *vacuum*: quod male Harlesius mutavit in *vacui* i. e. otiosi Hercules et Te-

lamon. Iacobs. in Addit. ad Athen. p. 144. legendum suadet *coecum* i. e. incertum. v. Delrius ad Senec. Troad. v. 171. Non male, si Codd. addicerent! Si quid mutandum, scriberem: *variumque sequuntur vocis iter.* quia Hercules et Telamon, uti seqq. „*certa sonat*" docent, variante vocis sono, non certo auribus percipere potuerunt, unde et a qua parte vox ista sonet. Sed fortasse ideo *vocis iter* dixit *vacuum*, quia vox per valles et montium anfractus sonabat. Nil igitur muto! —

II, 564.

Quot mihi post lacrimas, post quanta piacula patrum
Serus ades? quam parva tuis iam gloria factis?

N. Heinsius correxit *parta*, quod ob *quam* admitti nequit, etsi haud dissentire videatur Drakenb. ad Sil. Ital. IX, 377. *Gloria* h. l., si quid sentio, prorsum inconveniens est: nam gloria, servatae virginis causa, non magis parva erat post tanta patrum piacula, quam si Hercules prius advenisset. Nescio, an aliquid lucremur, si h. versum ita scribimus:

quam parva tuis iam gratia *factis?*

Maior et amplior *gratia* a parentibus, quorum filiae a belua devoratae erant, utique Herculi relata fuisset, si prius advenisset: cum vero serus adesset, solus Laomedon ei gratiam retulit; qui recte dicere potuit: *quam parva tuis iam gratia factis? Gloria* autem et *gratia* in Msstis centies confusae sunt, uti notarunt N. Heinsius ad Ovid. Heroid. XXI, 62. Burman. ad lib. III. ex Pont. II, v. 27. et Drakenb. ad Sil. Ital. XIII, 664.

II, 570.

— *clausum ut thalamis somnoque gravatum*
Immolet, ereptaque luat responsa pharetra.

Vulgat: *levet*, pro qua Pius ex coniectura dedit *luat* et Burmannus *responsa luere* explicat *oracula irrita facere*, nullo tamen exemplo laudato, quo omnino Latium carere puto. Praestat Vulgata, quam Maserius et Harlesius in Codd. invenerunt, quamque Edit. Pr. 1474. habet, quod iterum Delamallus monere oblitus est. *Levare* est id, quod *elevare*: hoc ita explicat Agroetius de Orthogr. p. 2270. ed. Putsch. „*elevamus et quae in altum extollimus et quae antlando leviora facimus.*“ Hinc *levare* etiam significat *abducere, rapere* v. Intpp. ad Petron. Sat. c. 140. p. 858. ed. Barn. Idem Agroetius apud Gothofred. p. 1348. „*elevamus et quae in altum extollimus et quae alleviamus, id est, leviora facimus.*“ Itaque vel κυριολογία voc. *elevare* docet, *levare* bene quadrare in Laomedontem, qui oraculi responsa de Troia Herculis sagittis capienda *levare* h. e. *leviora, irrita reddere* voluit, Hercule clam interfecto. Nemo, opinor, Vulgatam huic carmini restitutam aegre feret. Similiter Horat. II. Ep. 2, 10. „*Multa fidem promissa levant*“ etc. Utraque vox confunditur, vid. I. H. Voss. Symb. Crit. ad Tibull. p. 400.

Argon. lib. III, v. 19.

— — *unde tubae, nocturnaque movit Erinnys.*

Cod. Coki *movet.* N. Heinsius *morit*, quo nil proficitur. Versus est durus et hiulcus, quem fortasse ita aliquatenus mollimus:

unde tubas *nocturnaque movit Erinnys.*

Librariis fraudi fuit insolens positio τοῦ *que*, quod Noster saepe remotiori et incommodo verbo adiungit: v. c. I, 26. 28. 103. (ubi olim cum Heinsio aliquid mutes!) 325. et III, v. 233. (ubi tamen pro *placeatque furor*, quia Coniunctivus ibi absonus est, levi mutatione scribendum erit: *placet atque furor.*) et cf. Burman. in Praef. ad Valer. Flacc. p. XLVII. ed. Harl. Parilis locus infra v. 60. „*Bellona* — *passuque movens orichalca sonoro,*" ubi *passu sonoro* armorum, quibus circumdata Bellona erat, strepitus indicatur, Cyzici timorem adaugens.

III, 212.

Perge, age, Tartareae mecum simul omnia noctis,
Musa, sequi.

Codd. omn. *semel omnia*, quod eiusdem ferme pretii ac significationis est. v. Bentlei. ad Horat. Sat. II, 8. 24. Verba *omnia noctis* valde me offendunt. Poëtae quidem latini, ut probe scio, haud raro neutrius generis adiectivum substantivi loco usurpant eique ex more graeco aliud substantivum gignendi casu adiiciunt: qua tamen in re tenendum est, hunc usum non nisi in iis valuisse adiectivis, quae in vulgarem constructionis ordinem resoluta cum substantivo commode coniungi possent atque unam eamdemque con-

tituerent notionem, v. c. Arg. lib. III, 695. *ardua montis* Poëta dicere potuit, quia ex vulgari loquendi ratione *ardui montes* bene dicuntur. cf. Sil. Ital. III, 540. Sic ap. Virgil. Aen. I, 422. *strata viarum* pr. *stratas vias*, v. ibi de la Cerda, et conf. Aen. II, 332. 725. V. 695. VI, 140. VIII, 221. XI, 882. Sil. Ital. I, 559. IV, 762. VII, 3. VIII, 558. Pari ratione Ennius ap. Cicer. de Divinat. I, c. 48. *infera noctis* pr. *inferam noctem*, et Virgil. G. I, 478. *obscurum noctis* pr. *obscuram noctem* dixerunt. Sunt sexcenta alia id genus loca, quorum tamen commemoratione supersedeam. Ex allatis vero liquet, Valerii locum *omnia noctis*, in hunc censum venire non posse ac diversae prorsus esse naturae. Etenim verba *omnia noctis* non in *omnes noctes*, uti apd Fest. Avien. Phaen. 301. 698. 939. *omnia rerum* in *omnes res*, resolvi possunt: nam quid ineptius: *perge, Musa, omnes noctes sequi* i. e. narrare, cum tantum de una nocte sit sermo? Quare inducor, ut h. locum mendosum habeam. In eadem sententia fuit N. Heinsius, qui *scelera omnia noctis* coniecit, cui acutae emendationi qualemcunque meam timide subiiciam:

Perge, age, Tartareae mecum simulamina *noctis*
Musa, sequi.

quae saltem literarum ductu ad Vulgatam propius accedit. *Simulamen*, quo etiam Ovidius Met. X, 726. et Auson. in Mosel. 228. utuntur, est synonymum τοῦ *simulacrum*, quod de rebus terribilibus, monstrosis et abominandis, quae noctu fiunt, dicitur, v. c. Virgil. G. I, 477. et sic Wesseling in Probab. Crit. c. 31. p. 277. lib. VI, 536. correxit: *nec seps Hic tibi nocturno: mitte haec simulamina: Pana Neve deum mihi finge.* — Amat Noster verba in *amen* terminata, v. c. *gestamen, hortamen*, alia. Igitur *simulamen noctis*

est ap. nos ein Schreckgebilde der Nacht, et quae sint *simulamina noctis Tartareae*, Poëta v. 216 ipse explicat: *Vos prodite, Divae, Eumenidum noctisque globos:* qui locus emendationi meae firmamento est, Totum locum sic reddo:

Auf, o Muse! beginn' mit mir die schrecklichen Dinge
Jener Tartarischen Nacht.

Sequi Burm. bene expl. *exsequi, narrare*, ut Stat. Theb. I, 9. — Ennius et Livius Andronic. ap. Gell. N. A. XVIII, c. 9. gr. ἔννεπε vertunt *inseque:* nam Graec. ἔπω, quod συνώνυμον τοῦ ἔπω vel ἕπομαι est, reddebant veteres Latini, addita litera sibila, *sequo*, quod nexum et seriem notionum et verborum includit et hinc *tradere, memorare, narrare* significat. v. Stoeber. ad Manil. Astron. IV, 434. p. 414. et inpr. Creuzer. in Symb. T. I, p. 53.

III, 230.

— — nunquamne dolor virtute subibit
Nil ausas sine rege manus?

Quantam duritiem huic versui vox *virtute* inferat, nemo non orationis poëticae gnarus videt, et frustra est Harlesius in ea defendenda gr. ἀρετῇ pro ἐν ἀρετῇ. N. Heinsius, quo nemo melius orationem poëticam callebat, correxit *virtusque;* bene, sed nexus particulam potius disiunctivam, quam copulativam desiderat. Itaque, propius ad Vulgatae ductus accedens, scribo:

nunquamne dolor virtusve *subibit?*

Pro *dolor* male Harlesius *labor* tentabat: *dolor* ob interfectos cives et *virtus* i. e. fortitudo vel fortitudinis conscientia bene hic sibi opponuntur.

III, 432.

Delius hic longe candenti veste sacerdos
Occurrit, ramoque vocat.

Carrion. Cod. et ed. Pii *ramoque novat*, quod de lustratione atque expiatione explicandum erit. Praestat tamen *vocat*, quod in Codd. Vat. Bon. Mon. et Edit. Pr. reperitur. Pius τὸ *vocat* male interpretatur: *revocat ad solitum robur atque animositatem*, quum potius sit: invitat, ut propius accedant, ipsum transeant (v. 434. „*placido transmittens agmina lauro*") et lustratione expientur (v. 448. „*lustrifico cantu vocat*," ubi Slothhouwer. in Act. Rhen. Trai. T. III. p. 173. *sonat* pro *vocat* inepte correxit). Vulgatae patronus exstitit Wesseling. in Probab. Crit. c. VII, p. 61.

III, 516.

— — *iam tum indecores, iustaeque dolorum*
Primitiae, et tenero superati protinus angues.

Wagnerus in Comment. p. 107., virgula post *primitiae* sublata, τὸ *et* quoque delevit et *a* substituit: quod sine idonea causa mihi factum esse videtur. Si quid mutandum, reciperem *ut*, quod iam N. Heinsio placuit et saepe cum *et* commiscetur, v. Drakenb. ad Sil. Ital. V, 217., Burm. ad Lucan. I, 231., N. Heins. ad Ovid. Met. IV, 756. et Schrader. ad Avien. Descr. Orb. v. 417.

III, 623 — 27.

Hos versus, qui in omn. Editt. prave leguntur nec non interpunguntur, ita emendandos esse censeo:

Verum agite et, dubiis variant quia pectora curis,
Consulite: et, motis si vos via flatibus urget,
Pergite et inceptos mecum revocate labores;
Seu plures tolerate *moras: rursusque propinquis*
Quaesivisse iugis, pretium haud leve temporis acti.

Ut *si vos* pro *seu vos* v. 624. et *tolerate* pro *tolerare* v. 626. scribatur, orationis sententiarumque ordo flagitat, quem ex vulgata lectione nullum esse, quis est, qui non videat? Prius *seu*, quod hic nullam oppositi vim habet, nullo modo ferri potest atque a sciolo profectum esse videtur, qui illud ob seq. *seu* abesse non posse opinabatur. Sed eleganter Latini *seu* semel ponere consuescunt, ubi rem vel sententiam aliquam meliorem suadent eamque alteri praestare contendunt: adiiciunt τῷ *seu* nonnunquam *potius*. Loca ubivis sunt obvia. Ad manus mihi est Curtius, qui lib. IV, c. 4. §. 20. ed. Cunze. „*Credo libero commeantes mari, saepiusque adeundo ceteris incognitas terras, elegisse sedes iuventuti, qua tunc abundabant: seu* (i. e. seu potius, oder vielmehr) *quia crebris motibus terrae, — cultores eius fatigati, nova et externa domicilia armis sibimet quaerere cogebantur.*“ Ita Iason, licet socios suos navigatione prohibere nolit, tamen optat suadetque, ut diutius maneant, quia ex invento Hercule magna in ipsos redundatura sint commoda. Nam ex mea emendatione sensus h. loci hic est: „Consultate, et si vos ventorum opportunitas urget, iter pergite, seu potius aliquantisper exspectate: nam si rursus Herculem

in montibus quaesiveritis, vobis eo invento haud parvum temporis hic peracti pretium erit."

III, 678.

consortia famae
Despicit et nostris ferri comes abnuit actis.

Pius male τὸ *ferri* explicat *portari in Colchos.* Si hoc verbum sanum est, idem quod *haberi, esse,* notat: quod tamen mire languet. Quare inclinat animus cum aliis legere *fieri*, quod cum *ferri* in priscis exemplaribus saepissime confunditur: vide Burman. ad Petron. p. 284. et Baden ad Senec. Herc. Fur. v. 273. ubi *ferri* vera est lectio.

III, 732.

Flamina conticuere, iacet sine fluctibus aequor.

En illustre exemplum lubidinis, qua VV. DD. in corrigendo Valerio grassati sunt! Codd. et Editt. vett. omn. *iacet cum* s. *sine flatibus*, pro quo H. Vossius et Nicl. Heinsius *sine fluctibus* textui obtruserunt et nemo interpretum, ne Delamallus quidem, hanc correctionem, cui Codicum Mon. Vat. et Bon. recens collatorum auctoritas adversatur, textu exsulare iussit. Novo igitur huius carminis editori rescribendum erit:

Flamina conticuere, iacet cum flatibus *aequor.*

Elegans est verborum repetitio, quam miror Burmannum fugisse, ut qui ad similem repetitionem versui inferendam *tacet* pro *iacet* scribere maluerit: quod, si quid iudico, sine causa et necessitate fit. Bene h. versum vertit Delamallus:

Le calme est dans les airs, le calme est sur les flots.

Argon. lib. IV, 68.

Exit ubi e scopulis, media inter pabula diri
Vulturis: ipsum etiam gemitu moestaque fatigat
Voce Iovem etc.

Dici non potest, quantopere hic Intpp. se torserint. Vulg. omn. *dixit ubi e scopulis* etc. recte, modo ita interpungas:

Dixit, ubi e scopulis, media inter pabula diri
Vulturis, ipse etiam gemitu etc.

Sensus est: Dixit sc. Apollo (non Prometheus, ut Pius putat,) et pro Prometheo apud Iovem eo temporis momento precibus intercedebat, *ubi* i. e. quo *ipse* (sc. Prometheus) Iovem moesta voce fatigabat. Vulgatae lectionis bonitatem agnovit iam H. Vossius, quare mirari subit, cur nullus Editor usque ad Delamallum, qui tamen parum commode: *Dixit: ibi e scopulis* etc. typis expressit, in texta eam reduxerit. Quod si part. *ubi* displicet, legi potest: *dixit, et,* quae est Cod. reg. lectio et sexcentis poëtarum locis firmatur: v. c. Virg. Aen. I, 402. II, 375. 705. III, 258. IV, 659. VI, 677. VIII, 366. Stat. Theb. II, 120. III, 253. V, 139. Valer. Flacc. I, 569. III, 476. IV, 15. 253. *Ipse* pro *ipsum*, Beckio iam recte suadente (l. c. p. 265. v. Wagner. Comment. p. 121.), e Codd. Bon. Vat. Mon. ed. Pr. 1474. et Bon. 1498. rescripsit Delamallus T. II. p. 273., quia alias subiectum deest.

IV, 290.

— — *redit huc oculis et pondere Bebryx,*
Sic ratus; ille autem celeri rapit ora sinistra.

Sic ratus sunt verba nullius sensus et e Pii Codd.

sine haesitatione recipiendum esse videtur *irritus*, quod iam N. Heinsius Virg. V. 442. et Delamallus Quint. Sm. IV, 359. probarunt: adde Stat. Theb. XI, 258. eamque lectionem stabilit etiam locus, ad quem statim transeo.

IV, 300.

— — *Pollux subit, et trucis ultro*
Advolat ora viri: nec spes effoeta, sed ambae
In pectus cecidere manus.

Saepenumero miratus sum, cur VV. DD. et nominatim Delamallus, cui Codd. meliorem lectionem suggerebant, tam ineptam vocem *effoeta* in textu tolerare potuerint. Frustra Wagnerus p. 130. se expedire studet et Withofius in Observ. Crit. V. Fasc. p. 44. audacter *expleta* correxit. Codd. Pii, Vat. Bon. Mon. Edit. Pr. et ed. 1498. *nec spes effecta*: ne dubita, hanc adoptare lectionem, ut quae ceteris praestet, immo optima sit. Utriusque vocis commistio in priscis libris non infrequens est: vid. Tzschucke ad Pompon. Mel. II. c. 6. §. 2. Vol. II. P. II. p. 425. Nexus autem hic est: Pollux propius accedit et Amyci faciem ferire posse sperabat, sed haec spes non effecta est, eum fefellit, quia ambae manus ob magnitudinem et altitudinem Amyci non faciem, ut voluerat Pollux, sed tantum pectus caestu attigerunt. Nec h. l. valet *non tamen*, ut apud Liv. lib. IV. c. 30. 1. „*Agitatum in urbe ab tribunis plebis, ut tribuni militum consulari potestate crearentur: nec* (i. e. non tamen) *obtineri potuit.*" cf. Tursellin. p. 511. ed. Schw. 1751. *Spem efficere* est, fateor, insolens locutio, neque tamen in Valerio, qui insolita amat, repudianda, ut Withofius l. c. fecit. Edit. Pr. 1474. habet: *In spectu cecidere*, ex vitio typographico! —

IV, 308.

— — — *sonat omni vulnere vertex*
Inclinis, ceditque malis. Iam tempora manant,
etc.

Locus difficilis et corruptus, cui, si velis aliquatenus mederi, vim inferas, necesse est. Videamus primum, quae subsidia Codd. et Editt. vett. exhibeant: Vat. Bon. Coki et Burm. et Editt. vett. *ceciditque malis:* ceteri in Vulgata conspirant. Lubet iam VV. DD. pericula cognoscere! N. Heinsius, quem fas est primum audire, ita legendum esse suspicatur: *inclinesque sedent malae*, vel *cedunt*, vel *crepant malae*. Audacter! Burmannus ita: *inclinisque cadet malis* i. e. in malas (sed quomodo *vertex*, i. e. caput, inclinis in malas cadere potuit? —): vel *inclinisque cadit: malis iam tempora* etc.: quae posterior Harlesio arridet, non item mihi. Wagnerus, Harlesium sequutus, h. loci sensum ita constituit: „*caput inclinatum ad quemlibet ictum resonat, vulneribusque toties repetitis tandem cedere cogitur.*" ergo τὸ *malis* de vulneribus explicat: quod maxime friget! Reprobatis Heinsii et Burmanni emendationibus Withofius l. c. p. 42. Valerium scripsisse affirmat: *vertex inclini occipitis calvi.* Bone Deus! quanti est sapere! Slothhouwer. in Act. Rheno — Traj. T. III. p. 174. correxit: *caedit malas* hoc sensu: vertex sonat ad quamvis plagam, sed non poterat rumpi: quare Pollux malas caedit. Sed iam ante Pium erant, qui ita corrigerent et, vel me tacente, liquet, quam ineptum sit, statuere, Pollucem caestu armatum gladio usum esse! Delamallus, quem ego iam nuper in Epist. Crit. p. 79. manifesti contra leges prosodicas peccati argui, hic quoque eo nomine taxandus est, quippe qui T. II. p. 220. in subiecta nota addiderit haec: „*Si l'on admettait la*

leçon du manuscrit de Munich (ceditque malis), *il faudrait changer la ponctuation.* Sonat — Inclinis, ceditque: malis (*subaudi fractis*) iam tempora manant, *comme dans ce vers lib.* VI, 247. Tenerae liquuntur vulnere malae." En, ne hic quidem versus Delamallum docuit, syllabam penultimam *τοῦ malis* produci! — Tales errores, qui aliquam non tam levitatis, quam inscitiae speciem prae se ferunt, in poëtarum interpretibus aegerrime fero! — Hunc locum vitiosum esse, in aprico est: sed quo ego eum emendem modo leni itemque probabili, fateor, me ignorare. Quum tamen haud dubie VV. DD., quorum emendationes praemisi, audacia mihi grave vulnus graviter sananti veniam apud Lectores sit conciliatura, proponam emendationem, qua tantum tamen abest, ut veram Valerio Flacco lectionem restitutam esse putem, ut eam non nisi qualemcunque ingenii mei foetum haberi velim. Totus locus bene se haberet, si Valerius ita scripsisset:

sonat omni vulnere vertex,
Inclinis reciditque humeris: *iam tempora manant* etc.

Sententia maxime perspicua est. Caput graviter vulneratum *cecidit humeris* i. e. in humeros. Mea emendatio, si hoc nomine digna est, nititur auctoritate Virgil. IX, 434. „*Volvitur Euryalus leto, pulcrosque per artus It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit:*" unde forsitan Poëta noster haurire potuit. In Galli Cir. v. 449. (nam Gallo hoc carmen ob I. H. Vossii ad Virg. Ecl. VI. p. 321—31. rationes adscribo!) similis ferme est imago: „*Iam fessae tandem fugiunt de corpore vires, Et caput inflexa lentum cervice recumbit.*" ubi cervix pro humeris ponitur, uti apud Virg. l. c. et III, 631. pro capite. Posi-

to pignore contenderem, Valerium ita scripsisse, si librarios, quanta facilitate in commiscendis vocibus *recidit* et *cecidit* errare potuerint, tanta quoque labi potuisse in *malis* et *humeris*, mihimet ipsi persuadere possem. Qui vero id fieri potuerit, ego non exputo, nisi ex scribendi compendio, *humeris* vel *umeris* (v. Intpp. ad Sil. Ital. I, 39. et Rupert. ad Iuven. IV, 39.) *umris*, hunc errorem natum esse dixeris. Hoc saltem librarios aliquoties in fraudes induxit. Sed iudicium sit penes peritiores!

IV, 364.

qua fraude negaret,
Aut quos inventos timuisset Iupiter astus.

Locus obscurus, in quo Codices, quorum alii *inventus* habent, nihil auxilii suppeditant. *Timuisset*, in quo Codd. omn. consentiunt, merito iam N. Heinsio, Burmanno, Harlesio et Iacobsio in Ephem. Lit. Univ. No. 25. 1807. suspectum erat: totius enim loci sensum turbat. VV. DD. in h. verbo emendando pericula attulit Harlesius p. 530. 31. Iacobsius l. c. ita correxit: *inventus tentasset*, quae correctio, a vulgata nimium discedens, vereor, ut omnibus arrideat. Dubito etiam, utrum *astus tentare* satis sit latine et exemplis probari queat. Wagnerus et Delamallus T. II. p. 303. praeferunt *inventos timuisset*: sed verior haud dubie lectio *inventus* sc. Iupiter a Iunone deprensus, illius precibus in angustias redactus, e quibus quo se expediat astu, non intelligit. Hic est sensus unice verus, quem antecedentia flagitant. Pro *timuisset* erat, quo ego scribendum suspicarer:

Aut quos inventus finxisset *Iupiter astus.*

Fingere astus pro excogitare, comminisci: sic apud Plaut. Asinar. Act. II. Sc. I, v. 2. *fingere fallacias*:

Terent. Heaut. III, 2, v. 22. Eunuch. I, 2. v. 58. Literae *t* et *f* centies confusae, neque difficilis erat in *nx* et *mu* commutandis librariorum labsus. Sed mihi nondum hic satisfacio et de hoc loco aliorum iudicium audiendi cupidus sum! —

IV, 456.

sprevere quod omnes
Polluerumtque manus, quodque unguibus excidit atris,
Has mihi fert in luce moras.

Vulgo verborum ordinem ita constituunt: *sprevere* sc. alii, *quod omnes manus Harpyiarum polluerunt* etc.; sed quam contorte hoc fiat, quis est, qui non videat? Codd. Pii, Mon. et Coki (quod Burmann. adnotare iterum omisit!) et Editt. vett. *manu*: qua lectione adoptata omnis huius loci rigor deletur, et litera sibila procul dubio a subsequente *que* adhaesit; ut lib. VI, 605., ubi pro *cursusque* Cod. Coki *cursuque* habet, tacente iterum Burmanno. Legendum est igitur *manu* et sic verborum ordo instituendus: *quod omnes Harpyiae sprevere* i. e. devorare noluerunt, *et manu polluerunt, quodque* etc. Ita omnia bene cohaerent. *Omnes* sc. Harpyiae, ut v. 451. „*licet omnes deveniunt,*" et v. 494. „*unum omnes incessere planctibus*," *Manu* per enallagen numeri (de qua v. Burmann. ad Sueton. Claud. c. 34. et ad Lucan. VII, 99.) pro *manibus*, quibus instructa finguntur ista monstra apud poëtas, v. infr. v. 495. et Virgil. Aen. III, 216. et in figuris sic repraesentantur, v. Heyne ad Virgil. l. c. et Delamall. T. II. p. 326. Pro *atris*, quod Pius dedit, Delamallus in textum recepit *uncis* e Cod. Mon. et edit. 1498. et Virgil. Aen. III, 217. 233. firmavit. Edit. Pr., ubi totus versus vi-

tiose legitur: *polluerintque manu — excidit auris*, quodammodo τὸ *uncis* fulcit. Arridet et mihi, neque tamen *atris* plane repudiaverim!

IV, 476.

nam vestra voluntas
Quo, iuvenes, sine pace deûm?

Vulg. *Haud, iuvenes, sine* etc. Codd. al. *quod, iuvenes. Quo* coniecerunt H. Vossius et Gronov. Observ. p. 766. ed. Platn., horumque coniecturam omnes Editores recentt. receperunt, licet ei nexus adversetur. Etenim interrogatio inepte adhibetur, quia Phineo certissime persuasum erat, Boreadas, non nisi diis auctoribus, advenisse et ad auxilium sibi ferendum promtos paratosque esse. Credo equidem, inquit Phineus, poenarum mearum finem adfore: nam, o iuvenes, ista mihi opitulandi voluntas *haud sine pace deûm* h. e. non nisi diis mihi iam conciliatis et illud permittentibus, vobis est. Hinc liquet, interrogandi signum esse tollendum et, revocata lectione vulgata, scribendum,

nam vestra voluntas
Haud, *iuvenes, sine pace deûm.*

Non male Casaubonus: *nec vestra voluntas, O iuvenes.* Sed contra libros! Edit. Princ. 1474. *nostra voluntas Quod:* quae lectio e v. 471. irrepsisse videtur.

IV, 495.

inhiat Cocytia nubes
Luxurians, ipsoque ferens fastidia visu.

Cocytia nubes quae sit, fateor, me ignorare. De

Harpyiis hic sermonem fieri, scio: sed quo tandem modo haec monstra, quorum tria fuisse feruntur, *nubes* appellari queant, exputare non possum. Interpretes, ut saepe, ita hic quoque sicco transeunt pede praeter Wagnerum, qui quum omnia vellet ac pro consilii sui ratione deberet interpretari, haud raro turpiter se dedit. Hic in Comment. p. 137. de h. loco sic: „*Avernum patrium noli mirari, nam Valerius Typhonem, quem in Tartaro poenas luere fabulatores narrant, Harpyiarum patrem facit*, v. 428 et 516. *Virg. Aen.* III, 215. *Ad eandem originem referendum, quod paulo post eaedem dicuntur Cocytia nubes, turbinis, procellae instar, quae nubis significatio est etiam* III, 500." De vera nube vel procella si hic cogitandum est, quomodo haec *inhiare* et *luxuriari* dici potest? Et ista monstra, quibus *virginei volucrum vultus — uncaeque manus* erant (Virg. Aen. III, 216.), ob fastidiosum, quem exhalabant (v. 493. et Virg. l. c. *foedissima ventris proluvies*), foetorem a poëta appellari *nubem*, quis est, qui serio sibi persuadeat? Lepidum hercle commentum! Praeterea locus, quem Wagnerus e libr. III, 500. attulit, nihil hic probat, quia ibi *nubes* de militum copia explicandum est: de q. signif. v. Weitz. ad I, v. 396. Quod si quis hanc vocem eo significatu hic sumere velit, vehementer dubito, utrum id ex linguae usu de tribus Harpyiis fieri queat: de sexcentis si sermo esset, eam lubenter admitterem. Quare nemo, hunc locum sanum esse, mihi persuadebit. In promtu est facillima emendatio; nam aut fallor aut poëta dedit:

inhiat Cocytia pubes
Luxurians, ipsoque ferens fastidia visu.

Nil frequentius, quam ut huic voci, qua omnino *minor maiorve, nullo aetatis respectu, hominum re-*

rumque animatarum copia notatur, adiectivum patronymicum addatur, uti centies ap. Livium *Romana pubes*, apud Virgil. VII, 219. *Dardana pubes* et ap. Stat. Theb. I, 619. *Inacha pubes*, ubi nemo de solis iuvenibus cogitaverit. Alia id genus loca colligere, otiosarum est manuum. Insuper tamen addam locum nostro simillimum e Virgil. VI, 580. „*Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes, Fulmine deiecti* etc. Quid invicem similius, quam *Cocytia pubes* et *Titania pubes*? Ut vero Valerius Harpyias *Cocytiam pubem* appellaret, auctor ei fortasse fuit Virgilius, qui Aen. III, 235. *diram gentem* vocat. Haec *Cocytia pubes* recte et commode *luxurians inhiare* dici potuit, utpote quae *magnis quatiunt clangoribus alas, Diripiuntque dapes contactuque omnia foedant Immundo*. v. Virgil. Aen. III, 226.

IV, 524.

Mox tamen et vobis similis fuga, quum premet arcus.
Letifer. Harpyiae nunquam nova pabula quaerent,
Donec erunt divum meritae mortalibus irae.

Omn. Codd. et Editt. vett. *cum premet Argos*: quod Delamallus T. II. p. 242. denuo Pii Vossiique verbis atque exemplis defendit. Iam ante Pium erant, qui *arcus* scriberent: libris tamen, ut hic monuit, repugnantibus. Gronovii, qui *arcus* in Observatt. p. 116. ed. Pl. proposuit defenditque, auctoritate factum est, ut uno consensu in recentt. Editt. reciperetur. Haud displicet: nam, etsi hic Codd. non varient, tamen libr. VI, 124. alii *Argos*, alii *arcus* exhibent, et literarum *c* et *g* frequens est commistio: v. Tschucke ad Pompon. Mel. Vol. II. P. I. p. 508. Ridiculus est

Delamallus, qui ex Apollon. Rhod. I. 1303. verbis χερσὶν ὑφ' Ἡρακλῆος non sagittis, sed manibus i. e. clava Herculis Boreadas interfectos esse, ideoque arcum hic locum habere non posse, contendit: quasi in sagittis emittendis nullus sit manuum usus! — Carrion in libr. Mss. *Argos letifera*: quod I. Vossius pro *Argivo Hercule letifero* dictum sumebat, ut lib. IV, 742 *furens Bebrycia* pro *furens Bebryx*. Male: nam *Argos* nusquam feminino genere occurrit, v. Servius ad Virg. Aen. I, 24. „*Argos in N. S. neutrius generis est, ut Horatius* (I, 7. 9.). Aptum dicet equis Argos; *in N. P. vero masculini, ut hi Argi.*" Neque sibi repugnat Grammaticus ad Aen. VII, 286. „*Bene* Inachiis Argis, *non enim est una Argos; fuit enim et in Italia, quam Diomedes condidit, quae primo Argi, post Argirippa, post Arpi dicta est.*" ubi haud dubie *urbs* in mente habuit et cogitatione supplevit. Mallem equidem *Argos letifer* ob consentiens Codd. et vett. editt. testimonium retinere, si ego exemplum, ubi *Argos* pro *Argivus* dicatur, usquam locorum deprehendissem: quod enim Pius e Plauto citavit, invenire non potui. *Argi* in N. P. pro *Argivis* occurrit apud Virgil. Aen. I, 24. „*pro caris gesserat Argis.*" Alia eius generis verba v. c. *Dardanus* pro *Dardanius*, *Mysus* pro *Mysius*, v. Intpp. ad Petron. p. 733. ed. Burm. et ad Pompon. Mel. in edit. Tschuckian. Vol. II. P. I. p. 565. Interea placet amplecti *arcus*, quod etiam N. Heinsius et Burmannus, iusti poëtarum arbitri, suo assensu approbarunt. Vers. 526. νοθείας suspectum habuit Burmannus: sed si hic textu eliminandus est, simul pereant necesse est et antecedens et consequens. Wagnerus p. 139. h. versum, quem sensu cassum dicit, sanare studuit hac emendatione: *nunquam non*, quam in textum quoque recepit. Habet quidem haec cor-

rectio a sensus bonitate magnam commendationem, sed recte monuit Iacobsius in Ephem. Lit. Univ. N. 25. 1807., nihil hic mutandum esse, quia *quaerere* significet *desiderare*, *vermissen*. Iacobs. laudavit de h. signif. Broukhus. ad Propert. I, 17, 18. Markland. ad Stat. Sylv. p. 179., quibus adde Barth. ad Grat. Cyneg. v. 14. Burmann. ad Valer. Flacc. III, 609., Ovid. Met. II, 239. et Kuinoel. ad Propert. I, 9, 12. — Sens. Nunquam Harpyiae nova pabula desiderabunt, i. e. semper satis pabuli habebunt, quam diu deorum iram in se excitabunt mortales. — Delamallus T. II. p. 330. „*iusqu'à ce que les mortels s'attirent de nouveau le juste courroux des dieux.*" — Qua in explicatione obscuri huius loci acquiescere placet: conferri meretur Apollon. Rhod. II, 288. etc.

IV, 633.

— — — exactae nam vere abiere volucres:
Nec metuam, tutaeque dapes.

Scabritiem huius loci nemo est, qui non sentiat: quam ut eluas aut verba *nec metuam* parentheseos signis includenda sunt, aut leviter corrigendum: *tutaeve dapes* hoc sensu: vere abierunt volucres nec metuam i. e. nec dubius sim (ich brauche nicht mehr in Furcht oder Zweifel zu seyn), num meae dapes in posterum tutae sint futurae. Cf. Stat. Theb. VIII, 256. 57. et de solita particularum *que* et *ve* confusione multa monuit Tschucke ad Pompon. Mel. Vol. II. P. I. p. 21.

IV, 667.

Advertere dei, defixaque numina ponto,
Quid scopulis praeclusa ratis etc.

Burmannus correxit *deae*, quod, licet de Iunone et Minerva hic sit cogitandum, non opus est. Sic v. 674. „*Sequor, o quicunque deorum, Aesonides, vel fallor, ait.*“ ubi de Minerva sermo est (v. 670.). cf. Stat. Theb. VIII, 520. ubi pariter Minerva intelligenda est. Item apud Graecos hic usus valet, ut satis notum est. — Quae sint *numina ponto defixa*, non intelligo: neque vero cunctor *lumina* in textu reponere, quod in Codd. Mon. et Coki reperitur. Verborum autem ordo hic est: Dei advertere sc. mentem et lumina ponto defixa h. e. mente oculisque intenti erant, quo modo ratis et Argonautae ex scopulorum angustiis se expedituri sint. Saepe *advertere* absolute ponitur, quod, licet Bentlei. ad Terent. Heaut. III, 3, 9. negaverit, exemplis probavit Ruhnkenius ad Terent. l. c. in Dictatis, quae nuper evulgavit Bruns in Terent. Edit. T. I. p. 319. *Advertere oculos* dixit Stat. Theb. IX, 164.; apud quem etiam *fixos oculos* invenies Theb. II, 173. Reposito verbo *lumina*, nihil amplius h. l. offensionis erit. —

IV, 716.

Non alibi effusis cesserunt longius undis
Litora: nec tantas quamvis Tyrrhenus et Aegan
Volvat aquas; geminis et desint Syrtibus undae.

Agitur de amplitudine Ponti Euxini, qui cum aliis maribus spatiosis contenditur. Hic salebrosus locus ingenti coniecturarum mole a Commentatoribus obrutus est, quas recensuerunt Wagner. p. 147. et Delamall. T. II. p. 351. 52. Hic, reiecta Harlesii in-

rectio a sensus bonitate magnam commendationem, sed recte monuit Iacobsius in Ephem. Lit. Univ. N. 25. 1807., nihil hic mutandum esse, quia *quaerere* significet *desiderare*, *vermissen*. Iacobs. laudavit de h. signif. Broukhus. ad Propert. I, 17, 18. Markland ad Stat. Sylv. p. 179., quibus adde Barth. ad Grat. Cyneg. v. 14. Burmann. ad Valer. Flacc. III, 609., Ovid. Met. II, 239. et Kuinoel. ad Propert. I, 9, 12. — Sens. Nunquam Harpyide nova pabula desiderabunt, i. e. semper satis pabuli habebunt, quam diu deorum iram in se excitabunt mortales. — Delamallus T. II. p. 330. „*iusqu'à ce que les mortels s'attirent de nouveau le juste courroux des dieux.*" — Qua in explicatione obscuri huius loci acquiescere placet: conferri meretur Apollon. Rhod. II, 288. etc.

IV, 633.

— — — exactae nam vere abiere volucres:
Nec metuam, tutaeque dapes.

Scabritiem huius loci nemo est, qui non sentiat: quam ut eluas aut verba *nec metuam* parentheseos signis includenda sunt, aut leviter corrigendum: *tutaeve dapes* hoc sensu: vere abierunt volucres nec metuam i. e. nec dubius sim (ich brauche nicht mehr in Furcht oder Zweifel zu seyn), num meae dapes in posterum tutae sint futurae. Cf. Stat. Theb. VIII, 256. 57. et de solita particularum *que* et *ve* confusione multa monuit Tschucke ad Pompon. Mel. Vol. II. P. I. p. 21.

IV, 667.

Advertere dei, defixaque numina ponto,
Quid scopulis praeclusa ratis etc.

Burmannus correxit *deae*, quod, licet de Iunone et Minerva hic sit cogitandum, non opus est. Sic v. 674. „*Sequor, o quicunque deorum, Aesonides, vel fallor, ait.*" ubi de Minerva sermo est (v. 670.). cf. Stat. Theb. VIII, 520. ubi pariter Minerva intelligenda est. Item apud Graecos hic usus valet, ut satis notum est. — Quae sint *numina ponto defixa*, non intelligo: neque vero cunctor *lumina* in textu reponere, quod in Codd. Mon. et Coki reperitur. Verborum autem ordo hic est: Dei advertere sc. mentem et lumina ponto defixa h. e. mente oculisque intenti erant, quo modo ratis et Argonautae ex scopulorum angustiis se expedituri sint. Saepe *advertere* absolute ponitur, quod, licet Bentlei. ad Terent. Heaut. III, 3, 9. negaverit, exemplis probavit Ruhnkenius ad Terent. l. c. in Dictatis, quae nuper evulgavit Bruns in Terent. Edit. T. I. p. 319. *Advertere oculos* dixit Stat. Theb. IX, 164.; apud quem etiam *fixos oculos* invenies Theb. II, 173. Reposito verbo *lumina*, nihil amplius h. l. offensionis erit. —

IV, 716.

Non alibi effusis cesserunt longius undis
Litora: nec tantas quamvis Tyrrhenus et Aegan
Volvat aquas; geminis et desint Syrtibus undae.

Agitur de amplitudine Ponti Euxini, qui cum aliis maribus spatiosis contenditur. Hic salebrosus locus ingenti coniecturarum mole a Commentatoribus obrutus est, quas recensuerunt Wagner. p. 147. et Delamall. T. II. p. 351. 52. Hic, reiecta Harlesii in-

terpretatione, ita pergit: „*L'auteur veut dire seulement que nulle autre mer ne présente des golfes aussi profonds, et que cette mer réunie à la mer d'Azof, qui communiquait elle-même avec la Caspienne par un golfe assez large, le disputait en grandeur à la Mediterranée, en comprenant même dans l'étendue de cette mer les deux golfes des Syrtes, qui ne sont presque que des bancs de sable, à peine couverts d'eau dans beaucoup d'endroits.*" Utique Syrtibus geminis mare mediterraneum indicatur, ut iam Beckius vidit. v. Wagner. l. c., quod tamen a Tyrrheno vel Tusco distinguitur, quia hoc, Sardinia et Corsica insulis a mediterraneo divisum, satis amplum efficit mare, ut vel mappae geographicae docent. Addit deinceps Delamallus: „*Du reste il n'y a tant de dissentiment sur ce passage entre les commentateurs, que parce que son explication tient essentiellement à la connaissance de ce grand fait physique de l'union ancienne de l'Euxin avec la Caspienne et l'Arall, fait que notre poëte a exprimé ici en beaux vers.*" laud. Opus suum: *Sur la Géograph. phys. de la mer Noire et de la Medit.* p. 177. De sensu huius loci mihi cum Delamallo convenit, sed verba, quo minus sana putem atque integra, haud pauca me impediunt: duritiem enim orationis ingentem nolim poëtae tribuere. Vitio h. locum laborare, pro certo habeo. Proponam, etsi vel in Critica factitanda δίςομος esse nolim, binas rationes, quibus aliquatenus h. locum iuvare possimus. In utraque tamen, fateor, nondum mihi satisfacio. Scribo:

nec tantus *quamvis Tyrrhenus et Aegan*
Volvat aquas, geminis et desint Syrtibus undae.

Ordo et sensus verborum hic est: Pontus Euxinus permagnus est, nec tantus est Tyrrh. et Aegan, *quamvis*

aquas volvat, h. e. plurimum aquae habeat, satis amplus sit, nec tantae sunt Syrtes, quamvis iis undae non desint, licet vastae sint. Talis verborum ordo, paululum impeditus, nostro poëta non indignus est. Post *tantus* deest *quantus*, quod saepe cogitando suppleri debet: v. c. Virg. Ecl. V, 82. VI, 29. 30. Georg. II, 153. ubi. cf. I. H. Vossius p. 333. aliaque dabunt Schwarz. ad Plin. Paneg. c. LXXIII, p. 360. et Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 4. — *Et* ante *geminis* ob antecedens *nec* vim negativam accipit, quod, etsi hoc negaverit Bentlei. ad Horat. Epod. XVI, 6, tamen a Burman. ad Ovid. Met. III, 492. et ad Rutil. Itin. I, v. 253. satis superque probatum est. Transeo iam ad alteram h. l. emendationem, violentiorem quidem, sed planiorem:

— — *nec tantas* spumans *Tyrrhenus et Aegon*
Volvit *aquas*, *geminis et* desunt *Syrtibus undae.*

Sensus est: Neque tumidum mare Tyrrhenum et Aegeum tantas aquas volvit (sc. quantas Pontus Euxinus) et adeo Syrtibus (h. e. mari mediterraneo) undae desunt (sc. si eas cum Ponto Euxino comparaveris, non tam vastae sunt!), h. e. minus habent aquarum et latitudinis. Pro *quamvis*, quae vox iam aliis merito suspecta erat, scripsi *spumans*. Audax si cui videatur haec correctio, is cogitet, quomodo haec vox per compendium scripta in Mss. appareat: ubi lippientis librarii error eo facilior erat, quia antecedens vocabulum in *os* desinit, unde litera sibila in *spumans* absorberi facile poterat. *Mare Tyrrhenum* a tumore et aestu saepe notatur: mitto alios, videsis Priscian. in Perieg. v. 86. „*Inde salis tumidus Tyrrheni volvitur aestus.*" et v. 188. „*Qua tumor immensus Tyrrheni pellitur aestus, Accessusque furit siccisque recessus arenis.*" *Syrtes* appellantur *vastae* a Virgil. Aen. I, 146. et a Sil. Ital. I, 408. ibiq. Rupert.

— *Tyrrhenus* pro *Tyrrhenum mare*: de q. f. vid. Intpp. ad h. l. ad I, 629. Rutgers. Lect. Venus. X, p. 287. Broukhus. ad Propert. III, 5, 11. et Passow. ad Persii Sat. I. p. 219.

IV, 757.

— — *et ostentans prolem Jovis, Hinc tibi Pollux*
En, ait, inviso solvit cui pectore poenas.

Offendit vox *inviso*, quam merito Burmannus duram vocat. Bulaeus *inciso*, N. Heinsius *illiso*, cui adstipulatur Delamall. T. II. p. 360. Utraque emendatio reiicienda est, nam Amycus non pectore, sed capite Pollucis caestu verberatus periit: vid. supr. v. 306. „*congerit ictus Desuper averso: sonat omni vulnere vertex, Inclinis reciditque humeris*,“ uti illum locum correxi. Verum et Vulgata textu est eliminanda: videant doctiores, utrum Valerio veram restituerim lectionem, scribens:

En, ait, invito *solvit cui pectore poenas.*

Qui Amyci et Pollucis certamen a poëta supra descriptum attente legit, illum haud dubie non effugiebat, quam *invito pectore*, i. e. irato et repugnante animo Amycus Polluci cesserit eiusque caestu victus mortem occubuerit; quam *invitus* Polluci poenas solverit. Non opus est, ut comprobandae huic emendationi loca adiiciamus similia, sed, si placet, conferri possunt Virg. Aen. VI, 460. XII, 809.

V.

Observationes Criticae et exegeticae e libellis minoribus academicis scholasticisve excerptae.

Quo pauciora horum libellorum exempla ab auctoribus divulgantur, quoque difficilius a bibliopolis emi possunt, eo consultius visum est iam olim [1]), ex iis, qui in hoc genere eminent, repetere, quae ad nostras litteras pertinent, adiectis nonnunquam animadversionibus. Quod consilium, quum placuisse multis intellexerimus, ita illud exsequi pergemus, ut abstineamus ab iis commentationibus, quas non multo post maioribus voluminibus, facile ubique coëmendis insertas esse aut insertum iri cognoverimus [2]), brevitatis autem et varietatis iustam habeamus rationem.

Bb 2

1) In Commentarr. Soc. philol. Lips. pluribus partt.

2) Eo referuntur: *Observationum Criticarum* maxime in Athenaei Deipnosophistas, Particula I. quam auctoritate ampliss. Philos. Ordinis pro receptione in eundem d. VI. Mart. MDCCCXII. — defendet *Car. Gottlob Augustus Erfurdt*, Antiqq. Litt. Prof. ord. etc. adsumpto ad respondendum Henrico de Treyden Medic. Cult ac Semin. Reg. philol. Sodali etc. Regiomonti typis acad. Particula II. quam auctor. ampl. philos. ord. pro loco in eo ordine rite obtinendo d. XIX. Mart. — defendet C. G. A. Er-

[3]) In iudicio de locis veterum scriptorum paullo impeditioribus faciendo, quum omnes in partes considerationem intendimus, haud raro ea, quae laborare correctionibusque indigere visa erant Criticis, sana et integra esse deprehenduntur. Ex eo genere locus est Hecubae Euripideae v. 787. et 788. [4]), qui versus in libris plerisque omnibus hoc tali modo scripti exstant:

κοινῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμοί,
ξενίας τ' ἀριθμῷ πρῶτα τῶν ἐμῶν φίλων.

Haec lectio praestantissimis viris offensioni fuit, quod vel accusativum a participio τυχὼν pendentem vel post τυχὼν aliud participium, quo duo sententiae membra connecterentur, requiri sibi persuasissent. Accusativum quidem iam veteres Grammatici necessarium putarunt: in codicibus enim quibusdam supra vocem πρῶτα scriptus est articulus, quem a membranis in ipso textu oblatum Brunckius ob rationes ad Orest. 1251. expositas adoptavit. Verissime ibi monet, formulam πρῶτα τῶν ἐμῶν φίλων, omisso articulo, minime accipi posse pro ὁ πρῶτος τῶν ἐμῶν φίλων: sed quod notissimum illum canonem de duplici anapaesto exsibilandum esse pronuntiat, in eo et ipse falsus est, et hodieque reperiuntur, qui a manifesto errore nullo pacto se patiantur avelli. Tantum illi tribuunt duobus aut tribus exemplis nondum ea, quam ipsi postulant, nos exoptamus, evidentia correctis, prorsus non reputantes, quanta olim eiusmodi locorum multitudo fuerit, qui nunc vel codicum ope vel auctorum citationibus vel mutationibus lenissimis ac prope nullis in ordinem redacti sunt. Cuius

---

furdt — 32. pp. 8. Eae enim sunt repetitae in Regiomontani Horrei commentatt. philol. histor. etc. P. III., de qua infra dicetur. — *Observationes Criticae in Anthologiam* auctore *Frider. Iacobs*, Duci Sax. Goth. et Altenb. a Cons. aul. — Monachii, 1812. 8. 80 pp. quarum quidem prior pars Actis philologorum Monacensium a Fr. Thierschio editis T. I. fasc. 2. legitur inserta, alteram haud dubie proximus habebit fasciculus.

3) Ex *Erfurdtii* Praefatione praemissa Catalogo lectionum aestivarum in acad. Regiom. 1812.

4) In nuperrima Matthiae ed. 776. s. qui ipse nihil mutavit, sed in marg. attulit aliam lectionem: πρῶτος ὢν ἐμ. φ.

opinionis auctorem ipsum videmus fuisse Brunckium: is enim l. c. sic: *Qui versus omnes Euripidis, ubi pari sede anapaestus occurrit, facillimo negotio emendari posse affirmat, vellem istum ex Helena restituisset, Io. Piersonus:*

ἀτὰρ τίς εἶ; πόθεν; τίνος; ἐξαυδᾶν σε χρή.

Quae contra moneri possunt, ea iam occupavit vir summus, R. Porsonus in Praefat. ad Eurip. Hecub. p. VI. ed. sec. Lips. qui singula, quae Euripideae fabulae suppeditant, exempla suo quodque loco examinare constituerat. Id facere si licuisset, versum a Brunckio citatum sic, puto, emendaturus erat:

ἀτὰρ τίς εἶ; πόθεν; τίν' ἐξαυδᾶν σε χρή;

Eodem plane modo Ion in cognominis tragoediae v. 258. seq. interrogat Creusam:

τίς δ' εἶ; πόθεν γῆς ἦλθες; ἐκ ποίας πάτρας
πέφυκας; ὄνομα τί σε καλεῖν ἡμᾶς χρεών;

Haec autem respondet:

Κρέουσα μέν μοι τοὔνομ', ἐκ δ' Ἐρεχθέως
πέφυκα, πατρὶς γῆ δ' Ἀθηναίων πόλις.

Sed ut revertamur, unde digressi sumus, in Hecubae loco ne minima quidem mutatione opus est, modo πρῶτα pro adverbio positum esse dicatur, constructione sic instituenda: κοινῆς τραπέζης τυχὼν ἐμοὶ πολλάκις καὶ πρῶτα τῶν ἐμῶν φίλων, ξενίας ἀριθμῷ. Cum genitivo illam vocem coniungi posse, notissimum est e versu Homerico, Odyss. Ξ, 158.

Ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα θεῶν, ξενίη τε τράπεζα.

Addamus pauca de Chori cantico in Alcestide, quod inde a. v. 211. [5]) legitur. Illud antistrophicorum lege scriptum esse primus, nisi fallimur, observavit Musgravius: at neque hic, neque posteriores Critici effecerunt, ut ex omni parte persanatum haberi possit. Nobis quidem facillima loci emendandi ratio videtur, ut hunc in modum scribamus:

---

5) 213. ed. Matthiae.

στροφ.

XO. Ὦ Ζεῦ, τίς ἂν πόρος κακῶν
γένοιτο, καὶ λύσις τύχας
ἃ πάρεστι κοιράνοις! ἒξ —
εισί τις· ἢ τεμῶ τρίχα,
καὶ μέλανα στολμὸν πέπλων
ἀμφιβαλώμεθ᾽ ἤδη;
δῆλα μέν, φίλοι,
δῆλά γ᾽, ἀλλ᾽ ὅμως
θεοῖσιν εὐχώμεσθα· θεῶν
γὰρ δύναμις μεγίστα.
ὦ ἄναξ Παιάν,
ἔξευρε μηχανάν τιν᾽ Ἀδμήτῳ κακῶν!
πόριζε δή, πόριζε,
(καὶ πάρος γὰρ τῷδ᾽ ἐφεῦρες)
λυτήριος ἐκ θανάτου γένου,
φόνιόν τ᾽ ἀπόπαυσον Ἅιδαν!

ἀντιστρ.

Παπαί, παπαί, φεῦ, φεῦ, ἰώ,
ὦ παῖ Φέρητος, οἷ᾽ ἔπρα-
ξας, δάμαρτος σᾶς στερηθείς.
ἄξια καὶ σφαγᾶς τάδε,
καὶ πλέον ἢ βρόχῳ δέραν
οὐρανίῳ πελάσσαι.
τὰν γὰρ οὐ φίλαν,
ἀλλὰ φιλτάταν
γυναῖκα κατθανοῦσαν ἐν
ἤματι τῷδ᾽ ἐσάψει.
ἰδοὺ ἰδού,
ἥδ᾽ ἐκ δόμων δὴ καὶ πόσις πορεύεται.
βόασον, ὦ στέναξον,
ὦ Φεραία χθών, ἀρίσταν
γυναῖκα μαραινομέναν νόσῳ
κατὰ γᾶν, χθόνιον παρ᾽ Ἅιδαν.

V. 1. pro *ἰώ* scripsimus *ὦ*, deleto *πως* ante *πόρος*. Ita versus est dimeter iambicus, quemadmodum is, qui sequitur, favente Tragicorum consuetudine, qua eandem aut similem versuum speciem saepius repetere amant. *τίς ἂν* significat *utinam aliquis*, de quo usu vid. Schaeferus ad Sophocl. Oed. C. 1100. Frequentius est *πῶς*

ἂν, *utinam aliquo modo:* hinc glossator aliquis supra voculam τίς scripsisse videtur πῶς, quod deinde in textum venit. Ac plane confirmant suspicionem nostram Scholiastae verba: τίς ἂν πόρος] τίς ἂν πόρος τῶν κακῶν ἡμῖν γένοιτο; ἢ πῶς; ἢ ποῦ; V. 11. εὐχώμεσθα metro postulante scripsimus pro εὐχώμεθα. Sequente versu post γὰρ male vulgo additur articulus ἁ, ut v. 30. τὰν ante ἀρίσταν. Porsonus ad Hecub. 435.: „*Saepe articuli nullo iure in choros invasere.*" V. 14. τῶδ' pro τοῦδ' verissima est Heathii coniectura. V. 15. libri omnes καὶ νῦν λυτήριος ἐκ θανάτου γένου, adversante metro. Duo priora verba interpolatori debentur, qui vera loci ratione haud intellecta excidisse putaret, quae verbis καὶ πόρος responderent. V. 17. παπαὶ geminandum duximus. Semel exhibent MSS. B. et Flor.; in Aldi editione corruptum est in παῖ παῖ. Ex hac varietate scripturae intelligitur, Musgravium in Eurip. Suppl. 1136. ubi duo codices ἀπαῖς ἀπαῖς, recte coniecisse παπαί, παπαί. Verba φεῦ φεῦ ἰὼ omittunt MSS. B. et Flor., in quibus bene ὦ παῖ Φέρητος, Aldina ἰὼ praebente. V. 20. expunximus αἶ αἶ ante ἄξια, quae ratio ne cui audacior videatur, post Hecubae v. 692. codices nonnullos αἶ αἶ κακῶν vel αἶ αἶ τῶν κακῶν, maiore etiam interpolatione, addere monemus. V. 21. vulgo πλεῖον invitis numeris. V. 22. pro πελάσαι dedimus πελάσσαι duplici σ, quae forma reperitur in Sophoclis Philoct. 1163. (1145.).

---

⁶) Ex eorum numero metrorum, quae tragici poetae in choricis carminibus frequentarunt, vix ullum saepius, si a dochmiaco discesseris, doctorum hominum investigationes elusit, quam quod a Glycone, haud ignobili poëta, Glyconeum appellatur: cuius naturam et indolem quum parum perspectam haberent, factum est, ut magna versuum multitudo aut describeretur perperam, aut minus emendate exhiberetur. Eius rei exempla in Euripideis fabulis reperiuntur plurima, quorum nunc

---

6) Ex eiusdem *Erfardtii* praef. catalogi lectt. hibernarum acad. Regiom. a. 1812—13.

duo eaque luculentissima tractabimus ex Heraclidis desumpta. Unum est illud canticum, quod inde a v. 354. usque ad 381. pertinet, ac nostra quidem sententia sic debet constitui:

Στροφή.
Εἰ σὺ μέγ' αὐχεῖς ἕτεροι
σοῦ πλέον οὐ μέλονται,
ὦ ξεῖν' Ἀργόθεν ἐλθών.
μεγαληγορίαισι δέ γ' ἐμὰς
φρένας οὐ φοβήσεις.
μήπω ταῖς μεγάλαισιν οὕ-
τω καὶ καλλιχόροις Ἀθά-
ναις εἴη· σὺ δ' ἄφρων, ὅ τ' Ἄρ-
γει Σθενέλου τύραννος·

Ἀντιστρ.
ὃς πόλιν ἐλθὼν ἑτέραν
οὐδὲν ἐλάσσον' Ἄργους,
θεῶν ἱκτῆρας ἀλάτας,
καὶ ἐμᾶς χθονὸς ἀντεχομένους,
ξένος ὤν, βιαίως
ἕλκεις, οὐ βασιλεῦσιν εἴ-
ξας, οὐκ ἄλλο δίκαιον εἰ-
64) Voc. κόσμος usus, aliis argumentis accedentibus et serum et imperitum monstrat Argonauticorum scriptorem.

68. et Diatr. de Aristob. Iud. p. 77. et 85. Cui iudicio non tam Porsoni auctoritas (ad Eurip. Or. 229.) opponitur quam et argumentum et sermo illorum hymnorum et apud antiquos obscuritas. Quae enim ex Demosth. et Pausania attulerat testimonia Ruhnk., recte reiecit Schneiderus. In Lithicis non occurrit κόσμος, sed in Fragmm. I, 7. II, 8. (ubi pro ἄνακτα-τυπωτήν, quod etiam dignius hoc nebulone), V, 3. VIII, 19.

Alexander Aetolus altiori scribebat sermone, quod etiam fragmentum docet ap. Athen. VII, p. 296. E. [65]) Hic nec de stellis errantibus scripsit, neque κόσμον dicere potuit. Potuit vero Alexander Ephesius; quem aliquoties sibi corrigendum sumsisse videtur Dionysius Perieg. Ita apud eum 593. [66]) Taprobane elegantius dicitur μήτηρ Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων, quam ap. Alexand. Ephes. ἁλιςέφανος Ταπροβάνη. Eiusdem Ephesii versum de Hercule laudat Eustath. ad Dion. 558. p. 217. χαλκείῳ δὲ λέβητι [67]) μέγαν διενήξατο πόντον, in quo ab Euphorione et aliis Herculi vel ἄκατον vel poculum tribuentibus recesserat Alexander Ephesius. Denique versus, quos ad Dion. 606. s. adfert Eustath. p. 224. [68]), Alexandri Ephesii esse coniicio. Sententia de rege Erythra communis fuit; Priscian. 606. s., Avienus teste Salmas. Exerc. Plin. p. 341. D. qui controversiam inter Dionysium et caeteros scriptt. compositurus Ἐρυθραῖος βασιλεὺς idem esse voluit, quod Ἐρύθρας, quod valde improbo.

---

65) Ubi λιτή (prima brevi) est λιτανευτή, *desiderata*, *expetita*, *grata*.

66) Cf. Eustath. ad Dion. 591. p. 222. ed. 1697. ubi Alexandrum laudat.

67) λέβητα de *navigio* quodam interpretatur Eustath. Cf. Bentlei. Resp. ad Boyl. p. 213. s. Lips.

68) In iis est ἁλὸς μεδέοντος Ἐρύθρα vel Ἐρύθρου. Ad v. 38. Strabonis verba retulerat, mare Erythraeum, secundum quosdam ab Erythra Persei f. illarum regionum rege dictum narrantis. De Deriade ap. Eust. memorato multus est Nonnus. Erythraei, populus, ap. Dion. 906. ss. Sive autem ἐρυθραῖον Dion. 607. pro nomine proprio habeas, sive pro ἐθνικῷ, Dionysius recessit ab auctore v. 55. ap. Eustath.

In vss. Alexandri de stellis errantibus multa vitiosa et obscura reliquit Schneiderus, qui si illarum systema sequutus Censorin. de die nat. 13. p. 68. ante oculos habuisset, fortasse sic ista v. 13. ss. daturus fuisset:

μέσσον δ' ἠέλιος πλαγκτῶν θέσιν ἔσχ' ὑπὲρ ἄστρων.
τοῖο δ' ἀφ' ὕψιστος μὲν ἔχει διὰ τέσσαρα κύκλος·
κείνου δ' ἡμιτόνον Φαίνων ἀνίησι χαλασθείς·
τοῦ δὲ τόσον Φαέθων, ὅσον ὄμβριμος Ἄρεος ἀστήρ.
Ἠέλιος δ' ὑπὸ τοῖσι τόνον τερψίμβροτον ἴσχει·
αἴγλης δ' ἠελίοιο τριημιτόνον Κυθερείης·
ἡμιτόνον δ' ὑπὸ τῇ Στίλβων φέρεθ' Ἑρμείαο·
τόσσον τε χρωσθεῖσα φύσιν πολυκαμπέα μήνη·
κέντρου δ' ἠελίοιο θέσιν διὰ πάντ' ἔλαχε χθών,
αὐτὴ πεντάζωνος 69) —

V. 14. (in quo nihil de Saturno) vulgo est: *τοῦ δ' ἀπὸ δὴ ψυχρος — ὕψιστος κύκλος summum coelum*, ut Censor. Possis et: *τοῦ δ' ἀπὸ δὴ ὕψος μὲν — κύκλος*. V. 15. sensus: a summo coelo dimidii toni spatio abest Saturnus. V. 16. si admiseris *τοῦ*, sensus existit, quem inesse vult Schneid. *τόσον* et *ὄβρ.* iam ap. Galeum; hoc fort. ferendum. V. 17. *δ'* insertum ap. Gal., ap. eundem *τερψίβρ.* V. 18. coniicias *αἴγλη δ' lumen solis*. Vulg. tolerari possit, si ad *Κυθ.* suppleas *ἀστήρ*, sed malo *Κυθερείη* (ut Gal.) vel potius *Κυθέρεια*. V. 21. lectionis correctae sensus: *a centro solis diastema διὰ πέντε nacta est terra*. cf. Censor. Nota responsionem in his *πέντε*, et *πεντάζωνος*. V. 24. ingeniose Schn. correxit: *ἔσχεθε τὸν διὰ πασῶν*. Mihi vero *οὐρανὸν* ab *χθὼν* pendere videtur Censorin. *ad terrae autem summitatem ab eodem coelo tonos esse sex, in quibus sit διὰ πασῶν symphonia.* — V. 3. scribendum *χελυοσσόου Ἑρμείαο* (partim cum Galeo), in seq. *Τῷ δ' ἔπι* — Aliae sunt non contemnendae lectiones ap. Gal.

Quinto in Pleiade loco est *Lycophron*, sexto *Philiscus* 70), de quo Suid. et Eudocia p. 427. Is omnino *Φι-*

---

69) Plura a Schneid. correcta iam ap. Galeum emendata exstabant. V. 8. *Φαίνων* male sollicitatum est a Schneid. *Φαίνων* Saturni est, non *Iovis* stella, quae *Φαέθων* dicitur.

70) Qui in Bibl. Coislin. p. 577. cum Isocrate memoratur

λιμος appellandus est, non Φιλίσκος. Pauwio (ita censenti ad Hephaest. p. 123.) praeiverant Salmas. ad Simmiae Rh. Alas p. 185. s. (Paris. 1619.) et Vossius de P. Gr. p. 318. qui apud Marium Plotium in arte de metris col. 2655. Putsch. ubi carmen *Philicum* vocatur, recte *Philicium* corrigi iubet [71]). Toupius tamen Emm. in Suid. P. III. p. 546. s. Lips. secundam voc. Φιλίσκος syllabam nunc brevem nunc longam esse contendit, idemque delirat, ubi in hanc quaestionem de correptione ante consonantes incidit, Nam in Ind. ad Add. in Theocr. p. 402. demonstrare locis partim dudum partim ab ipso corruptis conatus est, vocales ante μφ, λμ, μπ, ντ, μγ posse corripi. In Theocr. 21, 16. mira est modestia Valkenarii Toupii coniecturam, 'Ασφαλίων τί μέμφῃ memorantis, magis etiam mira eiusdem obsequentia erga Heinsium et Brunkium in transponendis vbb. 'Ασφαλίων et αὐτομάτως. 'Εταῖρος, *accusas*, inquit, *pulcram aestatem*, *iniuria* scilicet, vel *non ita; non enim* etc. vel, cui hoc nimis durum ad supplendum videatur, is signum interrog. post θέρος figat: *tunc accusas aestatem? at enim vero non* etc. De Aristoph. Nub. 130. post Brunk. et Herm. praeeunte Bentl. (σκινδαλάμους legente) vel de Eurip. Mede. 282. (284.) post Porsonum dubitatio esse nequit, ut nec de *Solone* Fr. XVI, 6. p. 80. Poet. Gnom Br. dubitari non poterit, quin ἀφέντων depravatum sit. MSS. Steph. ἀφέτων, quod sive ab ἄφετος sive ab ἀφέτης derives, cum accusat, coniungi nequit. Violentiori remedio opus esse videtur [72]). Finge Solonem scripsisse:

Philiscus, haud dubie Milesius est rhetor, de quo Ruhnken. Hist. Cr. Or. gr. p. 83. Philistus solito errore vocatur ab Ions. de Scr. Hist. phil. in Ind. Obiter moneo, in Bibl. Coisl. p. 597., quem locum citat Harles. ad Fabr. I. p. 318. nihil legi de Pleiade, nec plus a Proclo in Chrestom., quos autem idem V. D. p. 322. s. excitat Crassum Hist. poët. gr. et Mongitorem Bibl. Sic. verbosos esse, novi, quod frugi sit, nihil continere.

71) Neque enim a Φίλικος dici Philicum potuit, quod miror non vidisse Salmasium. Φιλίσκιον Suid. et Eudocia appellant vel aliorum auctoritate in errorem delati vel quod Φίλικος minus usitatum esset nomen.

72) Solonis enim fragmenta admodum lacera sunt. Partem

su *typanum* exhibet Brunck. Append. ad Apoll. Rhod. I, 1139. p. 217. ubi lectionem τυπάνῳ iam Scaliger et alii praeiverant. Sed Burm. auctoritatem, Etym. M. adiecit. Catullus (64, 262. ss.) Plangebant *aliae* [78]) etc. *multis raucisonos efflabant cornua bombos*, quae lectio est a Scaligero in Castigg. dubitanter posita, sed post in ordinem recepta. Vossius *efflebant*; debilis est, quam affert Quintiliani auctoritas; mirum tamen quod praeter Mediolanense, cuius lectionem in reliquis detorquet Burm. ad Prop. III, 2. (vulg. 3.) 42. p. 503., etiam alia scripta exemplaria *deflebant* et unum impressum *eflabant* habere video. Servanda est antiqua librorum lectio: *Multi* — uterque Accus. *cornua* et *bombos* pendet a verbo *efflabant*. Fragmentum Aeschyli ex 'Ηδωνοῖς quod Scal. laudat ita distinguit et scribit, adhibita var. lect. ap. Strab. IV. p. 191. ss. Tzschuck. Naekius:

— — — — ὁ μὲν ἐν χερσὶν
βόμβυκας ἔχων τόρνου κάματον,
δακτυλόδεικτον πίμπλησι μέλος [79])
· μανίας ἐπαγωγὸν ὁμοκλάν.
ὁ δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ.
ψαλμὸς δ' — — — ἀλαλάζει·
ταυρόφθογγοι δ' ὑπομυκῶνταί
ποθεν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῖμοι,
τυπάνου δ' εἰκὼν ὥσθ' ὑπογείου
βροντῆς φέρεται βαρυταρβής.

βόμβυκας e codd. recepi, quocum δακτυλόδεικτον μέλος egregie convenit. cf. Agam. 1343. Nisi id in codd. esset, retineri posset βέμβικας Scalig. adiuvante Phalaeco (Philaenum vocat Kust. ad Suid. V. Θίασος) III, 1. p. 421. I. Anal. [80]) δακτυλοδ. et τόρνου καμ. etiam sic apta fo-

78) Hoc ut ex libris reciperem, paene persuasi mihi, sed iidem v. 257. *Harum*, quod tolerari non potest.

79) Verba ὁ — χερσ. sunt fragmenta dimetri. Qui ab ὁ μὲν — μέλος integros dimetros faceret, nimis disiungeret a nominibus suis adiectiva.

80) ῥόμβος Βασσαρικοῦ θιάσου μύωψ. Utrumque locum ibi iam comparavit Iacobs. Anim. I, II. p. 247. — Apud Phalaecum s. Philaenum III, 5. MS. τυπάνου, notante Kust. ad Suid. V. Βρόμος.

rent, sed μέλος de rhombo paene nimis audacter. Caet. ῥόμβος a Bacchi sacris non est removendus; fuit enim, si Clementi et Arnobio fidem habemus, ludicrum Bacchi infantis, v. Orph. Fragm. 17. p. 477. Herm. Diogenes ap. Athen. XIV, p. 636. τυπάνοισι καὶ ῥόμβοισι [81]) καὶ βόμβοις. — V. 4. 5. Scaliger ἐπαρωγὸν et χαλκοθροῖς: debuerat certe χαλκοθρόοις, sed vocabulum nihili est. Pro ἐποβεῖ [82]) Schol. Hom. Ven. ad Il. ψ, 34. ἠχεῖ perperam. Ante ψαλμὸς Scaliger lacunae signum posuerat; non sunt paroemiaci reliquiae, sed ψαλμὸς inceperat dimetrum. Erat quum, breviloquentiam sectans, breviori pro ἀλαλάζει forma illata, sine lacuna omnia decurrere coniiciebam, sed codices abhorrent. Antequam Strabonem inspexissem, scribebam: μῖμοι τυπάνων, ἀχὼ δ' — βροντᾶς [83]), ita tamen ut ἀχὼ nulla alia esset quam horum τυπάνων. Sed ἀχὼ ex emendatione est, εἰκὼν omnes Codd. Sensus: *tympani autem* (i. e. a tympano) *imago veluti tonitrus* — fertur. — Quomodo Toupius (Emendd. in Suid. l. c.) versum Eupolidis (Suid. V. Νεανισκεύεται), non expeditum illum, mensus fuerit, detegere nolo. Potest ille versus, ita ut exhibetur, legi. Illud mirandum, quod Suidas Eupolidem ἰδίως ἐσχηματικέναι τὸ νεανισκεύειν dixerit. An ideo quod non medium posuit? Mirum, quod Eupolis non maluerit: αὕτη νεανίζοντος ἐπεθύμησε μου.

Fabricius et Harles. inter Tragicos *duos Philiscos* referunt; nostrum *Philiscum* s. Philicum *Corcyraeum*, tempore Philadelphi, ex Pleiade, a quo metri nomen, et *Philiscum Aeginetam*, qui sacerdos Bacchi pompae Ptolemaei interfuerit (Athen. V, p. 198.). At Corcyraeus, non Aegineta, fuit Bacchi sacerdos (Suid. Eudoc.) et de eo Athenaeus loquitur. De Philisco Aegi-

81) Hoc Pierson. coniecit. Casaub. ad Athen. non debebat etymon voc. τύμπανον tam longe repetere, quod propius aberat. v. Eust. ad Od. α, 1382.

82) Ed. Basil. Athen. et alii libri in media ό accentum mire ponunt.

83) Hoc fortassis recte, nam ὁμοκλὰν praecessit. Non dissimilia in Prom. 1090.

neta *tragico* incerta sunt omnia; nunquam τραγικὸς appellatur. Suidas duos Aeginetas habet Philiscos, unum qui Alexandrum Magnum litteras docuerit, auditor Diogenis Cynici vel Stilponis, alterum Diogeni Cynico prorsus addictum. Ex uno Philisco duos factos coniicias. Verum is, quem Suidas Aegina Athenas profectum et Diogenis disciplina captum narrat, per temporum rationes vix Alexandrum γράμματα docere potuit. Quod si verum est (cf. Aelian. V. H. 14, 11.), duos accipiamus Philiscos Aeginetas necesse est, et quod Diog. Laert. et Iulianus de tragoediis Philisci Aeginetae tradunt, non ad priorem (cum Kust.), sed ad eum, quem secundo loco Lexicographus memorat, referendum erit [84]. Sed haec etiam magis dubia redduntur, si Fabricium in nomine Diogenis Oenomai, tragici, compares; quamquam inde non sequitur, tragoedias Diogenis Oenomai per errorem tributas fuisse Cynico; nam potest Suidas Diogenis Cynici tragoedias notiori tragico Diogeni Oenomao adscripsisse. Philistus Plut. Alex. 8. Archonidae s. Archonidae f. [85], cuius lectio egregie decet Alexandrum. Plinii Philiscus (H. N. 35, 10.), quem *meditantem* a Protogene pictum fuisse narrat, Corcyraeus noster fuit. Magis dubia res est de Philisco Parrhasii in eodem Plin. cap. [86]. Si interpunctione post Phil. sublata arctissime iunxeris: *et Philiscum et Liberum Patrem adstante Virtute*, cum Virtute et Baccho poëta dramaticus in

---

84) Vid. Diog. L. vit. Diog. p. 155. C. ed. Lond. et 156. a. Iulianus (ap. Menag. ad D. L. p. 147.). Φιλίσκον τινὰ Αἰγινήτην vocat, unde patet non admodum notum eum fuisse.

85) De quo Suidas duobus locis p. 603. V. Φιλίσκος et 604. V. Φίλιϛος.

86) De Philisco Thasio, quem fortassis intelligi scribit Harduin. p. 693. T. II., nihil constat praeter Plin. 11, 9. Tragoediarum scriptorem, de quo sect. 20., intelligi tempora non sinunt. Olim Harduin. ex Anthol. 4, 8. (Anal. Brunck. II, p. 348.). *Philoctetem* pro Philisco reponi voluerat. Dalechampius magistrum Alexandri supra commemoratum intelligit; quod certe temporum computatio permittit.

una tabula fuit pictus [87]), et, si Philiscus Parrhasii dramaticus fuit poëta, Comicus fuisse debet, quem Suid. et Eudocia memorant. Dubitavit olim Naekius de Philisco *Comico* et dramata ei ap. Suid. tributa pro satyricis Philisci Corcyraei fabulis habenda coniecit. Postea dubitationem omnem abiecit. Nam etsi, quae ap. Stob. (S. 129. p. 199. ed. Tig. 71, p. 434.) Philisci nomen gerunt, tragicum ingenium praeferunt et Corcyraei sunt, tamen qui a Salmas. Exercc. Plin. p. 425. C. exhibetur versus Philisci Comici:

Ὁ Πειραιεὺς 88) κάρυον μέγ' ἐςὶ καὶ κενόν·

re et metro comicus est. Ex titulis quoque dramatum Philisci Com. colligas, eum inter antiquam et mediam comoediam vixisse [89]).

Non leviter lapsus est Fabricius (II. p. 314.), ubi Philiscum Aeginetam dicit *Philistum* appellari ap. Plut. Timol. c. 15. Nam ibi *Philistus* intelligendus est supra commemoratus Syracusanus, celeberrimus inter historicos et φιλοτυράννους [90]). Quid vero Philisto cum Leptine eiusque filiabus fuerit, cognoscitur ex Plut. Dione c. 11. [91]), cui adiungenda narratio Aeneae Poliorc. 10. de Leptine Himeram quasi in exilium misso (cf. ibi

87) Picturae Parrhasii eadem fere suberat imago, quam Dioscorides in suis epigrr. in Sophoclem et Sositheum expressit, nisi quod hic non Bacchum ipsum, sed personam scenicam finxit.

88) Scrib. Πειραεὺς, ut Aristoph. Pac. 144. sed ibidem paullo post in anapaestis restituenda est Diphthongus. Versus fortasse ex Themistocle.

89) Si quis auctoritate Athenaei et Plinii commotus Corcyraeum Tragicum etiamnum Φιλίσκον appellari velit, consentiet certe, illum in suo versu se Φίλικον nominasse. Utrumque nomen, si originem spectes, fere idem significat.

90) v. Plut. Pelop. 34. Dion. 36. quem locum excerpsit Photius p. 1192. Rothom.

91) An ibi legendum: τὴν μὲν γυναῖκα τοῦ Φιλίςου — ?

neta *tragico* incerta sunt omnia; nunquam τραγικὸς appellatur. Suidas duos Aeginetas habet Philiscos, unum qui Alexandrum Magnum litteras docuerit, auditor Diogenis Cynici vel Stilponis, alterum Diogeni Cynico prorsus addictum. Ex uno Philisco duos factos coniicias. Verum is, quem Suidas Aegina Athenas profectum et Diogenis disciplina captum narrat, per temporum rationes vix Alexandrum γράμματα docere potuit. Quod si verum est (cf. Aelian. V. H. 14, 11.), duos accipiamus Philiscos Aeginetas necesse est, et quod Diog. Laert. et Iulianus de tragoediis Philisci Aeginetae tradunt, non ad priorem (cum Kust.), sed ad eum, quem secundo loco Lexicographus memorat, referendum erit [84]. Sed haec etiam magis dubia redduntur, si Fabricium in nomine Diogenis Oenomai, tragici, compares; quamquam inde non sequitur, tragoedias Diogenis Oenomai per errorem tributas fuisse Cynico; nam potest Suidas Diogenis Cynici tragoedias notiori tragico Diogeni Oenomao adscripsisse. Philistus Plut. Alex. 8. Archonidae s. Archonidae f. [85], cuius lectio egregie decet Alexandrum. Plinii Philiscus (H. N. 35, 10.), quem *meditantem* a Protogene pictum fuisse narrat, Corcyraeus noster fuit. Magis dubia res est de Philisco Parrhasii in eodem Plin. cap. [86]. Si interpunctione post Phil. sublata arctissime iunxeris: *et Philiscum et Liberum Patrem adstante Virtute*, cum Virtute et Baccho poëta dramaticus in

---

84) Vid. Diog. L. vit. Diog. p. 155. C. ed. Lond. et 156. a. Iulianus (ap. Menag. ad D. L. p. 147.). Φιλίσκον τινα Αἰγινήτην vocat, unde patet non admodum notum eum fuisse.

85) De quo Suidas duobus locis p. 603. V. Φιλίσκος et 604. V. Φίλισος.

86) De Philisco Thasio, quem fortassis intelligi scribit Harduin. p. 693. T. II., nihil constat praeter Plin 11, 9. Tragoediarum scriptorem, de quo sect. 20., intelligi tempora non sinunt. Olim Harduin. ex Anthol. 4, 8. (Anal. Brunck. II, p. 348.). *Philoctetem* pro Philisco reponi voluerat. Dalechampius magistrum Alexandri supra commemoratum intelligit; quod certe temporum computatio permittit.

una tabula fuit pictus [87]), et, si Philiscus Parrhasii dramaticus fuit poëta, Comicus fuisse debet, quem Suid. et Eudocia memorant. Dubitavit olim Naekius de Philisco *Comico* et dramata ei ap. Suid. tributa pro satyricis Philisci Corcyraei fabulis habenda coniecit. Postea dubitationem omnem abiecit. Nam etsi, quae ap. Stob. (S. 129. p. 199. ed. Tig. 71, p. 434.) Philisci nomen gerunt, tragicum ingenium praeferunt et Corcyraei sunt, tamen qui a Salmas. Exercc. Plin. p. 425. C. exhibetur versus Philisci Comici:

Ὁ Πειραιεὺς 88) κάρυον μέγ' ἐςὶ καὶ κενόν·

re et metro comicus est. Ex titulis quoque dramatum Philisci Com. colligas, eum inter antiquam et mediam comoediam vixisse [89]).

Non leviter lapsus est Fabricius (II. p. 314.), ubi Philiscum Aeginetam dicit *Philistum* appellari ap. Plut. Timol. c. 15. Nam ibi *Philistus* intelligendus est supra commemoratus Syracusanus, celeberrimus inter historicos et φιλοτυράννους [90]). Quid vero Philisto cum Leptine eiusque filiabus fuerit, cognoscitur ex Plut. Dione c. 11. [91]), cui adiungenda narratio Aeneae Poliorc. 10. de Leptine Himeram quasi in exilium misso (cf. ibi

Dd 2

87) Picturae Parrhasii eadem fere suberat imago, quam Dioscorides in suis epigrr. in Sophoclem et Sositheum expressit, nisi quod hic non Bacchum ipsum, sed personam scenicam finxit.

88) Scrib. Πειραεὺς, ut Aristoph. Pac. 144. sed ibidem paullo post in anapaestis restituenda est Diphthongus. Versus fortasse ex Themistocle.

89) Si quis auctoritate Athenaei et Plinii commotus Corcyraeum Tragicum etiamnum Φιλίσκον appellari velit, consentiet certe, illum in suo versu se Φίλικον nominasse. Utrumque nomen, si originem spectes, fere idem significat.

90) v. Plut. Pelop. 34. Dion. 36. quem locum excerpsit Photius p. 1192. Rothom.

91) An ibi legendum: τὴν μὲν γυναῖκα τοῦ Φιλίςου —?

Casaub.). Ab hoc Leptine, Dionysii fratre, diversus est Leptines ap. Plut. Timol. 24.[92]).

Philicum sextum in Pleiade ponit Suidas, neque *Aeantiden* neque *Dionysiaden* s. *Dionysiden* habet, quibus additis octo existunt Pleiadis poëtae[93]). Dionysiaden unus agnoscit Schol. Hephaest., neque is sine controversia (v. Pauw. p. 123.); at quominus ibi Sosiphanem reponamus, impedit Strabo XIV, p. 675. ποιητὴς δὲ τραγῳδίας ἄριστος τῶν τῆς πλειάδος καταριθμουμένων Διονυσίδης. Restat Αἰαντιάδης (sic in Pauw. ed. Heph., ap. Tzetz. Αἰαντίδης, ut et VV. DD. recentt. appellant[94]), quem satis uterque Schol. Heph. tuetur.

Sosiphanis fragmenta subiungam. Apud Stob. 20. p. 172. ed. Tig. 1559.

Νῦν σοι πρὸς ὄψιν θυμὸς ἡβάτω, γέρον,
νῦν δεῖ γὰρ ὀργὴν, ἡνίκ' ἔνδικον, λαβεῖν.

Sic scripsi. Vulg. νυνὶ δεῖ ὁ. Adiuvant libri ap. Schow. p. 375. Serm. 22. p. 187. (coll. Schow. p. 408.):

ω δυστυχεῖς μὲν πολλὰ, παῦρα δ' ὄλβιοι 95)
βροτοί, τί σεμνύνεσθε ταῖς ἐξουσίαις,
ἃς ἕν τ' ἔδωκε φέγγος ἕν τ' ἀφείλετο 96);
ἂν δ' εὐτυχῆτε μηδὲν ὄντες, εὐθέως
ἴσ' οὐρανῷ φρονεῖτε, τὸν δὲ κύριον Ἅιδην
παρεστῶτ' οὐχ ὁρᾶτε πλησίον.

Haec optimo tragico ex florentissima aetate non indigna qui legerit, fortasse existimabit alterum Schol. Heph. et

---

92) Geminum istis in Pelop. et Timol. locum animadverto Plut. εἰ πρεσβ. πολ. c. 1. p. 100. T. XII. Tub. οὐ γάρ ἡ τυραννὶς (ὥς τις εἶπε Διονυσίῳ) καλὸν ἐντάφιον, etc. τις: Philistus In eodem cap. verba Simonidis sic legenda: ἐσχάτιον δύεται κατὰ γᾶς.

93) Ex iis nullus cum specie iuris removeri potest, ita ut inter antiquos ipsos dissensio de illis fuisse videatur.

94) Perperam ap. Delrium *Anantides*; qui et Scholiasten cum Hephaest. confudit.

95) Similia Aesch. Agam. 1306.

96) Proxime accedit Eurip. Phoen. 1703. Pors. (1685.). cf. Inus Fr. 16, 2. 3.

et Suidam, quum Sosiphanem ad Pleiadem referrent, errasse, et poëtam hunc ad altiorem aetatem evehendum esse, aequalem Philippi et Alexandri. At in illis vss. nihil est, quod Alexandrinorum poëtarum aetati non conveniat, qui quidem iniusta iudicia experiuntur. Non ex Lycophronis Cassandra aliae eius fabulae neque caeterorum Pleiadis poëtarum iudicandae sunt. Sosiphanes Alexandri et Philippi aetatem attingere et Olymp. CXIV. sqq. ἀκμάσαι, et sub Philadelpho inter Pleiadis poëtas numerari potuit, quos eodem tempore viguisse probabile est.

Schol. Eurip. Phoen. 1017. *Sosiphanem* laudat, ubi Valck. p. 106. monuit Kuhnium, ea afferentem ad Paus. p. 757., male *Sosigenem* appellare. Contraria ratione apud Eustath. (p. 763, 9. ed. Rom. [97]) peccatum ait, ubi Sosigenem restituit Heyn. ad Il. 1, 453. Vol. . p. 626. — Schol. Apoll. Rh. III, 533. p. 144. Steph. n annot. quae plurium manus continere videtur: Σωσιφάνης ἐν Μελεάγρῳ· Μάγοις ἐπῳδαῖς πᾶσα Θεσσαλὶς κόρη, Ψευδὴς σελήνης αἰθέρος καταιβάτις. Natalis Comes [98]) in Mythol. 3, 17. p. 252. ed. Genev. 1653. (p. 56. Hanov. 1619.) locum auctiorem dat: Μάγοις ἐπῳδαῖς π. Θ. κ. (πάντες λέγουσιν ὡς) καθαιρεῖ γὰρ ἂν Ψευδὴς

97) Eadem fere in Schol. Ven. p. 231., etiam Σωσιφάνης.

98) Natalem multos locos scriptorum hodie amissorum ex Mss depromtos protulisse, Lobeckius Diatr. ant. de morte Bacchi p. 17. not. 10. monuit, eumque codicibus usum fuisse plenioribus et multa singularia continentibus. Naekio quoque persuasum est, Scholia autem Apoll. e codd. diversa ab editis hauriri posse Schaefer. ad Greg. Cor. p. 84. s. ostendit. Fortasse quis coniiciat, versum ut ap. Natalem scriptus exhibetur, ab eo esse factum et insertum, quum viderit καταίβασις, quod in suo codice invenisset, non habere unde pendeat. Sed ipsum hoc voc. καταιβάτις etsi probum, tamen non activa significatione usurpatur. v. Steph. Thes. V. Κατάβασις. Add. Lycophr. 90. s. Etiam mascul. non activa vi dicitur: v. Kust. ad Suid. h. v., etsi βαίνω interdum activum est (Porson ad Or. 1427.); etiam Mercurius καταβάτης (Sch. Arist. Pac. 649.) est *qui descendit*, quod cognomini χθονίου respondet. Contra Porsoni normam (Suppl. Praef. p. XXXIII. Lips. ideo non offendit Natalis versus, quia interpungitur ante καί. Scholia Parr. Apoll. in ed. Schaef. locum S. non auctiorem habent.]

Σ. αἰϑ. καταίβασις. quae ille sic vertit: Quaevis puella Thessalorum carmine, ut Ferunt, abolet; sed illa vana fama quod Labatur alto luna pura (puro) ex aethere. Verba πάντ. — καϑαιρεῖ coniungenda sunt; cohaerent πάντες λεγ. ὡς κόρη καϑαιρεῖ. cf. Schol. Ap. Fortasse duo apud Sosiph. colloquebantur, quorum primus ἦν (vel tale quid) πάντ. λεγ. *quam omnes tradunt ab omni puella Thess. deripi;* alter: *perperam; fabula enim fuerit descensus Lunae.* Vel unus dixisse cogitari potest: omnes tradunt Lunam deripi a puellis: deinde se corrigens: falso, nam etc. Simplicior est haec explicandi ratio, ut Sosiph. dicat: Luna vi deripitur a puellis Thess. quod omnes affirmant; fabula enim descensus voluntarius ad Endymionem.

Corollarii loco has Naekius subiecit emendationes; *Maxim.* περὶ καταρχῶν 92. s. nisi credas, quod non credo versum post κηραίνουσα excidisse, sic legendi sunt: Ἢ καὶ Μαρπήσσης ἐρικυδέος, ἠὲ καὶ αὐτῆς Λαοδάμης, ἥ τ' αἰὲν ἐπ' ἀνέρι κῆρ ἤμυσσεν l. potius ἤνυσσεν. Aliquando conieceram in v. κηραίνουσα inesse v. κηρόν, memor eorum, quae de *cerea* Protesilai imagine narrantur. Wesselingium hic ne commemorandum quidem putavi. Erit f. cui placeat: κῆρ ἀνίησεν. — *Aeschyli* fragmentum e Xantriis, quod latuisse videtur Boeckhium de Gr. Tragg. princc. c. 3. p. 29. ap. Galen. (Bentlei. Ep. ad Mill. p. 58. ed. Ox. ita constituendum est:

ἃς οὔτε πέμφιξ ἡλίου προσδέρκεται
οὔτ' ἀστέρων ποτ' ὄμμα, Λητώας κόρας 99).

Arati versum Diosem. 410. (1142.) quum olim tractabam, ultimum esse ex poëtis antiquis, qui canoni de prosodia voc. καλὸς repugnaret, pronuntiabam; nimis confidenter. v. *Eratosthenis* versus ap. Schol. Apoll. Rh. I, 972. (cf. Intpp. Hes. ad Δενδαλίδας.) Ἑρμῆν Erato-

---

99) Geminus est locus Prometh. 802. s. Quod singulari modo Dianae originem enarrasse fertur, id fortasse ad quaestionem de mysteriis per Aeschylum divulgatis pertinet. Caet. Galenus T. V. p. 217. col. b. 20. ed. Ald. ἐξ ἀντιαίας, habet ut recte in Bentleii Ep. ed. Ox. In Opusc. Phil. ed. Lips. p. 501. Ἐξαντίας.

sthenis fuisse carmen etiam aliunde constat. Καλὰς ἰούλους inde referunt Spanh. ad Callim. p. 733. Ern., Schneid. in Lex. v. Ἴουλος [100]). H. Stephanus legebat καλοὺς et Brunck. ad Apoll. p. 44. (Lect. ad Analecta p. 112.) καλοὺς δ'[1]). — Mirum tamen quod Schol. Apoll. Etym. M. (certe in ed. principe ap. Iacobs.) et Tzetz. in καλὰς consentiunt. Scribe: ἢ χερνῆτις ἔριθος ἐφ' ὑψηλοῦ πυλεῶνος [2]) δενδαλίδας τεύχουσ' ἁπαλάς, ἤειδεν ἰούλους [3]). — Disputaturus eram de ι dativi elisa, et de ι muta. Obiter moneo, ἐάω ap. Hom. fortasse digamma habuisse. Δέπα', γῆρα' non dictum fuit, sed γῆρᾳ, δέπᾳ. Cod. Harl. Od. κ, 316. δέπαϊ. In Il. κ, 277. fero ὄρνιθ'. Melius fuisset θι productum ante Ὀδ. Saepe huiusmodi locis [4]) ita succurrendum est, ut casum quartum positum a poëta existimes, velut Il. α, 467. In Il. a init. poëta cecinerat:

— πῦρ
ἀστέρ', ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον.

---

[5]) Apud Platonem in eximio opere de Republica Adimantus, frater Philosophi, postquam poëtas epicos, Homerum praesertim, severo iudicio damnavit, quod deos perperam tradidissent precibus, sacrificiis ac lustrationibus placari posse, ne ulciscerentur meritos: quo

---

100) Iacobs. Anim. in Anth. I. II. p. 314. hac de re nihil.

1) Is verba interpunxit sine sermonis epici intelligentia, nisi erratum est. Debuerat scribi: ἣν δ' ἄρα χερνῆτίς τις ἐφ' ὑψ. πυλεῶνος, δενδαλίδας τεύχουσα, καλοὺς vel: ἣν — τις, ἐφ' ὑ. π., τ. κ.

2) Addi quoque comma potest post πυλ. ut est in Lycophr. ed. Bas. Opor. 546.

3) Iure posthabeo alteram coniecturam τεύχουσα πάλης. Epico Hom. sermoni assuetus fortasse desideret ad ἰούλους epitheton, a quo sequens versus inceperit, sed non necessarium. Eratosthenes non fuit Homerus.

4) Ubi scil. ι elisa videtur.

5) Ex Cel. Boeckhii, Prof. Berol. praefatione Catalogo lectt. hibernarum 1812—13. in acad. Berol. praemissa.

ostendat, quam hae fabulae animis iuvenilibus perniciosae sint, indolis ingenuae adolescentem, qui quidem dictis istiusmodi quasi involare, atque inde velut apes succum e floribus, petere consilia queat, inducit perpendentem ac deliberantem, utra vitae secta sibi deligenda sit; temperantiaene ac iustitiae operam dare debeat, an pravis libidinibus obsequi eamque sibi artem comparare, qua, dum improbissima quaeque audendi esset copia, nihilo secius haberetur probissimus. Aurea plane verba sunt, quibus divinae mentis sapiens cogitationes hominum aperit, quae eos ab probandas exercendasque artes malas adducant et provocent; debentque ea omnibus, qui sibi cavere ab inhonestis moribus volunt, legi et relegi: quo magis operae pretium videtur aliquot inde eximere menda, quibus nunc inquinata sunt. Initium igitur hoc est [6]: Ταῦτα πάντα, ἔφη, ὦ φίλε Σώκρατες, τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα λεγόμενα ἀρετῆς πέρι καὶ κακίας, ὡς ἄνθρωποι καὶ θεοὶ περὶ αὐτὰ ἔχουσι τιμῆς, τί οἰόμεθα ἀκούοντας νέων ψυχὰς ποιεῖν, ὅσοι εὐφυεῖς καὶ ἱκανοὶ ἐπὶ πάντα τὰ λεγόμενα ὥςπερ ἐπιπτόμενοι ξυλλογίσασθαι ἐξ αὐτῶν, ποῖός τις ἂν ὢν καὶ πῇ πορευθεὶς τὸν βίον ὡς ἄριστα διέλθοι; λέγοι γὰρ ἂν ἐκ τῶν εἰκότων πρὸς αὐτὸν κατὰ Πίνδαρον ἐκεῖνο τὸ Πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον ἢ σκολιαῖς ἀπάταις ἀναβὰς καὶ ἐμαυτὸν οὕτω περιφράξας διαβιῶ; τὰ μὲν γὰρ λεγόμενα δικαίῳ μὲν ὄντι μοι, ἐὰν καὶ μὴ δοκῶ, ὄφελος φασὶν οὐδὲν εἶναι, πόνους δὲ καὶ ζημίας φανεράς· ἀδίκῳ δὲ δόξαν δικαιοσύνης παρεσκευασμένῳ θεσπέσιος βίος λέγεται. Liquet ex ante disputatis, scribendum esse ἐὰν μὴ καὶ δοκῶ, in hanc sententiam: *Ea enim, quae dicuntur, iusto mihi, nisi idem habear iustus, nihil pollicentur commodi fore, labores autem et damna manifesta.* Deinde pro voocula πῇ ex usu linguae et Platonis consuetudine restitue ποῖ, quod habes in codice Regio et Ficini interpretatio genuina expressit his verbis: *et quorsum tendens quam optime vitam agat.* Etenim casus quartus τὸν βίον non a participio πορευθεὶς pendet, sed a verbo διέλθοι. Praeterea καὶ ante ἐμαυτὸν in libro Parisiensi omissum haud dubie est insititium: nam post participium ἀναβὰς illato verbo περιφράξας διαβιῶ cum

6) Rep. II, p. 365. A. B.

voce οὕτω coniuncto legitime abest καί [7]). Caetera Platonis ipsius verba sana: nam quod Benedictus [8]) ex Stephani Thesauro scripsit ἐπιπτάμενοι, non κατόρθωμα est sed παραδιόρθωσις. At fragmenti Pindarici neque lectio certa nec sensus perspicuus. Duplex enim habetur scriptura, altera δίκας et σκολιᾶς ἀπάτας in Platonis et Maximi Tyrii [9]) libris vulgaribus, apud Ciceronem [10]) et in Ficini interpretatione Latina [11]); altera δίκᾳ et σκολιαῖς ἀπάταις in codicibus Platonis Veneto ac Regio atque et Maximi Regio atque Harleiano, ex quibus reposuit Davisius, itemque apud Eusebium Pamphili [12]). Iam si prior lectio vera est, cum Ernesto [13]) ad genitivum σκολιᾶς ἀπάτας supplendum est τεῖχος: nam quod nuperus Reipublicae editor vocem ἀναβαίνειν duplicem hic et structuram et significationem habere dicit, ut primum ἀναβαίνειν τεῖχος sit *ascendere moenia*, deinde ἀναβαίνειν σκολιᾶς ἀπάτας exponatur *ingredi via doli*, ad Ficini rationem; istud commentum vereor ut multis probetur. Nobis vero (licebit enim paucis defungi in re tenui) altera lectio multo magis probatur, imprimis spectato Pindaricorum verborum tenore, quae ex auctorum veterum testimoniis concinnata haec sunt: Πότερον δίκᾳ τεῖχος ὕψιον Ἡ σκολιαῖς ἀπάταις ἀναβαίνει Ἐπιχθονίων γένος ἀνθρώπων, δίχα μοι νόος ἀτρέκειαν εἰπεῖν [14]) Sententia carminis aperta: *Utrum iustitia, an dolis obliquis altius fortiusque munimentum genus*

---

7) Conf. Heindorf. ad Gorg. §. 135.

8) In coniecturis in Plat. libb. de Rep. p. 8. Ad vocem ἐπιπτόμενοι conferri potest Porsonus ad Eurip. Med. vs. 1.

9) Diss. XVIII, p. 208. ante Davisium.

10) Ad Att. XIII, 38.

11) „*Utrum iustitiae conscendam alta moenia, an obliquas doli vias ingrediar?*“

12) P. E. XV, 5. ubi tamen δίκᾳ τεῖχος transiit in δὴ κατ᾽ ἴχνος, monente Schneidero Fragmm. Pind. p. 82. ed. Heyn.

13) Clav. Cic. p. 889. 893.

14) V. Fragmm. Pind. l. c. ubi quod Hermannus recepit δὴ κατ᾽ ἴχνος ὕπτιον, non video, qui possit locum tueri.

humanum occupet, suspensa mihi mens est. Ubi notes ὕψιον non esse ὑψηλόν, ut Schneiderus arbitrabatur, sed ὑψηλότερον: a nomine enim ὕψος formatur ὑψίων, ὕψιστος, ut αἶσχος, αἰσχίων, αἴσχιστος: ἔχθος, ἐχθίων, ἔχθιστος: κάλλος, καλλίων, κάλλιστος. Sic genitivo nullus iam locus est, ideoque Pindaro saltem tertius casus restituendus: eundem vero a Platone scriptum esse fidem faciunt libri optimi. Mature tamen in Pindari codicibus natam varietatem esse, colligas inde, quod Cicero secundum, Eusebius aliique tertium habent casum: quos ex ipso Pindaro, non ex Platone hausisse inspectis eorum verbis invenies.

Qui inde ab aliquot annis ad parandam novam librorum *Dionis Cassii*, qui reliqui sunt, editionem animum adiecit, eamque in rem undique conquisivit auxilia, Clar. *Sturzius*, non tantum de suo consilio [15]) editionisque futurae ratione, sed etiam de locis nonnullis Dionis, absoluta disputatione de vocibus animalium [16]), accuratius nuper dixit [17]) etiam ea de causa,

---

15) De quo cf. Schaefer. ad Greg. Cor. praef. p. XLI. s.

16) *Frid. Guil. Sturzii*, Ill. Moldani Rectoris et Prof., *Prolusiones sex de vocibus animalium*, Grimae 1805 — 11. singulis annis, 4. editae. De quibus quidem vocibus *factitiis* s. *nativis* non tantum veteres Grammaticos, medicos, physicos, graecos latinosque, laudavit, et, qui supersunt, consuluit, in his *Albii Ovidii Iuventini* elegiam de philomela, opusculum de vocibus animal. lat. ab Iriartio in Catal. Codd. Matritt. editum, sed recentiores quoque libros adhibuit, ut praeter Casauboniana, Valcken. ad Ammon., Iriartium, Car. du Fresne, qui ex Ugutione hausit, aliosque, etiam *Geo. Quittschreiberi* librum: Voces quaedam animalium etc. Ien. 1612. 8. Et primum quidem ex his variis et luculentis copiis, quas collegit, voces quadrupedum et reptilium, graecas et latinas ordinem alphabeticum nominum animalium sequutus exposuit (Prol. 1. 2.), tum avium et insectorum (Pr. 3 – 5.), tandem aquatilium et amphibiorum (Pr. 6.). In fine Prol. 6. nonnulla subiecit de vocibus animalium ad hominum voces aliarumque rerum sonos translatis. Speramus fore ut aliquando iunctim edantur et auctae hae commentatt.

17) Sex Orationes a totidem scholae regiae discipulis a. d.

ut iudicia VV. DD. et sententias cognosceret. Quod igitur ad editionem, quam meditatur, attinet, 1. monet, contigisse sibi prolixam virorum eruditorum in lectionibus variis e codd. enotandis et mittendis voluntatem, 2. multa tum in ipsius Dionis libris tum in Xiphilini Excerptis, inprimisque in Fragmentis, superesse emendanda; cuius generis nonnullos locos, usu loquendi Dionis diligenter consulto, emendari posse docet; Dionem enim, quamquam seriore aetate viveret, tamen ad Attici sermonis elegantiam orationem composuisse; quum autem trahere aliquid impuritatis ex sua aetate potuerit, inde difficillimum reddi iudicium, ubi duae lectiones offerantur, altera pura, altera seriorem aetatem redolens, utra a Dione profecta sit. Sic quum optimi scriptores Attici delectati fuerint verbis formisve verborum poëticis, idem etiam a Dione, quamquam rarius, factum est. Ita imperfectum v. ἐφέπομαι mox perperam ἐφέπετο pro ἐφείπετο scribitur [18]), mox ἐφέσπετο, forma poëtica et Ionica [19]). In his existimavit Sturz., hanc alteram formam, ubi ab antiquis codd. exhiberetur, servandam, in reliquis locis ἐφείπετο scribendum esse. Fortassis enim Dio ita orationem variare voluit, quum saepe verbis et formis Herodoteis usus sit. Gravius est, quod non raro imperfectum passivi in omnibus edd. pro plusquamperfecto legitur. Ostendit igitur idem, se, ubi sententia plusquamperfectum postulet, huius formam, si quidem in codd. reperta sit, restituturum esse. Saepissime, inquit, ita iudicandi occasio est de v. πέμπειν [20]), sed etiam de

---

XIV. Sept. a. C. cIↃIↃcccxII. habendas indicturus pauca quaedam de nonnullis Dionis Cassii locis exposuit M. *Fridericus Guilielmus Sturz*, Ill. Mold. Rector et Prof. Grimae ex offic. Göschen. 16. pp. 4.

18) p. 151, 58. 336, 45. 921, 12. *ἐφέποντο*, p. 246, 25. 345, 65. 628, 76. *ἐφέπετο*, p. 605, 74. *συνεφέποντο*, 957, 77. *συνέποντο*. In quibus locis, praeter 971. 605. et 957. etiam in cod. Medic. antiquiore legitur forma Ionica.

19) p. 288, 1. 833, 92.

20) ut p. 87, 7. et 200, 100. *ἐπέμπετο*, pro quo cod. Med. *ἐπέπεμπτο*, p. 421, 80. *προσεπέμπετο*. Idem Medic. *προσέπεμπτο*, p. 421, 7. *προσεξεπέμπετο* in eodem est *προσεξεπέπεμπτο*. Unde p. 84, 17. *μετεπέμπετο* in *μετεπέπεμπτο* mutandum quis putet.

aliis [21]). Saltem alias librarii omiserunt potius syllabam, quam addiderunt [22]). Sed de his et rogat viros doctos, ut quid sentiant, humaniter significent, et posthac ipse quaeret diligentius. 3. Demonstrat, priores quoque editiones, inprimis *Henr. Stephani*, esse conferendas; etenim Reimari editionem habere vitia, in antiquioribus non reperta [23]). Idem alios locos, qui barbarismos vel soloecismos exhibent, facile emendandos, reliquit intactos, ut *ἐμμένοις* p. 80. 87. *ἐχαλέπηνεν* p. 109, 64. [24]) et similia, *ἠθέλουν* p. 252, 74. ubi Cod. Med. prior *ἤθελον*, *ἐδεδωροδόκεισαν* p. 196, 57. ubi in eodem cod. recte *ἐδεδωροδοκήκεισαν*, *πειθαρχηκέναι* p. 486, 78. [25]), *συνεπηύξησε* p. 407, 27. [26]), *ἐπανώρθωσε* p. 255, 72. pro *ἐπηνώρθωσε* ut p. 413. 99., *περιλειπεῖς* [27]), *συμφερώτατον* [28]). Nec reliqui editores, nec Reimarus in hac vel illa forma satis constantes fuerunt [29]). Neque enim eo-

---

21) ut p. 188, 36, in eod. cod. *ἀπετέθειντο*, pro *ἀπετίθεντο* et p. 229, 3. *ἐκεκώλυτο*, pro *ἐκωλύετο*.

22) Sic in cod. Medic. recentiori p. 477, 100. pessime scritum *κατέπληκτο*, p. 480, 5. *ἐνενίκει*, p. 490, 23. *ἐγγυημένῳ*, 557, 77. *ἐτολμήκεσαν*.

23) Ita Reim. p. 93, 7. *τέτραψαι* cum Leuncl. pro *τέθραψαι* ut Steph. p. 108, 36. *οὔτ' ὑπανέστη*, Steph. recte *οὐδ'*. p. 383, 98. rursus cum Leuncl. *Πελοπόνήσου*, 496, 5. *γινοσκομένους*, 585, 87. *ἀπαγάστη*, quae omnia rectius scripsit Steph.

24) Talia vitia ex omnium scriptt. vett. edd. eiicienda sunt. Cf. Fischer. Anim. in Well. P. II. p. 377.

25) Cod. Ven., nunc Paris. et uterque Med. suppeditant verum *πεπειθαρχηκέναι*.

26) Uterque Med. *συνεπηύξησε*, et ipse Reim. p. 356, 65. *ἐπηύξησεν*.

27) P. 213, 17. 601, 5. pro *περιλιπεῖς*, quod altero loco etiam in utroque Medic.

28) P. 699, 55. pro *συμφορώτατον*, quod cod. Med. iunior exhibet.

29) P. 196, 23. *κατηναλώκει*, p. 750, 56. *κατηνάλωσε*, p 209, 56. *ἀνηλώθησαν*, sed p. 207, 82. 564, 38. *καταναλῶσε*, p. 436, 61. *καταναλώκεν*, quae altera ratio, haud dubie verior, ubique erat sequenda. P. 106, 67. 587, 98. *εὕρατο*,

rum opinio probanda est, qui talem inconstantiam, modo vocabulorum potestas ne inemutetur, ferri posse putant [30]) In soloecismorum numero ponendos puto nonnullos eorum locorum, in quibus praeposs. ἀπὸ et ὑπὸ permutatae sunt [31]). Nam alias non tanta Dionis aut negligentia aut inscitia deprehenditur, ut talia ipsi tribui possint [32]). Quis item ferat περιέχειν cum Genit. constructum [33])? aut quis φημίζεσθαι dixit de senatoribus aliquid decernentibus [34])? Minus Dionem ausim ab eorum criminibus defendere, qui eum Latinismos orationi suae immiscuisse dixerunt [35]). Ita Fr. XLVII, I. p. 21, 84. μαντικῆς ἠπίςατο, quemadmodum partic. *sciens* Genitivus additur. Sed huius generis barbarismi tam pauci sunt, ut vel mirandum sit, Dioni non pluries eiusmodi maculas haesisse, vel pauca eorum exempla ne a Dione quidem profecta iudicari possint. Ita in loco modo memorato aut Accus. μαντικὴν reponi aut τι inseri potest. Interdum editores intruserunt latinam formam, ubi

---

p. 634, 94. εὑράμενοι, formas Alexandrinas, servavit Reim., ἀφείλαντο p. 606, 20. e cod. Med. non recepit.

30) Ita praecipitur de nominibus femin. quorum penultima syllaba ab aliis per ει scribitur, ab aliis per ι. v. Dorv. ad Char. p. 405. s. Fisch. ad Plat. Phaed. 13. Morus ad Isocr. Pan. 40. — προεδρεία Dion. p 659, 31. R., sed προεδρίαν 579, 54. ubi cod. Med. prior προεδρείαν. Contra in utroque Med. semper scribitur ἡγεμονία pro ἡγεμονεία, quod in edd. ut p. 359, 63. etc. ita ut ἡγεμονία sit praeferendum.

31) P. 76, 19. ἀπ' αὐτῶν ἁλῶ, 86, 23. ἀφεθεὶς ἀπ' αὐτῶν. Utroque loco ὑπ' scrib. Contra p. 98, 28. ὑπὸ τοῦ τοιοῦτον — προςποιήσασθαι, reponi ἀπὸ debet.

32) Nam p. 64, 30. 88, 41. est ἀπ' αὐτῶν ἔλαβε, p. 280, 59. 786, 5. ἀφίεσθαι cum ὑπὸ struitur.

33) P. 83, 98. τῶν αὐτῶν περιέχουσι, quod Reisk. pro περιέχονται (ἀντέχονται) dictum putat. At reliqua oratio declarat, inserendum esse μνήματα.

34) P. 99, 77. Cum Turnebo rescrib. ψηφίζεσθαι, quod de senatu dicitur p. 205, 3. et saepius.

35) Exempla pleraque notata sunt a Reiskio in animadvv. ad Dion. Cass. T. II, p. 1501—17. ed. Reim. et Vol. I. Animm. ad auct. graecos.

Dio ea verisimiliter non usus est. Sic forma Καπιτώλιος vel Καπετώλιος [36]) praeferenda est alteri Καπιτωλῖνος, Steph. Byz. et codd. auctoritate. Maiores difficultates crearunt editori librarii, qui mox omiserunt vel verba singula vel integras enunciationes [37]), mox ita turbarunt verba Dionis, ut verus eorum ordo restitui aut genuina lectio erui non possit. Cuius generis duo locos attulisse sufficiat. Unus est (35, 4. p. 79.) ubi quid pro corrupto ἀφιτρωθεις reponendum sit, soluta cuique sit inter varias coniecturas [38]) optio, hoc tamen moneo, ἀφιερωθεὶς commendari tum simplicitate et facilitate emendationis tum codicis consensu. Erit tamen delendus artic. ὁ, ut participium illud ad Metellum, non ad alium, referatur. In altero loco (36, 21. p. 98.) haec: καὶ πολλοὶ ὑπὸ τῶν τιμητῶν τῶν διαγεγραμμένων ἀναλαβεῖν πρότερόν τινα τὴν βουλείαν ἐσπούδαζον, συστάσεις καὶ παρακελευσμοὶ παμπληθεῖς ἐφ' ἁπάσαις ταῖς ἀρχαῖς ἐγίνοντο. Graeca non esse, quivis videt [39]). Sturzio locus ita refingendus videtur: πολλοὶ ὑ. τ. τ. διαγεγραμμένοι ἀ. τὴν πρότερον βουλείαν ἐσπ. — τινα ex artic. τὴν enatum videtur. In eodem p. 89, 98. neminem offendet pronomen ante articulum cum participio (ἐκείνους τοὺς μηδὲ χρωμένους) [40]); sed male eum habet μη-

36) v. Reimar. in Add. et Emm. II. p. 1699. — Cod. Med. antiquior et Taurin. p. 139, 35. habent τοῦ Καπιτωλίου, uterque Med. p. 385, 42. 580, 58. idem; τῷ Καπιτωλίῳ (Διΐ) uterque Med. p. 430, 45 et iunior p. 655, 76. τὸν Καπιτώλιον, uterque Med. p. 441, 62. ubi tamen, quum sit Manlii cognomen, res dubia est.

37) Reimarus iam aliquot huius generis difficultates sustulit ope bonorum codd., alias se esse sublaturum ostendit Sturzius.

38) Leuncl. et Turn. αὖθις αἱρεθεὶς, H. Steph. ὁ ἀντ' αὐτοῦ αἱρεθεὶς, τρωθεὶς, vel Αὐφίδιος τρωθεὶς, Anon. et Penz. ὄφει τρωθεὶς, Fabric. cum cod. Paris. ἀφιερωθεὶς, Reimar. et Wagn. ἀνθαιρεθεὶς, Reisk. ἀνθιδρυθεὶς s. ἀνθιδρυνθεὶς s. ἐπικληρωθεὶς. Ὄφει τρωθεὶς ob Graecitatem admitti nequit.

39) Haec quoque variis coniecturis edd. et intpp. tentata sunt.

40) Nam pronomina etiam demonstrativa ante participia servari, docuit Morus ad Isocr. Paneg. 2. p. 9.

δὲ [41]), quod in μηδὲν mutandum censet (qui nullo modo mari utuntur, ne navigant quidem, nedum piraticam faciant). μηδὲ tamen defendi posse largitur ob locum alium (p. 93, 1.) ὂν οὐδὲ ἄρχειν ἔτι πω καὶ τότε δυνάμενον —, ubi ἔτι et καὶ τότε ideo additum esse potest, ut appareat, Pompeium, non modo illo tempore quo adversus Sertorium mitteretur, sed ne tum quidem cum contra piratas mittendus esset, ea fuisse aetate, qua magistratu fungi per leges licuerit. In alio loco (p. 106, 54. οἱ μὲν ἔχαιρον ὡς καὶ ἐν τῷ Φωτὶ πάντως τινὰ ἀμυνούμενοι) fateor mihi non liquere, quid sibi τινὰ velit, sive singularem esse dicas sive pluralem. Imo legendum arbitror vel πάντως τὶ vel πάντως τρόπον τινὰ ἀμυνούμενοι. Ita p. 347, 6. [42]).

Duo praeterea locos in fragmentis Dionis a nullo superiorum interpretum pertractatos, auctor p. 11. ss. in altera comment. parte persequutus est. Primus est n. LVIII, 1. p. 26. Reim., ubi non sollicitum eum habet nomen Ἰνδίβολις, quamquam Ἰνδίβιλις ab aliis scriptum, quum in barbaris nominibus varietur, sed nomen gentis Ἰαγερτανοὶ corruptum esse censet. Apud Polyb. (X, 18, 7.) rex τῶν Ἰλεργητῶν dicitur [43]) et ap. Strab. III. p. 161. B. C. ed. Casaub. (I. p. 431. Siebenk.) mentio fit τῶν Ἰλεργετῶν, ut ap. Liv. nunc *Illergeies* (22, 21. 29, 1. 21, 61. 28, 31. 34.) nunc *Ilergetes* (26, 49.) appellantur. Ἰλυργιανοὶ ap. Dion. reponi non possunt, quum Ἰλυργία (Appian. de b. Hisp. 32. T. I. p. 138. Schweigh.) huc non pertineat et Steph. Byz.

---

41) Nihil enim haec partic. significare posset, quam καὶ μή.

42) Quod ad superiorem interpretum notas attinet, constituit futurus editor *Fabricii* et *Reimari* adnotationes repetere integras, ut et *Valesii* notas ad Fragmenta, e *Stephanorum* autem, *Xylandri*, *Sylburgii*, *Leunclavii* et *Ursini* notis praeter eas, quas Reim. suis intexuit, paucissimas addere. Sed de his et omnibus, quae in hoc libello dicta sunt, cupit, quae est modestia eius laudatissima, cognoscere Virorum DD. iudicia, quae sequatur. Nos eum suo malimus, satis deliberato, consilio obsequi.

43) In Polyb. III, 35, 2. est Ἰλουργητῶν s. Ἰλλουργητῶν, ubi constantiae causa scribendum erat Ἰλεργητῶν.

ἐθνικὸν ab Ἰλουργεία esse dicat Ἰλουργειάτης (aut Ἰλουργειανός). Si regionis, quam Ilergetes incolebant, nomen fuit Ἰλεργητία, inde deduci potuit Ἰλεργητηνός, vel italica forma Ἰλεργητανός [44]). Itaque apud Dionem recipiam Ἰλεργητανοί, quod nec a vulg. lectione nimis recedit, et cum historia consentit. Neque enim populus unus idemque non potuit Ἰλεργῆται, Ἰλεργέται et Ἰλεργητανοὶ dici, quum gentilia urbium et populorum saepissime plura uno reperiantur. Alter locus est in Fragm. Ursini de Legg. n. 11. (CLI. p. 64. Reim.), ubi Reiskius, quum vix graece dicatur ἀναβαίνειν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης, legendum suspicatur ἀναβάντες ὑπὲρ τὴν Σαλώνην (Dalmatiae opidum). Sed fortassis vulgata lectio ita est explicanda: διαβάντες τὴν θάλασσαν καὶ ἀναβάντες *traiecto mari pergentes pedestri itinere.* Saltem Xenoph. Hist. Gr. V, 4, 59. ὑπερβῆναι εἰς est, *superatis montibus venire in* — et Romani, de quibus Dionis locus agit, navibus advecti cladem in terra continente acceperunt. v. Polyb. II, 11, 13. ex quo apparet, *Nutriam* fuisse opidum Illyrici maritimum, prope quod fuisse putandus est λόφος Ἀτύριος mox a Dione memoratus. Nusquam alias aut Nutriae aut collis Atyrii fit mentio [45]). Possit quis ap. Polyb. Νουρίαν in Ἀρουκίαν [46]) mutandum, et apud Dion. Ἀνδήριον [47]) vel potius Ἀνδήτριον reponendum existimare. Quod si cui displiceat, is videat, an intelligi possit collis ad Atyram fluvium situs, quem Plinius H. N. IV, 11. alio nomine Pydaram appellari ait, et inter Byzantium ac Selymbriam ponit Ptolemaeus (III, 11. p. 195.), a quo, ut a reliquis scriptt. omnibus, Ἀθύρας scribitur. Neque tantum fluvius fuit hoc nomine, sed etiam prope eum navale et sinus et opidum. v. Steph. Byz. V. Ἀθύρας,

44) Sic ab Ἀτροπατία, Ἀτροπατηνός· Κεβρηνία, Κεβρηνός· Πήλιον, Πηληνός· Ἱσπανία, Ἱσπανός· Καμπανία, Καμπανός. Steph. Byz. V. Ἀτρία — συνήθης γὰρ Ἰταλῶν ὁ τύπος, ὁ διὰ τοῦ ανος. Cf id. in Ἄγκυρα.

45) v. Schweighaeus. ad Polyb. T. V. p. 367.

46) Quae ap. Ptolem. Geogr. II, 15. p. 142. ed. Bas. est inter πόλεις μεσογείους Λιβουρνίας.

47) V. Dio 56. p. 816, 55.

Suid. V. Μελαντίας, qui sua hausisse videtur ex Agath. de reb. Iustin. V, p. 158., Procopius de aedif. Iust. IV, 8. (coll. Agath. p. 146.), Palladius de vita Chrysost. p. 32. (ubi p. 34. est τὰ Ἄθυρα). Caeterum in antiquioribus edd. Pomponii Melae (II, 2, 6. ubi v. Tzschuck.), ut in Plinii edd. scribitur *Atyras*. Quare etiam in loco Dion. facile quis putet Ἀτύριον vel Ἀθύριον λόφον recte scribi, nisi malit Ἀθυραῖον, quia Steph. Byz. gentile Ἀθυραῖος habet, quamquam verba eius ad incolas oppidi potius spectant. Dolendum est, Zonaram, qui magnam loci Dionei partem Annalibus inseruit, ea verba, in quibus collis mentio fit, praetermisisse.

Plutarchi Vitarum parall. locos nonnullos, qui in Iacobsii Atticis leguntur, explicuit nuper et emendavit, scholastico programmate, *Fridericus Augustus Gottholdus* [48]), Director Collegii Fridericiani, quod Regiomonti est, consulturus sua opera tum scholarum magistris tum discipulis superiorum ordinum. Insunt tamen libello, quae alios lubenter cognituros esse speramus. Vit. *Solon.* c. 8. refutatur Corayus, qui verba πιλίον περιθέμενος de pilei in diaeta aegrotorum usu explicuit. Simulat se Solon, modo reducem, ne petaso quidem, quo peregrinantes utebantur, et paenula depositis in forum prodiisse. ἦλθον pro ἐλήλυθα, ut et ap. poëtas prosaicosque scriptt. alibi aoristus perfecti loco ponitur, v. Hom. Il. 1, 207. coll. 202. (εἰλήλουθας —

---

48) Mirum est, indicem libelli partim latinum, partim vernaculum esse: *Animadversionum in Plutarchi vitarum aliquot locos*, womit zu der Prüfung auf dem Friedrichscollegium d. 25. März einladet, *Friedrich August Gotthold*, Director des Friedrichscollegium und Mitglied der wissensch. Deputation für Ostpreufsen etc. Königsberg, bey Degen. 24. pp. 8. In praef. laudat auctor Iacobsii Attica propter varietatem locorum delectorum et commentarium, monet tamen, neque illarum, quibus chrestomathia haec constat, partium iustum esse nexum, neque in animis puerorum, ad quos formandos etiam delectus scriptorum et locorum qui legantur spectare debeat, magnam esse posse vim, commentarium autem non omnem, quae in singulis locis reperiatur, difficultatem tollere.

ἦλθον), 152. 5, 204. 7, 25. 35. Eurip. Hec. 1183 (εἴρ-γασαι — ἔτλης) Plat. Protag. p. 310. b. Steph. (ἀφίκου pro ἀφῖξαι). — *Aristid.* c. 6. ἐκτήσατο — προσηγορίαν τὸν Δίκαιον tuetur G. contra Iac. qui τοῦ Δικαίου dedit. Ita Mar. c. 1. τὸ προσηγορικὸν — τίθεσθαι τὸν Μακρῖνον etc. Aristid. 7. ὄνομα — φόβον τυραννίδος τιθέμενοι. Plato Phaedr. p. 253. (238.) Steph. σωφροσύνη ὄνομα (ad q. l. cf. Heindorf.) add. Sympos. p. 192. c. St., Politic. p. 297. e. Eurip. Hec. 1245. Ion. 260. — *Aristid.* c. 7. Recte fortassis Iacobs. ὅπως — ἐγγράψει dedit pro ἐγγράψῃ, quum Vulcob. liber habeat ἐγγράψειν. Sed Buttmannus, cuius Grammaticam gr. §. 127, 4. adire iubet, disputat contra Dawesii regulam, a Iac. spectatam [49]), motus haud dubie argumentis ab Hermanno in ephemm. litt. Lips. a. 1805. p. 609. 1807. p. 1771. contra eum prolatis [50]), atque eidem Dawesii legi adversati quoque sunt Heindorfius in Plat. dial. select. T. IV. p. 44. et 476. atque Erfurdt. ad Soph. Oed. Tyr. 329. s. ed. secundae [51]), quorum quidem locis G. addit Hom. Batrach. 150. ss. ὅπως ἐξολέσωμεν [52]) et Demosth. Olynth. 1. p. 9. Reisk. ὅπως βοηθήσητε καὶ μὴ πάθητε. Auctor tamen cum Erfurdtio, qui sententiam mutavit, Dawe-

---

49) Is Misc. Crit. p. 221. 227. sq. tum de μὴ οὐ tum de ὅπως et ὅπως μὴ praecipit, eas. partt. ap. Graecos omnino, non tantum Atticos, strui tantum cum aor. 2. Activi vel Medii, et cum aor. 1. Passivi, nusquam cum aor. 1. Activi vel Medii, ideoque soloecum esse ὅπως μὴ διδάξῃς, verum ὅ μ. διδάξεις.

50) 1. Causam non esse, cur aor. 2. cum istis particulis iungi, primus non possit, quum inter eos nihil intercedat discriminis, 2. non perinde esse utrum Futurum an Aoristum cum istis partt. construas, 3. quum in Passivis ea lex non servetur, causae nihil esse cur in Activis et Mediis servanda sit, 4. ingentem locorum secus se habentium numerum reperiri, nec 5. rem ubique confici posse η in ει, ω in ο mutandis, sed passim opus esse maiori mutatione, ut Plat. Rep. X, p. 609. b. St. ubi οὐ — μὴ ἀπολέσῃ, in ἀπολεῖ mutandum sit ex lege Daw.

51) [Is tamen nuper (ephemm. Lips. 1812. p. 1893. s. fassus est, nunc sibi legem Dawesii probari.]

52) Forma ὀλέσω a Buttmanno neglecta, a Matthiaeo sine ulla exceptione commemoratur.

sio adsentiri mavult, quod admodum rari sint loci, qui mutando aoristo 1. act. et med. obnitantur, iique aut parum aut nihil faciant ad refellendam Angli doctrinam. Sic in Plat. Rep. X, ἀπολεῖ facile ex ἀπολέσῃ exstitisse, quum ἀπολέσει scriptum fuerit, ut Arist. Av. 1514. et Erfurdt. obss. in Athen. p. 6.; in Xenoph. Anab. 4, 8, 13. facile μείνῃ et μενεῖ confundi potuisse, ex pronunciatione, quae per medium aevum obtinebat; Cyrop. 7, 5, 82. ἀπολαύσωμεν in ἀπολαύωμεν mutandum esse, quin etiam ἀπολαυσόμεθα in ἀπολαύσομεν (v. Tho. M.) atque inde in ἀπολαύσωμεν transire potuisse [53]; in Soph. Oed. T. 330. ἐκφανῶ legit; in Hom. Batr. dubitat an ἐξολέσωμεν scribi possit, quamvis praecedat ζήσωμεν, quum ὅπως a praesenti vel futuro pendens tamen interdum cum Optat. construatur. v. Matthiae uberior Gramm. §. 519. In Demosth. loco ὅπως βοηθήσετε καὶ μὴ πάθητε scribit. „Videant igitur, inquit, viri docti, quibus firmioribus argumentis Dawesium oppugnent."

Themistocl. c. 4. λυθεῖσαν πόλιν ex αὖθις ἀνέστησαν, quam veram lectionem restituit Corayus, exstitisse docetur. — C. 8. Pindari verba quater ap. Plutarch., semel ap. Aristid. leguntur. v. Wyttenb. ad Plut. de S. N. V. p. 38. et Pindar. Heyn. ed. sec. T. III. p. 101. ss. Verba καλὸν Ἀρτεμίσιον quoque Pindari esse videntur [54], et fragmentum sic scribi posse monetur:

(τό τε) καλὸν
Ἀρτεμίσιον, ὅθι παῖδες Ἀθαναίων ἐβάλοντο φαεννὰν
κρηπῖδ' ἐλευθερίας.

C. 9. ὅπερ ante verba οἱ πολλοί, quod Iac. delevit, retinetur, et ad verba τὴν πόλιν ἀφέντας ταῖς ναυσὶν cogi-

53) In loco, quem Gotth. praetermisit, Aristoph. Eccl. 116. προμελετήσοιμεν legendum suadet Erfurdt. in ephh. Lips. 1812. p. 1894.

54) Nam Plut. de malign. Herod. IX, p. 441. Reisk. testatur, Pindarum Artemisii mentionem fecisse. τό τε καλὸν est lectio cod. Turneb. de S. N. Vind. l. c. nec verisimile est, καλὸν a Plut. profectum esse.

stando suppletur διενοοῦντο Ἀθηναῖοι i. e. Themistocles ceterique viri sapientes, quibus οἱ πολλοί, patriae relinquendae consilium improbantes, opponuntur. Cur Corayus ἐκβῆναι pro ἐμφῦναι, significantiori verbo, dederit, causa non apparet. — C. 10. cum Reisk. mavult G. scribere τῇ Ἀθηνῶν (pro Ἀθηναίων) μεδεούσῃ, siquidem urbs a civibus relicta deae tutela maxime opus habet. — C. 11. sublatum punctum [55]) post ἀντέλεγεν in comma mutat, et sequentia ex Iac. emendatione legit. Ita punctum etiam tolli vult c. 17. post καὶ κροτοῦντας, Cimon. 13 post ἐχόντων, Alcib. 2. post μανθάνοντας. — Ibid. fallit Plutarchum memoria, quum Eurybiadem dicentem facit: ὦ Θεμιστόκλεις etc. Dicit Adimantus Corinthius, testibus Herod. 8, 59. ipsoque Plut. Apophthegm. VI. p. 702. Reisk. [56]). — C. 12. Quod narrat Plut., Themistoclem liberis suis Persam praeficere voluisse, parum probabiliter, ex male intellecto loco Herod. 8, 75. ortum putat Dacer., eamque coniecturam confirmat quodammodo Aesch. Pers. 353. ἀνὴρ γὰρ Ἕλλην κ. τ. λ. Caeterum Σίκιννος, non Σίκινος, scribendum auctore Wessel. — C. 14. Miratur G. Iacobsium et Corayum neglexisse verissimam Reisk. emendationem: τὴν (pro τὸ) πνεῦμα — κατάγουσαν. Alioquin καὶ τὸ κῦμα et κατάγειν scribendum esset. Ibid. Cruserius verba βαρείας ἐπιφερομένας coniunxisse, eodemque modo Iac. locum intellexisse videtur, durissima, si modo graeca, structura. Posito post βαρείας inciso et suppleto part. οὔσας, vertas: barbaricas vero naves, quum editioribus puppibus tabulatisque excelsioribus et magno pondere essent, impetum in hostem facientes ingruens ventus turbavit. νῆας βαρυτέρας Graecis tribuit Herod. 8, 60. — C. 15. ἀνεχόντων praegnanter pro ἀπ' Αἰγίνης παρερχομένων καὶ τὰς χεῖρας ἀνεχόντων, ut Herod. 5, 72. κατέδησαν pro

55) Neque enim particula relativa neque pronunciationis Graecorum natura huiusmodi separationem pati videtur.

56) Ibi Valck. ἀεὶ post μαστιγοῦσιν deleri vult, natum ex vicino καί. Sed invitis codd. non tollendum esse monet G., quamquam abesse recte possit; nam *semper flagris caeduntur, quotiescunque in certaminibus iniussi aliqui surgunt,* nihil aliud est, quam: *flagris caeduntur, qui iniussi in certaminibus surgunt.*

κατέδησαν ἀπάξοντες, 8, 49. ἐκλελοιπότων pro ἐκλελ. καὶ πεφευγότων. — C. 17. Ritum et formulam ἀπὸ τοῦ βωμοῦ τὴν ψῆφον φέρειν illustrat locis Plat. Legg. VI, p. 753. C. IX, 855. XII, 948. Steph. Plutarch. Pericl. 32. [57]) Demosth. in Macart. p. 1054, 8. Reisk. de Cor. p. 271. R; ubi Taylorus laudat Demosth. c. Conon. p. 1265, 6. et Cic. p. Balbo 5. Quaeritur, utrum οἱ ψηφοφορεῖν μέλλοντες, acceptis calculis ad aram accesserint, ut iurarent et calculos in urnas coniicerent, an de ipsa ara sumserint τὰς ψήφους in cistulas iniecturi [58]). Apud Plat. distinguuntur ὅρκοι et τὴν ψῆφον φέρειν ἀφ' ἱερῶν. ut adeo nostro in loco probanda videatur eorum sententia, qui τὰς ψήφους in ara positas inde auferri volunt.

Cimon. c. 10. punctum ante vv. καὶ δεῖπνον οἴκοι tolli iubet, ut καὶ respondeat praecedenti τε. Nam docent quidem γάρ τε poni pro καὶ γὰρ Hoogev. de partt. c. 52. §. 18. Viger. de idiot. p. 520. sed tum ibi desiderantur exempla, tum aliud est γάρ τε et τέ γαρ. In his enim τε semper respondet part. καί, ut Aesch. S. C. Th. 429. In Soph. Trach. 1019. σοί τε, Hermanno iudice, non posse significare *etenim*, et locum emendatione egere, auctorem monuit Erfurdt. — Ibid. post μόνοις τοῖς δημοσίοις σχολάζων a Iac. non omitti debuisse, quae ap. Plut. sequuntur, ostenditur, quum Plut. ipse communi narrationi fidem non habuerit, ideoque Aristotelis sententiam addiderit. Comparatur Cic. de Off. 2, 18.

Alcib. c. 2. πατρῷος Ἀπόλλων e Demosth. de Cor. I, p. 274, 26. et Polluce illustratur. C. 7. αὐτῷ et ἐκείνῳ ad Alcibiadem pertinet, ut pateat, interdum nihil discriminis inter αὐτὸς et ἐκεῖνος esse. — C. 11. Ad ὃ μηδ. ἄλλος Ἑλλήνων Iac. supplet ἔλαβε, ἀπηνέγκατο, quam duriorem ellipsin auctor ratus censet fragmentum, ut in fine, ita et hic corruptum esse. De auctore carminis dubitat Plutarch. (Demosth. init.). — C. 13. Ut λαλεῖν et λέγειν, ita Plin. Epp. V, 20. *eloquentia* et

57) Ubi cum Reisk. scribi potest τοῦ ἐν τῇ πόλει, i. e. ἀκροπόλει.

58) Posterius probant Meurs. Areop. c. 9. p. 74. et Reisk. Ind. Demosth. V. Βωμός.

loquentia discernuntur. — C. 38. συνίεσαν, quod Reisk. in συνῄεσαν mutavit [59]), tuetur auctor, nam quod imperfectum, non aoristum legimus, mirum videri non debere, quum additum statim sit: ὧν — ἐποιοῦντο.

Pericl. c. 33. ita fragmentum Hermippi auctor emendat: ὡς τἀνάπαιστα ταῦτα δηλοποιεῖ τὰ Ἑρμίππου·

Βασιλεῦ σατύρων,
εἰ ποτ' οὐκ ἐθέλεις δόρυ βαστάζειν
ἀλλὰ λόγους μὲν περὶ τοῦ 60) πολέμου
δεινοὺς παρέχεις,
ψυχὴν δὲ Τέλητος ὑπέστης;
κἀγχειριδίου δ' ἀκόνῃ σκληρᾷ
παραθηγομένης βρύχεις κοπίδος,
δηχθεὶς αἴθωνι Κλέωνι.

---

59) Nullis huius locutionis exemplis allatis, quae verendum est, ut inveniantur.

60 Corayus, qui v. 7. recte κοπίδος scripsit, hic tamen articulum omisit, qui non abesse potest et ad sententiam est aptissimus, ὁ πόλεμος enim dicitur bellum tum gestum, Peloponnesiacum. Scilicet premitur eadem, qua Schweighaeuserus, rei metricae imperitia, siquidem vitia eius generis, facillime tollenda, intacta reliquit. In *Thes.* c. 2. τοιῷδε φωτὶ κ. τ. λ. praeferenda erat lectio Bodl. 1. et 2. *Solon.* 15. pro δουλοσύνην legendum δουλίην, quam lect. Corayus non ignoravit. Nam quarta senariorum sedes apud Comicos quidem, non apud Solonem, admittit anapaestum. *Poplic.* c. 15. si iambos vis, ita sunt disponendi:

— οὐ φιλάνθρωπός τύ γ' ἐσσ' · ἔχεις νόσον·
χαίρεις διδούς.

Sed iambi sunt pessimi, quamquam et Wyttenb. ad Plut. de garrul. 15. hoc metrum praetulit. Placet trochaicus tetram. catal. *Pericl.* 13. verba ἔργοισι δ' οὐδὲ κινεῖ emendatione indigerent, quum quartus senariorum pes a brevi syllaba incipere nequeat, nisi alia versuum dispositio huic malo mederetur:

— . — — πάλαι γὰρ αὐτό,
φησί,
λόγοισι προάγει Περικλέης, ἔργοισι δ' οὐδὲ κινεῖ.

Eod. cap. pro pyrrhichio ὅδε ponendus est iambus ὁδί.

hoc est: qui tandem fit, Pericles, ut nec ipse capias arma, nec nos capere sinas, sed, ne commisso quidem praelio, intra moenia sedens ab hostibus ludibrio habearis, quum tu tamen non solum sis auctor belli, sed etiam praeclarissima quaeque et hucusque nobis pollicitus sis et vere polliceri pergas? Quodsi tu hostium exercitum aciemque timeas, ignoscenda quodammodo tua sit ignavia; sed ex quo clamosus iste Cleon in te invehi teque mordere solet, tu, quasi alter Teles, audito ipso coquinarii cultri ad cotem triti stridore, misere contremiscis aniliterque exululas. Τέλης sive Ἀτέλης, ut Valcken. Diatr. in Eurip. fr. p. 222. coniicit scrib. (δ' Ἀτέλητος) — quisquis fuit, certe homo fuit ignavissimus ideoque ignotus. V. 6. legerem κἀγχειριδίου γ' Porsoni auctoritate (ad Eur. Or. 614. cf. Schaefer. Ind. Pors. V. καί), sed improbant eius sententiam Erfurdt. ad Soph. Phil. 1338. et Schaefer. ad Long. p. 350. — βρύχεις non est h. l. τρίζεις τοὺς ὀδόντας, sed eiulas, ploras, ululas. Soph. Trach. 1071. Brunk. βέβρυχα κλαίων puellae more ploratus edo, ubi glossa ἀναβοῶ [61]). Poëtae non semper observarunt discrimen inter βρύχειν et βρυχᾶσθαι a Grammaticis constitutum. v. Soph. Trach. 904. Aesch. Prom. 1090. ibique Schol. Hom. Il. ρ. 246. Od. ε, 411. Timidissimum quemque, ubi in magno periculo versatur, tales ululatus edere, vel Falstaffus Shakespearii docet (King Henry Part. I. act. 2. sc. 4.) — αἴθων (v. 8.) Corayus interpretatur ἄπληστος, δημοβόρος nisus Ael. V. H. I. 17. Non hoc Hermippus dicere voluit, neque hoc voc. tum usus fuisset. αἴθων est fervi-

Nam πρ in verborum initio antecedentem brevem non producit in senariis. V. Erfurdt. ad Soph. Ai. 1109. et Obss. in Athen. p. 15. Ibid. c. 16. τὰς ante πόλεις (anapaesti causa) delendum cum Bodl. 3. et Valck. Diatr. in Eur. p. 222., quem tamen in sequ. versu nollem scripsisse τὰ δ' αὐτά. Monuit Erfurdt. legendum esse τὰ δὲ ταὐτά, et τὰ μὲν — τὰ δὲ vertendum *nunc — nunc*.

61) Brunkius in not. ed. Soph. 1788., qui vult esse, dentibus frendere, fallitur. Dentibus frendimus, ne ploremus aut faciamus quae virum facere dedeceat. Sed Hercules κλαίει λιγέως, ut cum Hom. loquar (v. c. 1080.). Si nostrates rugire (brüllen) dicunt infantes et feminas alta voce eiulantes, cur Graeci non dicant?

dus, *ferox*, *violentus* homo, qualis Cleon fuit (Thuc. 3, 36.). Ita αἴθων Aiax dicitur Soph. Ai. 1087., et Aeneas Pseudoeurip. Rhes. 122. Et quo iure Sophocles Ai. 147. in αἴθωνι σιδήρῳ Homerum imitatus dicitur, eodem et meliori Hermippus Sophoclem aliosque tragicos in hoc voc. παρωδῆσαι dici potest.

Lysandr. c. 13. Verborum ἀλλὰ καὶ ὁ κωμ. Θ. nexum Iacobs. ostendit, non tamen ita ut tirones ex difficultate rei se expediant. Scilicet ἀλλὰ, ἀλλὰ καὶ, ἀλλὰ δὴ καὶ, s. ἀλλὰ καὶ δή, ἀλλὰ καὶ πάνυ elliptice usurpantur pro οὐ μόνον ἀλλὰ καὶ, et vertenda *imo vero*, *imo etiam*, *quin etiam*, *atque adeo*. Pseudoplutarch. de puer. educ. c. 4. [62]) add. c. 7. med. et c. 18. sub fin. Uberius. haec tractant Hoogov. de partt. Gr. v. ἀλλὰ, Viger. de id. Gr. p. 474. Bos de ellips. p. 788. Schaef. Quod Reiskius in his, quae ex Theopompo affert, senarios agnoscit, docere potest, quam difficilia sint istiusmodi iudicia et obnoxia errori. Nam ipsius Plut. sequentia verba possunt facile in hunc senarium redigi:

εὐθὺς γὰρ ἦν τὸ γεῦμα δυσχερέστατον.

Quid quod integri versus pedestribus scriptoribus tum Graecis tum Romanis exciderunt [63]).

---

[64]) In Ciceronis Tusculanis Disputationibus, nobilissimus est, sed vitiis quibusdam affectus, ille locus, (I,

---

62) Ubi οὐκ si ante verba ἀλλὰ καὶ μυρία abesset, nemo desideraret.

63) Eam in rem auctor laudat Aristot. Rhet. 3, 8. (ubi de iambis), Cic. Orat. c. 56. Quintil. 9, 4, 52. 72. ss., Taubmann. ad Plaut. Trin. 4, 1, 13. (qui versus attulit, a Cicerone per negligentiam effusos, in quorum uno tamen de Or. 3, 5. nunc non *plus multo*, sed *multo plus* legitur), Fabric. Bibl. Lat. II, p. 389. Ern. Dion. Hal. de comp. verb. c. 25. p. 196. 198. s. Reisk. unde patet non omnes versus in oratione prosaica per imprudentiam immitti, quod etiam exempli: Taciti (Ann. init.) Livii (praef. in.) et Sallustii (b. Jugurth. post praef.) comprobatur.

64) Ex *Eichstadtii*, V. Ill. Praefat. Catalogi lectionum aestivarum a. MDCCCXI. in Univ. litt. Jenensi.

50.), in quo consularis philosophus, Platonem Socraticum sequutus, duas docet esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. *Nam si qui se* (ait) *humanis vitiis contaminavissent, et se totos libidinibus dedissent, quibus caecati, velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republica violanda fraudes inexpiabiles concepissent; his devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum: qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minuma cum corporibus contagio, seseque ab his semper sevocavissent, essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum; his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere.* Sanare hunc locum instituit Rich. Bentlejus, nec tamen persanavit: nam et reliquit vitiosum quiddam, et quod est vitii expers, male tentavit. Ac primo quidem vir magnus pro *dedissent* cum Victorio ex codice quodam optimae notae recte restituit *dedidissent*, quod multo est significantius de animo, qualis h. l. describitur, qui totum se in servitutem addixit libidinibus. Deinde *velut* bene mutavit in *vel*, ut domestica vitia et delicta in rempublicam sibi opponantur. Sed in principio enuntiationis haeret vitium, quod Bentlejus magis sensit, quam sustulit. Quid est enim in hac sententiarum connexione animus *humanis*, aut, ut ille maluit, *immanibus vitiis contaminatus*? Etiamsi demus Davisio, humana vitia opponi vitae deorum, et ἀνθρώπινα illa παραπτώματα, πταίσματα, ἁμαρτήματα, quae ille (probante nuper hanc rationem Wyttenbachio ad Platonis Phaedonem p. 208.) ex Clemente, Aenea Gazaeo et Origene attulit, prorsus convenire Ciceronianis: tamen inconcinni et paene inconditi quid oritur ex illa verborum repetitione: *quibus* vitiis — *caecati, vel domesticis* vitiis *se contaminavissent.* Nec, quae sequitur, contraria propositio ita apta est priori, quin attentus lector aliquem hiatum sentiat. Nam quum caetera sibimet invicem egregie respondeant: verba *minuma cum corporibus contagio*, et paulo post *essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum*, in protasi, nisi totam sententiam amplectare, non habent profecto, quo referantur. Itaque vix dubitamus, quin scribendum sit: *qui* (animi) *se humanis*

et Ernestium idem coniecisse cognovisset. Ex Brunsii schedis et edd. Itall. pleniorem dedit hunc locum: ne ipse quidem consilium *inierat adversus eum eundi*, neque in aciem descensurum eum credebat. Ex iisdem etiam alibi quaedam inseruit. Ubi p. 16. in cod. *progredi* cum Accus. iunctum legitur, V. D. ex *Hiberones* fecit: *in Berones*, quae emendatio etiam sequentibus confirmatur. Quum in cod. non ita multo post legitur *Rusitaniam*, Iuvenat. et Brot. censuerunt *Lusitaniam* rescribendum esse; exquisitius est, quod Kr. divinavit, *Rusticianam*, quae Lusitaniae urbs in Antonini Itin. memoratur, aut *Rusticaniam*, quum Ptolemaeus Rusticanam nominaverit. *Cerindones* autem retinet, neque Pelendones substituit, *Segoviam* in *Segontiam* mutandam putat. Difficilius sane fuit lacunas longiores explere, successit tamen Nostro etiam hoc melius quam Brotierio, spatii vacui, sententiae loci, et orationis Livianae diligentius habita ratione [67]).

C. Crispi Sallustii Historiarum Lib. III. *Fragmentum cum quinque aliis in bibliotheca Paris. olim repertum denuo edidit Io. Gottlieb Kreyssig* etc. Schneebergae, typis Schillianis cIↄIↄcccxi. 26. pp. 8. mai.

Fragmentorum illorum sex e libro III. Hist. Sall. petitorum tria Ianus Dousa sub finem saeculi XVI. e vetustis et Servianis Petri Danielis schedis Lutetiae Paris. descripta et ad I. Lipsium missa Sallustio vindicavit atque edidit [68]). Centum fere annis post Io. Freinshemius non solum illorum, quae Dousa edidit, sed etiam trium reliquorum apographum nactus, maximam eorum partem in Supplementa sua Liviana retu-

67) In praef. sequentis libelli ostendit V. D. se in perpoliendа Fragmenti Liv. editione, praesidiis undique conquisitis diligenter elaborare, ut perfecta eius editio speranda sit.

68) *Iani Dousae*, Nordovicis, ad C. Sallustii Crispi Historiarum libros notae. Cum luculenta Fragmentorum aliquot accessione hactenus non editorum. Antverp. 1580. p. 50. ss.

sit [69]). Tandem Iosephus de Bimard-la Bastie Baron de Mont Saleon haec fragmenta, quae iam evulgata esse ignorabat, perperam suspicatus partes fuisse sive annalium maximorum sive librorum linteorum, eorum exemplar inter libros Iac. Aug. de Chevanes summa fide exscriptum ad Muratorium misit, qui illud, nihil fraudis subesse ratus, cum epistola et notis Bimardi Thesauro vett. inscriptionum inseruit [70]). Tria, quae Dousa primus edidit, fragmenta, reficta et interpolata migrarunt in plurimas Sallustii editiones [71]), omnia autem e Brossio in Historia reip. Rom. francogallice conversa et expleta, cum in fragmentorum Sallustii editione, quae post Brossii mortem prodiit recusa, negligenter a Schlütero in operis Bross. versione repetita sunt [72]). Insignis, quae his fragmentis cum Liviano intercedit, similitudo permovit Kreyssigium, ut quum illa magis etiam quam hoc depravata esse intellexisset, in corrigendis ac supplendis iis operam poneret. Versatur autem horum fragmentorum argumentum in historia belli a Spartaco moti, de quo qui egerint, plurimos V. D. laudavit. Eorum *tertium*, quod stratagema a Spartaco ad Varinium praetorem in Lucania

69) Supplementorum Freinshem. pars secunda, quae l. 60. c. 5—10. Sallustii fragmenta continet, post auctoris obitum prodiit Argent. 1674. et in Livii edd. repetita est. Fragmenta illa omnia Sallustii etiam Is. Vossio innotuisse ex eius ep. ad Heinsium ap. Fabric. Bibl. lat. I. p. 239. colligitur.

70) T. I. p. 1. ss. Eodem errore etiam Rupertius Comm. ad Liv. ep. XCV. fragmentum antiqui monumenti appellavit.

71) Utrum in ed. Antwerp. 1587. an Aldina quinta a. 1588. an alia recentiore primum interpolata sint, edoceri V. D. iubet; sub saeculi XVI. finem certe mutationes textus iam factas esse, ex edit. Hel. Putschii 1602. p. 191. intellexit.

72) De Brosses Histoire de la Rép. Romaine, dans le cours du VII. siécle, par Salluste, Dijon 1777 T. II. p. 146. ss. — C. Sallustii Crispi Historiarum fragmenta, Divione 1780. p. 25. ss. et 33. — In Schlüteri translatione operis Brossiani T. II. p. 352. ss. haec fragmenta admodum vitiose sunt descripta.

fallendum callide excogitatum [73]) refert, ex Muratorii Thes. summa fide descriptum et criticis notis emendatum atque suppletum speciminis loco proposuit, idem in posterum cum quinque reliquis editioni fragmenti Liviani subiecturus. Initium fragmenti ita explevit: Spartacus postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, gravem frumenti commeatusque inopiam, neque discessus neque praesidii ullam spem; optumum fore ratus, in tali re fortunam belli non tentare, per plures dies, quo Varinium securum fuga obscura falleret, tenet suos inter castra *magnis operibus communita* [74]) (vel: castris, quae *magnis operibus communierant*). In 3 et 4. lin. multo probabilius Kreyssigius coniecit: *ne praedantibus* (vel, si longius recedamus a litteris, quae leguntur, *ne discedentibus*) *ex propinquo*, quam Freinsh. *nec suppeditantibus ex propinquo.* In versu 5. quem cum duobus seqq. Freinsh. et Schlüt. male omiserunt, primo *instar et* coniunxit ad unam vocem, deinde *solitas*, aut potius *solita*, scil. ministeria, *militiae* — legit. 6. versum extr. iam Bimard. bene explevit: *stationesque.* Vigilias enim et stationes ita saepe coniungi, a Nostro bene docetur. V. 7. Kreyss. *et alia munia* (sc. militiae) *explent*; quam locutionem recte explicuit et exemplis firmavit. Brossio, qui v. 8. extr. excidisse voc. *silentio* e Frontino collegit, non assentitur, atque supplet potius voc. *noctis*, quod in vigiliarum designatione solet addi. Sequentia iam Freinsh. bene constituerat: *egrediuntur relicto buccinatore in castris*, et noster tantum ostendit, post *egrediuntur* plene esse interpungendum, sed in v. 11. sq. coniicit legendum: *et ad vigilum speciem procul visentibus erexerant fulta palis recentia cadavera*, partim Freinsh. et Brossium, partim Frontinum suumque sensum sequutus. Difficilius ultima explentur,

---

73) De eodem Frontin. Strateg. I, 5, 22. Sallustium sequutus, exposuit. Freinshemii quoque et Brossii verba laudavit editor.

74) [Ab his verbis fragmentum incipit; in iis, quae praemissa sunt, non ubique orationem Sallustii agnoscimus; bene editor form. *munire*, et *communire, castra*, illustravit.]

saucis antiquae scripturae vestigiis relictis; probabiliter tamen hoc Kr. ita facere instituit: *et crebros ignes fecerant* 75), postremis intactis relictis.

Notissimum est, integumentis librorum antiquis membranaceis saepe contineri egregia scriptorum vett., imprimis latinorum, fragmenta; bibliopegi enim superiorum saeculorum codicum membranaceorum 76) particulis undecumque coëmtis ad tegendos recentes libros frequenter usi sunt; unde etiam saepius monitum est, esse involucra librorum litteris latinis conscripta in bibliothecis diligenter examinanda 77). Eo modo contigit Kreyssigio, ut fragmentum detegeret *epistolarum Plinii* 78), quod quartam circiter partem folii implet, depromti a bibliopego ex codice formae maximae, in membrana satis crassa atque subflavi coloris nitide inscripto, binis in

---

75) Quae quidem formula dicendi multis exemplis adstruitur.

76) Non tantum codices, quorum exiguum est pretium, sed etiam classicorum scriptorum ita discerpti sunt misereque tractati, quod Livii cuidam codici evenit. v. Fabric. Bibl. lat. I. p. 297. et Broter. ad fragm. Livii l. 91. T. IV. ed. Taciti p. 556. ss.

77) Monitum hoc etiam est de codd. hebraicorum fragmentis. vid. *Io. Sal. Semleri* Admonitio de observandis hebr. msstorum membranis, quae tegendis aliis libris serviunt, Hal. 1764. et in programm. eius selectis p. 179. ss. Itaque a pluribus huiusmodi fragmenta hebraica sunt reperta, quae post Koecherum in nova bibl. Hebr. P. II. p. 35 ss. enumeravit Kreyssig. in libello statim nominando p. 5. not. 6. Non alio modo Gurlittus fragmentum historiae Iudaicae detexit. vidd. eius Animadverss. ad auctores vett. specimen tertium (1806.) p. 19. ss.

78) *Dissertatio de codicis membranacei C. Plinii Caecilii Secundi epistolas olim complexi fragmento, in bibliotheca Lycei Annaemontani reperto. Scripsit Ioann. Theoph. Kreyssig*, AA. LL. M. Lycei Annaem. Rector. Societ. Lat. Jen. Sodalis. Lipsiae, ap. I. A. Barth, cIↃIↃcccxII. 24. pp. in 4. — In ea etiam p. 6—8. exposuit de codicis hebraici membrana, Exodi particulas continente, qua librum vernaculum obscurum in eadem bibl. vestitum reperit, atque inde varietatem scripturae tum textus hebr. tum paraphraseos chald., diligenter enotatam attulit.

quavis pagina columnis, quarum singulae 45, vel 48, versus continebant. Unde factum est, ut altera membranae pagina epistolae XI. libri II. initium multis partibus mancum, eiusdem sectiones 10—13. integrae cum sectionum 9 et 14. reliquiis, altera epist. eiusdem sectiones 19—21. integras cum sectionum 18 et 22. fragmentis, ac minutas particulas ex huius ep. fine et principio sequentis (12.) petitas, exhiberet. Litterae fragmenti sunt minutae (langobardicae) nigro atramento (quod passim longo membranae usu pallorem contraxit) eleganter exaratae, nonnunquam sine intervallo arctius connexae, initiales minio pictae, adhibitis etiam variis scribendi compendiis, interpunctione nulla facta praeter puncta, quae non tantum in fine periodorum, sed in medio orationis contextu saepe leguntur. Ex quo quidem scripturae genere aliisque indiciis collegit Kr., codicis aetatem ad saec. XIII. s. XIV. esse referendam, et XIV. saeculo etiam b. Dassdorfius eum adsignavit; quomodocunque autem de aetate statuatur, praestans certe esse fragmentum, quippe quod cum libris optimae notae, inprimis codice Mediceo conspiret, idem perite iudicavit, et utramque fragmenti paginam, diligenter descriptam, p. 11, s. exhibuit, animadversionibus subiectis. — Epp. II, 11, 3. fragmentum confirmat veram lect. *vir movendarum lacrimarum peritissimus;* alteram quae dativum exhibet, e compendio scribendi, male intellecto, exstitisse, Kr. monet. §. 10. verba *erat enim consul a* VV. DD. pro glossemate habita, servat fragm. cum aliis codd. Mox idem scribit iunctim *adhoc*, unde *adhuc* in aliis libris enatum est. Tum *cetera*, omissa praep. *propter*, quae non minus quam *ob* in eiusmodi locutionibus solet omitti. — §. 11. librarius primum scripserat *semd*, quod tamen ipse in *semel* mutavit, unde, quam facile *cl* et *el* cum *d* permutentur in codd., patet. Pro *tunc*, quod et in fr. legitur, male ed. Cort. *nunc*, quas partt. saepe permutatas et ap. Liv. 1, 25, 1. 37, 4, 9. non pro *tunc* reponendum esse *nunc*, quum Livius saepius non ex persona loquentis sed sua *tunc* et *tum* posuerit, Kr. ostendit. Solito errore *observabatur* pro *obvers.* in fragm. ut in cod. Med. legitur. Paulo post fragm., idque solum, exhibet: *septemvir epulo, nunc iam neutrum erat;* quam lectionem, consentiente Schae-

fero, Plinii editore, in litteris ad Kr. scriptis, idem verissimam putat, verbo tamen *erat* ad sequ. enunciationis initium relato. Nam isti sacerdotes *epulones* aut *septemviri epulones*, nusquam [certe rarius] *septemviri epulonum* appellantur [79]) et ap. Liv. quoque 40, 42, 2. *triumvir epulo* occurrit, analogia etiam aliarum eius generis locutionum [80]) adstipulante. *nunc iam*, sicuti *iam nunc*, pro simplici nunc, quamquam rarius, apud optimos scriptt. occurrere docetur. §. 13. *igitur* et *ergo* confundi ostenditur, atque part. *igitur* etiam ab initio orationis poni, ut in fragmento h. l., ubi tamen *erat* ad initium periodi est retrahendum. Membranae scripturam [81]) *dampnatus* et *utcumque* illustrat Kr., idemque §. 14. praefert distinctionem verborum, quae ibi est: *utcumque tamen animum cogitationemque collegi: coepi dicere* etc., lectionem autem fragm. *minori* non anteponit vulg. *minore*. §. 18. in eo, ut in Med. Helmst. paucisque aliis elegantius legitur: senatum nocte *dirimi*, pro *dimitti*, quamquam hoc proprium ea in re est verbum. Scilicet, quod editorem Schaeferus monuit, v. *dirimi* rei nondum perfectae dilationem simul innuit, ideoque antecedentibus optime respondet [82]). Lectio-

---

79) In Fastorum Praenest. reliquiis lacunosa illa ad diem XVII. Cal. Febr. ita explet Kr. p. 15. Pontifices maiores et Colleg. VII Vir. Epulonum, victimas inmolant. Idem ap. Gell. N. A. 1, 12. et inscript. Grut. Thes. p. 227, 1. Genit. *epulonum* non a praeced. genit. *septemvirum* regi recte observat, legi tamen in titulis nonnullis ap. Grut. et Murat. diserte *Septemvir epulonum*, postea cognovit. Certum tamen est, priorem formam dicendi meliorem et optimis temporibus probatam esse.

80) In quibus negotia demandata vel adiectivo eodem casu, quo nomina, posito el Genitivo aut Dativo rei exprimuntur, ut duumviri navales, triumviri carceris etc. Lucanus quidem Phars. 1, 602. dixit: *Septemvir epulis festis*, nisi ibi *festus* legatur, quod contortius est.

81) Similiter p. 18. scriptura cod. *milia* pro millia, p. 19. *assentire*, *astare*, *affectus*, p. 20. *cum* (pro quum), et passim compendia quaedam scribendi, nota tamen illa, unde errores exstiterunt, illustrantur.

82) De v. *dirimere* laudantur Cort. ad h. l. et epp. 4, 9, 9. nec non ad Sallust. Cat. 18. extr. Iug. 60. 8. atque Gronov. ad Liv. 1, 36, 6.

nem *et fortiter* [83]) (pro *fortiterque*) a Cort. receptam confirmat fragmentum. §. 20. verba *quae acceperat Marius*, a VV. DD. pro glossemate habita, etiam in membr. desunt; contra verba *quum iam passus esset*, suspecta P. Fabro, tuetur. §. 21. legitur in fr. *post ipsum* (sc. Pompeium), perperam, etiam Kr. iudice, quum *ipsos* (ut vulg.) pertineat recte ad eos, qui Cornuto adsensi videbantur, et *post eum* s. *illum* scribendum fuisset, et vel hoc langueret. §. 22. interpunctioni loci a Cort. receptae, sed minus accuratae, favet fragm. §. 25. *In summa* habet fragm. neque necessarium esse, ut cum Cort. reponatur *in summam*, ex Cic. Epp. ad Q. Fr. 2, 16. med. 3, 5. extr. (quae non succurrerunt Heusingero ad Cic. de Off. 1, 41, 13.) et Lucret. 5, 83. s. (in quibus *in summa* legitur) ostenditur. Epist. 12, 1. pro Λειτούργιον fragm. aut ΛΙΠΟΥΡΓΙΟΝ aut ΛΙΠΟΥΡΓΙΟΝ exhibuit. Paullo post idem confirmat lectionem *adrasum*, pro qua in aliis codd. omnibus *abrasum* [84]), ita ut interpp. dissentiant, utra praeferenda sit; et Kr. quidem locum (praeeuntibus nonnullis VV. DD.), ita constituendum censet: λειτούργιον *illud — nescio an satis* [85]), *circumcisum tamen et adrasum est. Circumcidere* plus significare quam *adradere*, atque hoc minus grave esse quam *abradere* nemo negat; illud ambigitur, utrum *abradere* maiorem vim habeat, quam *circumcidere*; per se illud non videtur valuisse: *radendo penitus demere* [86]); et *circumcidere* plus esse quam *abradere*, si de corporis particulis agatur, minus, si de corpore ipso, ideoque nostro loco, ubi non de rei parti-

---

83) In fine periodi ita necessario scribendum fuisse, exemplis docetur et numerorum vi; in media periodo nihil refert.

84) Haec vocabb. etiam permutantur Hor. Epp 1, 7, 50. uti partt. *ab* et *ad* a librariis saepe confusas esse a multis demonstratum est.

85) Si cum Cort. post *circumcisum* interpungitur, sensus vel plane nullus vel ineptus existit.

86) Id efficitur ex Cic. p. Rosc. Com. 7., ubi *penitus* non additum esset, si per se hoc verbo illo indicaretur, p. Caec. 7. Terent. Phorm. 2, 2, 19.

bus, sed de re ipsa metaph. dicitur, *abrasum* gravius esse quam *circumcisum*, censet Kr. [87]); in verbis igitur *circumcisum et abrasum* inesse orationis incrementum, simile ei, quod ap. Cic. de Or. 1, 15. (circumcidat atque amputet) Acad. 4, 45. reperitur, prorsus ab h. l. alienum. Itaque rectius Gesn. et Gierig. *adrasum* receperunt, in eo tantum errantes, quod a vulgari interpunctione non recesserunt, qua admissa vel *circumcisum* bis scribendum [88]), vel importuna part. *et* (i. q. etiam) delenda et legendum: *adrasum tamen est.* Alterutrum etiam faciendum esse monet, si form. *nescio an* [89]), propter part. *tamen* (i. q. saltem), quae h. l. ut 8, ep. 24, 24. *certe*, illam sequitur, dubitantis magis quam adfirmantis esse contendas [90]). At quae sequuntur flagitant, ut formulam illam h. l. adfirmare potius quam negare statuamus, et sensus emendatae lectionis supra propositae est: negotiolum illud publicum, sive cognitio causae Firmini, nescio an satis (fortasse satis) circumcisum est, h. e. haud multum abest, quin ea, qua par erat, severitate confectum esse existimem; utcumque saltem, licet iusto remissius peractum est: *adrasum* praemisso *circumcisum* explicationis causa adiectum est [91]). Ibid. §. 4. in fragm. scriptum fuit: *illisque*

87) Parum accurate Gierigium h. l. de discrimine vv. *abradi* et *adradi*, et ad 8, 20, 5. de voc. *derasus* disseruisse, idem monet. Nam *adradi* nisi de corpore, cui radendo aliquid demitur, dici nequit; *abradi* autem et *deradi* tum de iis quae radendo tolluntur, tum de his quibus radendo aliquid aufertur, v. Plin. H. N. 16, 12. (*derasam picem*), Gell. N. A. 17, 9. (*surculi derasi*), Plin. H. N. 17, 11. (radicum partes *abradi* dicuntur), Lucan. 6, 115.

88) *nescio an satis circumcisum, circumcisum tamen* etc.

89) Quae dubitationem quidem, sed ut ad adfirmationem inclines, exprimit. v. Drak. ad Liv. 37, 54, 16. Staveren ad Corn. Timol. 1, 1.

90) Uti Heusing. ad Cic. de Off. 1, 11, 1 censuit alios scriptores a Cic. usu huius form. deflexisse (Caecina ap. Cic. epp. 6, 7. Plin. epp. 6, 21, 2.).

91) Solent enim optimi scriptores addere, quibus praecedentium verborum ratio accuratius definiatur (v. Görenz

ipsis, sed receptum verborum ordinem Kreyssig et Schaefer. tuentur, quia ita demonstrativum *illis* propius accedit ad relativum *quibus*. Nam etsi pron. *ipse* saepius nominibus et pronominibus postponitur, tamen *ipse ille* legitur etiam Cic. de Or. 3, 32. de Div. 2, 28. add. Drakenb. ad Liv. 2, 43, 4. Scripturam *a proconsulatu* tuentur membr. sed ita, ut *pro* per compendium scribatur, unde, quomodo in aliis facile potuerit omitti, apparet. In fine haec editor addidit: „Viros doctos omnino omnes, tum eos praecipue qui bibliothecarum s. publicarum s. privatarum curam gerunt, admonitos etiam atque etiam volo, ut in eiusmodi librorum antiquorum tegumentis diligentius inspiciendis sua studia nostris adiungant, et, ne qua codicis membranacei lacinia, cuius beneficio, si minus inedita proferri, at lacunae tamen in auctorum classicorum libris passim obviae, optime expleri, nec non loci corrupti emendari atque Criticorum coniecturae confirmari possint, vel in occulto lateat vel prorsus depereat, summa ope nitantur; praesertim quum vesana veterum criticorum licentia, quam Vet. Testam. codices ad fallacem recensionis masorethicae normam composuisse constat, in Graecorum Romanorumque scripta, nisi grammaticos Alexandrinos masorethairum nomine dedecorare volueris, non eodem modo fuerit grassata, ideoque membranarum, ex codd. graecis et latinis desectarum, usus multo latius pateat eo, quem codd. hebraicorum laciniae praebent.

Aliud codicis membr. fragmentum, quod item libro tegendo inservierat, e bibliotheca b. Murrii, Norimbergae nuper divendita, adiectum Molleri disputationi de Livio, accepit et accuratius descripsit [92]). Fragmentum codicis, cuius forma in maximis media fuit, a bi-

---

Progr. II. duorum codd. scriptorum lectiones in Cic. Catil. secundam continens p. 4.), ipsa autem copula et explicandi habet vim (v. Rupert. ad Liv. 2, 42, 6).

92) *Dissertatio de codicis membranacei Titi Livii Patavini Historiarum libros olim complexi fragmento Norimbergae in bibliotheca Murriana reperto. Scripsit Ioann. Theoph. Kreyssig* — Lipsiae, prostat ap. Barth. cIↃIↃcccxII. 12. pp. in 4.

bliopego truncatum, continuit particulas *Livii* XXVII, 15 et 16. quae de Tarento, a Q. Fabio Maximo expugnata urbe a. DXLI. V. C. [93]) agunt. Litterae eius sunt minusculae, paulo rotundiores, in membrana subflava et tenuiore eleganter exaratae, passim tamen detritae atque exesae; compendia scribendi et paucissima et notissima sunt. Saeculo XI. codicem assignavit Murrius, et fragmentum, uno loco excepto, ubi lectionem genuinam vindicat, plerumque cum recentt. et deterioribus codd. atque edd. vett. consentit, vel ita nonnunquam dissentit, ut pateat librarium aut malo codice usum aut ipsum esse lapsum. Et fragmentum quidem integrum, ut scriptum legitur, exhibuit Kr., in animadverss. de scripturae varietate disputavit, comparata etiam edit. Tarvisina quarta [94]), quae in Lycei Annaemont. bibliotheca est. Non enotabimus omnes, quos attulit editor et uberius persequutus est, librarii errores, omnem varietatem scripturae, quae levissima est [95]): L. 27, 15, 11. fragm. habet: *pro transfuga est iussus transire*, ubi nomen urbis male omissum est, recte autem *transfuga* scribitur. §. 12. Cod cum aliis et ed. Tarv. legit: *quaeque ut agerentur, convenerant* (pro *convenerat*), et utramque loquutionem probam esse, animadvertit quoque Kr., sed *convenerat* cum Drak. ob codd., qui ita legunt, bonitatem praefert. §. 13. in cod. lectum fuit *circumito portu*. §. 14. *quae aperto mari appulsae erant*. §. 15. membr. Norimb. cum aliquot aliis libris scribit: forte *illi loco* praepositos; sed vulg. *illo loco* (h. e. praesidio, quod illo loco erat) etiam a Kr. defenditur. §. 16. in membr. et ed. Tarv. *accedebat sonus* (pro *accidebat*, errore frequentissimo scriptum est. §. 17. membr. *excitantesque ad arma*, omisso altero participio similiter

---

93) De qua expugnatione Polyb. 13, 4, 6. Plut. Fab. 21, 22. Appian. b. Hann. 49. Polyaen. Strat. 8, 14, 3. Sil. Ital. 15, 320. ss. conferri iubet Kr.

94) A. 1485. a Ioanne Vercellensi impressa, quam a Drakenb. aliisque edd. non satis accurate examinatam esse monuit.

95) Ita scribitur *consiliatus* pro *conciliatus*, *blandiciis*, *his* pro *iis*.

desinente, quo modo saepe a librariis peccatum est. Paulo post fragmentum conspirat cum aliis libris in pravam lectionem: *unde nulla arcebat vox*, ubi *arcebat* contractum per compendium scribi videtur ex *accidebat* s. *accedebat*. §. 19. membr. *portamque* (pro *portumque*), quod ex proxime antecedd. ortum est, in quibus ed. Tarvis. exhibet: ut *sequenti* (pro *frequenti*) agmine signa inferrentur, nescio an ex cod. depravato. — Cap. 16, 3. membr. *ferociter* (pro *fortiter*), quod in uno tantum cod. invenit Drak. Paulo post eadem: *Philemenes* vel *Philomenes*; §. 4. confirmat membr. lectionem vulg. *vagus paullo post equus errans per urbem cognitus*, cui, etsi asyndeta ap. Liv. frequenter occurrunt, et *vagus* atque *errans* ac similia verba saepe iunguntur [96]), tamen Kr. praefert vett. edd. lectionem: *vacuus* [97]) paulo post equus erransque etc. vel, *vagans erransque per urb. cogn.*, certe aequiparat. Ibid. etiam hic cod. *praecipitatum esse* perperam legit pro *praecipitasse*, §. 5. *hospitii* in *auspicii* mutavit [98]), §. 6. cum aliis habet, *armatos inermesque*, ubi copulam recte delevit Gronov. Bis deinde lapsus est librarius in part. *seu*, dum scripsit: *super errorem* (pro *seu per err.*) et, *se* (pro *seu*) *ad prodit. fam. extinguendam.* §. 7. *millia triginta* (hoc ordine) — *capta* (pro *capti*) membr. exhibet. Quod paulo post Glarean. iussit, ut, omisso voc. *millia*, legeretur *auri octoginta tria pondo*, solum hoc Norimb. fragmentum confirmat exhibens: lXXXIII, *pondo*. *Syracusanorum* mox membr. habet, quod in uno tantum cod. invenit Drak., et ed. Tarv. in *Syracusanarum* mutavit. §. 8. etiam in membr. male *et* intrusum est: *Sed et maiore animo*.

---

96) *Errans et vagans sententia* Cic. p. Mil. 26. *errare* et *vagari* id. de Or. 1, 48. *vagus* et *exsul* id. p. Cluent. 62. *vagi palantesque* Liv. 21, 61, 3. Sall. Iug. 18, 2. ubi Cort.

97) scil. sessore, v. Liv. 44, 26, 3.

98) Librarii enim saepe, abiecta adspiratione, sequentem vocalem *o* mutarunt in *au*. v. Drak. ad Liv. 21, 2, 5. Burman. ad Lucan. 9, 131.

Duobus annis ante iam tractaverat aliquot *Livii* loca idem Vir Doctiss [99]), de quibus hac opportunitate, monebimus. *Liv.* I, 14. Heinsii (in Cur. secundis ad Vell. Paterc. I, 17.) et Gronovii vestigiis ingressus legendum coniecit Kr.: *partem militum, locis circa denso obsitis virgulto, obscuris subsidere in insidiis iussit* [100]). In qua emendatione quum tantum ultimae syllabae trium vocabb. mutatae sint, in quibus non minus errasse librarios, quam coniunxisse eos vocabula genere, numero et casu, quae differre debebant [1]), constat, non ea nimis audax videbitur. Aliam loci emendandi rationem, minus probabilem, inierat *Benedictus*, V. Cl. in Obss. ad quaedam Livii loca Part. VI. Torg. 1808., de qua in ephh. litt. Lipss. 1808. No. 52. p. 830. s. dictum est. — Lib. II, 49. *egregius senatus* offendit multos interpretes, ita ut Tan. Faber legi, *egregius exercitus* [2]) iuberet. Quod quum a vulgatis nimium recedat, Kr. mavult *egregium* scribi, quod cum voc. *ducem* iungatur, hoc sensu: quorum neminem *non agnosceret*, aut *deligeret* senatus quolibet tempore, ut ducem egregium: aut si haec vis v. *spernere* insolentior videatur, *exercitus* reponi [3]). Utrumvis praeferatur, verba *quibuslibet temporibus* cum v. *sper-*

---

99) Ad examen — in Lyceo Annaemont. — invitat *Ioann. Gottlieb Kreyssig* — Rector. *Praemissum est Observationum in auctores Romanorum classicos Specimen* I. Schnebergae, typis Schill. cIↃIↃcccx. 20. pp. 8.

100) *Loca circa* sunt, quae circa erant, vicina; Liv. 24, 41. 9, 2. ubi v. Drakenb. *obscuris* ad voc. *insidiis* pertinet. Cui coniunctioni horum vocabb. non opponi potest alius locus Liv. 43, 23. (*loco obscuro*). Non autem Heinsium iam verba *obscuris insidiis* iunxisse contra Benedictum ostenditur (p. 6.). Ita *occultae insidiae* dicuntur Cic. Cat. 2, 1.

1) v. Drak. ad 6, 3, 8. et quae infra afferentur.

2) Ut Liv. 7, 35. 8, 13. et confirmare videtur locus Ovid. Fast. 2, 199.

3) *Exercitus* et *egregius* etiam alibi confusa reperit V. D.

neret, non cum vv. *egregius senatus* iungenda esse (ut Doering. et Rup. fecerunt) recte monuit. — Lib. X, 37. verba, *id est*, *locus templo effatus*, *sacratus*, tanquam glossema eiici Stroth. voluit, aliis non dissentientibus, aut alia tentantibus. Nostro formula *locus templo effatus* (de qua Gell. N. A. 13, 14.) doctior videtur, quam ut a glossatore profecta dici possit. Et Livius aliis quoque locis eiusmodi explicationibus usus est [4]). Distinctione autem et uno voc. *sacratus* mutato ita legit: *sed fanum tantum*, *id est*, *locus templo effatus*, *sacratum fuerat* [5]). Ita vero patet, verba *locus templ. eff.* perspicuitatis causa, ne sequentia obscuritate laborarent, addi debuisse. Eodem sensu *fanum* [locus, templo, finibus soli sacri constitutis, consecratus [6])] legitur Liv. 1, 55. [7]) 5, 50. — XXII, 51. Difficultates loci [8]) (*praecipue convertit omnes substratus Numida* etc.), ex quo Valer. Max. III, 2. ex. 11. et Silius Ital. 6, 41. ss. hauserunt, primus interpretum sensisse videtur Doeringius, quem refutare conatus est Rupertius. Et vitium quidem huic

---

4) I, 24. et 32. quorum locorum alia est ratio, quam IX, 19. ubi vocabb. *id est hastae*, haud dubie expungenda sunt.

5) Livius quidem variare solet orationem, ita ut et hic scripsisse, *sacratus fuerat* (quod ad voc. *locus* pertinet) videri possit, nisi offendat concursus vocabb. *effatus*, *sacratus*.

6) Ea de re usurpabatur in condendis urbibus form. *sistere fanum*.

7) Ibi perperam Stroth. existimavit, *fana* eadem esse quae sacella, quum tamen ibi diserte distinguantur, et ex seqq. (*non motam Termini sedem*) appareat, *fanum* non esse aedem (ut Drak. etiam accepit). Nam si Termini fanum fuisset sacellum, iam antea in Tarpeio monte exstructum, non potuisset Iovis templum in area a ceteris religionibus liberata aedificari. Accuratius rem narrat Dion. Hal. 3, 69. quocum conferas Liv. 5, 54.

8) [Non potuit hunc locum tractare Nyhoffius, cuius diatribe crit. in Act. Soc. Rhen. Trai. T. III et IV. ad Lib. XXI. tantum pertinet. Num vero in libello *Matthiae*: Bemerkungen zu der Livianisch-Polyb. Beschreibung der Schlacht bey Cannae und der Belagerung von Syrakus, Frf. a. M. 1807. de h. l. disputatum sit, ipsi quoque nescimus.]

loco antiquius aetate Valerii et Silii insidere Kreyss. existimat, et consilium auctoris ac seriem narrationis flagitare, ut legatur: *Praecipue convertit omnes substratus Numidae mortuo superincubanti* Romanus vivus, *naso auribusque laceratis: quum* (Numida) *manibus ad capiendum telum inutilibus — exspirasset.* Ita quod ex vulg. lect. *Numidae* tribuitur ad *Romanum* relatum est, neque *vivus* est Numida, qui tamen *exspirasse* dicitur, et Numidam immanis ista rabies, qua hostem dentibus laniavit, inprimis decet [9]).

---

9) *Laniando hostem dentibus* est, dum eum laniabat. Similis Russi cuiusdam rabies ex Archenholzii historia belli septennis (3, 17. p. 78. ex vers. Reichardi) affertur.

VI.

Commentationes de antiquitate graeca et romana.

Ex his quoque nonnulla vel integra repetemus vel excerpta proponemus, quae cognoscere et iucundum erit et perquam utile. Primas esse voluimus *Boeckhii* V. C. praefationes indicibus lectionum in acad. Berol. praemissas.

[10]) Optima Graecorum aetate non modo aliae res quam nunc docebantur, quum praeter corporis exercitanem musicamque et poësin universa liberalis institutio oratoria arte ac philosophia contineretur; sed totum docendi genus mirum quantum discrepabat ab hoc nostro. Nam primis temporibus clari rhetores, sophistae, philosophi singuli fere singulis vel certe paucissimis haerebant, non ex conscientiae suae infirmitate, ut Quintilianus ait [11]), tanquam ii qui paedagogorum funguntur officio; sed quod unus unum rectius posse erudire videretur, ubi nulla scholae frequentia, familiari colloquio, quam vocant διατριβὴν, tum praecepta sua discipuli ingenio attemperare aptius posset, tum ex eo, quae vellet, elicere; quocirca sophistis, qui primi fere litteras ad illiberalem quaestum retulerant, a singulis ingentia pendebantur honoraria [12]). Huic docendi generi successit al-

10) Praemitt. Indici lectt. aestivarum in univ. litt. Berol. MDCCCXI.

11) Inst. I, 2, 10.

12) De iis vide, ut mittam ceteros, Meinersium Hist. doct. ap. vett. T. II. p. 182. F. A. Wolfium Misc. litt. p. 43. sqq.

terum, quod discipulos ex tenebris ac solitudine in lumen hoc conventus studiosissimi produxit; ex quo declamationes auditionesque, ἐπιδείξεις et ἀκροάσεις, non sine quodam fastu et pompa institui coeptae sunt a magistris, sophistis praecipue, artem profitentibus [13]. Haec autem via, quam necessitati cedentes sequimur nunc omnes prope, ut expeditior est priore, ita multo est incertior. Quis est enim magister, qui verba sua ab omnibus recte intelligi sciat? aut quis auditor, qui quamvis multa parum intellexerit, mussitare in scholis ausit? Itaque quam libris innatam infirmitatem Plato dicit, ut neque opem ferre sibi, neque adversariorum impetus reprimere valeant: eadem est doctoris continua oratione utentis; αὐτὸς γὰρ οὔτ' ἀμύνασθαι οὔτε βοηθῆσαι δυνατὸς αὐτῷ, eiusque par quodammodo conditio est atque eorum qui scriptis docent, quorum libros idem Plato pictis comparat imaginibus, quae, quasi vivant vigeantque, adstant; si quid vero ex iis quaesiveris, verecunde admodum cum gravitate quadam silent [14]. Adeone autem vili loco nosmet ipsos haberi velle arbitremini, Cives, ut, quemadmodum Pegasus ille iureconsultus, librorum geramus vices? Imo et Nos, quantum fieri poterit, id agemus, ut lectionis perpetuitatem haud levi quodam artificio variemus illorumque veterum confabulationi reddamus quam simillimam, et Vos operam dare oportebit, ut, quaecunque publicae scholae in maiore turba vel ambigua vel inexplicita reliquerint, de iis in-

13) Inde qui nomen duxerunt, *professores*, principio, quod doleas, a sophistis haudquaquam differebant. Ita Glossarium vetus: *Professores*, σοφισταί. *Profiteor*, δημοσίᾳ διδάσκω, σοφιστεύω. Rhetorum autem inprimis haec fuit appellatio, adeo ut dubitaretur, num philosophi essent professores habendi. *Ulpianus* (D. de extraord. cogn. l. 1. §. 4.): *An et philosophi*, inquit, *professorum numero sint? Et non putem; non quia non religiosa res est, sed quia hoc primum profiteri eos oporteat, mercenariam operam spernere.* Cui ex Sacra Scriptura respondendum videtur, *qui operam in re locent, mercede dignos esse.* Ceterum de universa sophistarum disciplina et apparatu haud absurde multa collegit Lud. Cresollius, Armoricus e societate Iesu, in Thesauro veterum rhetorum, oratorum, declamatorum, Thes. Antt. Gr. T. X.

14) Phaedr. p. 275. D. E.

tra privatos parietes familiari nobiscum sermone disseratis. Sapienter enim publicae institutionis laudator prudentissimus [15]): *In primis ea habenda cura est, ut praeceptor omni modo fiat nobis familiariter amicus nec officium in docendo spectet, sed affectum. Ita nunquam erimus in turba.*

Iam quantum veterum ars docendi praestat nostrae, tanto nos melius instructi sumus a publicis doctrinae subsidiis instrumentisque, a variarum rerum cognitionis copia, ab omni denique genere scholarum, quibus aditus ad eruditionem paratur litterarumque studia muniuntur adversus ingruentem barbariem. Nam magnas bibliothecas, musea, publicas privatasque cathedras, ad quas ingens conflueret studiosorum hominum numerus, plerasque omnes post perditam demum Graeciae libertatem institutas videmus. Et quamquam multae civitates, illae bonarum artium omnium et humanitatis ipsius parentes Athenae, illa Rhodus, altera Minervae sedes, illa Tarsus, illa Apollonia, illa non Graeciae et Aegypto, sed orbi terrarum collustrando nata Alexandria aliaeque urbes eximia eruditionis laude praeceptorumque clarissimorum celebritate florebant, multaque nunc deesse constat ad consummatam illam veteris aevi laudem, et partim talia, quae fieri non potest ut nobis contingant unquam: tamen, si Alexandriam exceperis, in nostris academiis quum omnem rem litterariam munificentius stabilitam habemus, tum singulas doctrinas plerasque plurium tuemur magistrorum disciplina. Verum de iis locis, quorum cum huius aevi academiis aliqua est similitudo, Strabonis [16]) memorabilis extat locus. „Tarsensibus" inquit, „tantum est philosophiae studium et humanitatis litterarum sive ἐγκυκλίου παιδείας, ut ipsas Athenas et Alexandriam vincant. Illud interest, quod Tarsi qui ista studia colunt, fere sunt indigenae, peregrini non fere eo ventitant; neque vero illi domi desident, sed, ut perfectionem consequantur, peregre abeunt perfecteque exculti in alienis locis versantur haud inviti, do-

---

15) Quintilianus Inst. I, 2, 15.

16) Lib. XIV. p. 991. ed. Amstelod.

num redeunt perpauci. In ceteras contra urbes multi homines proficiscuntur ac libenter ibi commorantur, indigenarum vero paucos videris aut alio proficisci eruditionis causa aut in patria litteris operam dare. Solis Alexandrinis utrumque contigit; nam et multos recipiunt peregrinos et suorum emittunt haud paucos."

---

[17]) Admirabile prorsus diligentique dignissimum contemplationc spectaculum illae offerunt non modo humani generis, sed, si profiteri fas hoc, ipsius divini Numinis deliciae, antiqui Graeciae populi, ex quo coepere civitates condere, publicis privatisque institutis, tam sacris quam profanis, ornare vitam, litteras artesque reperire innumeras, nihil pro arbitrio fingentes temere, sed recta ratione ac naturae necessitate, quae summa merito habetur ratio, omnia sic aut invenientes aut accepta ab aliis effingentes, non ut inventa putes sive fortuito sive consulto, sed florum frugumque instar terrae spontaneo prognata fetu. Cuius enim non commoveatur animus, qui viderit quemadmodum singulae Graeciae nationes eam sibi quaeque instituerint reipublicae formam, quae suae indoli suisque moribus conveniret maxime, et quasi quaedam suae mentis esset adspectabilibus formis expressa imago? Quid vero artes, quid doctrinae? Nonne pro varia multiplicique natura aliae Graecorum gentes in aliis excelluere generibus? nonne in eodem genere aliae alio elaborarunt modo? Considera eloquentiam, considera musicen ac poësin, quae non tantum sermonis, non tantum modorum metrorumque et sonorum, sed sensuum quoque et affectuum, quos exprimebant, tot habebant species, quot populi erant inter sese diversi. Quid philosophia? Nonne, ut Ionum ac Doriensium, adversa sibi fronte oppositorum, mores differunt universi, ita Ionicorum sapientum placita pugnare vides cum Italicis? Nonne Athenienses philosophi tum ab his tum ab illis mirum quantum discrepabant? Quid commemoremus Thalen, Anaximandrum, Anaximenem, Heraclitum,

---

17) Praemitt. Indici lectt. hiberni semestris in ead. Acad. MDCCCXI—XII.

tra privatos parietes familiari nobiscum sermone disseratis. Sapienter enim publicae institutionis laudator prudentissimus [15]): *In primis ea habenda cura est, ut praeceptor omni modo fiat nobis familiariter amicus nec officium in docendo spectet, sed affectum. Ita nunquam erimus in turba.*

Iam quantum veterum ars docendi praestat nostrae, tanto nos melius instructi sumus a publicis doctrinae subsidiis instrumentisque, a variarum rerum cognitionis copia, ab omni denique genere scholarum, quibus aditus ad eruditionem paratur litterarumque studia muniuntur adversus ingruentem barbariem. Nam magnas bibliothecas, musea, publicas privatasque cathedras, ad quas ingens conflueret studiosorum hominum numerus, plerasque omnes post perditam demum Graeciae libertatem institutas videmus. Et quamquam multae civitates, illae bonarum artium omnium et humanitatis ipsius parentes Athenae, illa Rhodus, altera Minervae sedes, illa Tarsus, illa Apollonia, illa non Graeciae et Aegypto, sed orbi terrarum collustrando nata Alexandria aliaeque urbes eximia eruditionis laude praeceptorumque clarissimorum celebritate florebant, multaque nunc deesse constat ad consummatam illam veteris aevi laudem, et partim talia, quae fieri non potest ut nobis contingant unquam: tamen, si Alexandriam exceperis, in nostris academiis quum omnem rem litterariam munificentius stabilitam habemus, tum singulas doctrinas plerasque plurium tuemur magistrorum disciplina. Verum de iis locis, quorum cum huius aevi academiis aliqua est similitudo, Strabonis [16]) memorabilis extat locus. „Tarsensibus" inquit, „tantum est philosophiae studium et humanitatis litterarum sive ἐγκυκλίου παιδείας, ut ipsas Athenas et Alexandriam vincant. Illud interest, quod Tarsi qui ista studia colunt, fere sunt indigenae, peregrini non fere eo ventitant; neque vero illi domi desident, sed, ut perfectionem consequantur, peregre abeunt perfecteque exculti in alienis locis versantur haud inviti, do-

15) Quintilianus Inst. I, 2, 15.

16) Lib. XIV. p. 991. ed. Amstelod.

mum redeunt perpauci. In ceteras contra urbes multi homines proficiscuntur ac libenter ibi commorantur, indigenarum vero paucos videris aut alio proficisci eruditionis causa aut in patria litteris operam dare. Solis Alexandrinis utrumque contigit; nam et multos recipiunt peregrinos et suorum emittunt haud paucos."

---

[17]) Admirabile prorsus diligentique dignissimum contemplatione spectaculum illae offerunt non modo humani generis, sed, si profiteri fas hoc, ipsius divini Numinis deliciae, antiqui Graeciae populi, ex quo coepere civitates condere, publicis privatisque institutis, tam sacris quam profanis, ornare vitam, litteras artesque reperire innumeras, nihil pro arbitrio fingentes temere, sed recta ratione ac naturae necessitate, quae summa merito habetur ratio, omnia sic aut invenientes aut accepta ab aliis effingentes, non ut inventa putes sive fortuito sive consulto, sed florum frugumque instar terrae spontaneo prognata fetu. Cuius enim non commoveatur animus, qui viderit quemadmodum singulae Graeciae nationes eam sibi quaeque instituerint reipublicae formam, quae suae indoli suisque moribus conveniret maxime, et quasi quaedam suae mentis esset adspectabilibus formis expressa imago? Quid vero artes, quid doctrinae? Nonne pro varia multiplicique natura aliae Graecorum gentes in aliis excelluere generibus? nonne in eodem genere aliae alio elaborarunt modo? Considera eloquentiam, considera musicen ac poësin, quae non tantum sermonis, non tantum modorum metrorumque et sonorum, sed sensuum quoque et affectuum, quos exprimebant, tot habebant species, quot populi erant inter sese diversi. Quid philosophia? Nonne, ut Ionum ac Doriensium, adversa sibi fronte oppositorum, mores differunt universi, ita Ionicorum sapientum placita pugnare vides cum Italicis? Nonne Athenienses philosophi tum ab his tum ab illis mirum quantum discrepabant? Quid commemoremus Thalen, Anaximandrum, Anaximenem, Heraclitum,

---

17) Praemitt. Indici lectt. hiberni semestris in ead. Acad. MDCCCXI—XII.

[23]) Vetustissimum institutum populorum Orientis, Indorum, Persarum, Aegyptiorum erat olim et nunc est in terris quibusdam, ut gentes eae, ex quibus civitas conflata sit, genere, loco, moribus, connubio seiunctae ac segregatae, propriam quaeque vitae tenerent sectam, alia rebus divinis, alia militiae, opificiis alia, alia agro colendo intentis usque eo, ut negotio, quod sit cuique tributum, immisceri ceteris nullo modo liceat. Sed ab horum populorum moribus sunt qui alienissimos fuisse putent Graecorum vel antiquissimos, quique negent committendum esse, ut elegantis venustaeque nationis primordia Orientalium scilicet sordibus contaminentur ab iis, qui quum originem eius ex Orientis incunabulis repetentes, tum priscam universam Graeciae eruditionem cultumque, fabulas religionesque plurimas, mysteria, lustrationes aliaque eiusmodi, postremo artes ipsas Orientis disciplinae accepta referri contendentes, Graecorum detrahant et ingenio et honori. Quae utut sunt, hoc certe infitiari neminem oportuit, priscae Graeciae eadem fere, quae Orientis, instituta reperiri tam in rebus profanis quam in divinis: quod, licet non inauditum doctis, uno *Ionicae* gentis monstrabimus exemplo, cuius rempublicam initio peraeque invenias atque Orientis civitates constitutam.

Ionis, Xutho nati ex Apolline et Creusa Attica, quatuor feruntur esse filii, quos Euripides significat in Ione [24]), his verbis atque ita scribendis:

Τελέων μὲν ἔσται πρῶτος· εἶτα δεύτερον
Ὅπλητες Ἀργαδῆς τ', ἐμῆς τ' ἀπ' Αἰγίδος
Ἔμφυλον ἕξουσ' Αἰγικορῆς.

Vit. Antonin. philos. c. 26. et Cod. Theodos. XIV, 8, 3. Eiusmodi locos etiam Graeci recentiores appellant *διατριβάς*.

23) Praemitt. Indici lectt. aestivarum in acad. Berol. a. MDCCCXII.

24) Vs. 1579. Omnes libri veteres habent *Τελέων*; quod vero in nonnullis editionibus legitur *Γελέων*, est de coniectura Guil. Canteri N. L. V, 19. ex Herodoto hoc reponentis.

Ordine paullulum discrepante Herodotus [25]) meminit eorundem Ionis filiorum, Τελέοντος sive Γελέοντος (dissentiunt enim scripti codices) καὶ Αἰγικόρεος καὶ Ἀργάδεω καὶ Ὅπλητος: ab iisque appellatos Atticae populos sive tribus, quas Φυλὰς vocant, Τελέοντας sive Γελέοντας, Ὅπλητας, Ἀργάδεις, Αἰγικόρεις, praeter Herodotum et Euripidem contendunt Pollux [26]), qui sua desumsit ex Aristotelis Republica Atheniensium, et Stephanus Byzantius [27]). Quod qui credat, is nobis relegandus erit ad superstitiosos istos, quorum animus, commentis anilibus imbutus, pertinacissime inhaeret traditis ab antiquitate fabulis, neque in mentem earum, dignissimam sane, quam data opera scrutemur, indagare valet altius. Quid quod veterum ipsorum prudentissimi perspexerunt, non ab Ionis prole, sed a vitae generibus priscis Atticae populis indita fuisse nomina? ut Plutarchus tradit in Solone [28]) ita scribens: καὶ τὰς Φυλὰς εἰσιν οἱ λέγοντες οὐκ ἀπὸ τῶν Ἴωνος υἱῶν, ἀλλ' ἀπὸ τῶν γενῶν, εἰς ἃ διῃρέθησαν οἱ βίοι, τοπρῶτον ὠνομάσθαι, τὸ μὲν μάχιμον Ὁπλίτας, τὸ δὲ ἐργατικὸν Ἐργάδεις: δυεῖν δὲ τῶν λοιπῶν Γεδέοντας μὲν τοὺς γεωργοὺς, Αἰγικόρεις δὲ τοὺς ἐπὶ νομαῖς καὶ προβατείαις διατρίβοντας. Ab hac sententia paullulum recedit Strabo [29]), errore manifesto

---

25) V, 66.

26) VIII, 111. Ἀπὸ δὲ τῶν Ἴωνος παίδων ἐπὶ Ἐρεχθέως Τελέοντες (ita scriptum ex codd.), Ὅπλητες, Αἰγικόρεις, Ἀργάδεις (in libris est Κάδεις). Monendum hoc loco germanas formas videri Αἰγικόρεις et Ἀργάδεις a singularibus Αἰγικόρης et Ἀργάδης, quae sunt apud Herodotum, licet Euripides scripserit Ἀργαδῆς et Αἰγικορῆς, quod monstrant lectiones ed. Ald. Ἀργολῆς et Αἰγικορῆς. Αἰγικορεῖς tamen vocabantur tribules Αἰγικορίδος demi Attici. V. Steph. Byz. Et sane recentiori tempori Αἰγικορεὺς dicitur is, qui est ex populo Aegicorensium, ut in Marmore Cyziceno.

27) V. Αἰγικόρεως (Αἰγικόρεις), ubi ordo populorum hic est: Αἰγικόρεις, Ἀργάδεις, Γελέοντες, Ὅπλητες.

28) Cap. 23. Γεδέοντας re'nui ex fide librorum veterum: Canterus correxit Γελέοντας, H. Stephanus Τελέοντας. Nostram sententiam paullo posuimus infra.

29) VIII. p. 383. C. Strabonem secutus fere videtur esse Universitatis nostrae litterariae decus, B. G. Niebuhr

genera vitae et tribus distinguens, ubi de Ione, Ὁ δὲ, inquit, πρῶτον μὲν ἐς τέσσαρας φυλὰς διεῖλε τὸ πλῆθος, εἶτα εἰς τέσσαρας βίους· τοὺς μὲν γὰρ γεωργοὺς ἀπέδειξε, τοὺς δὲ δημιουργοὺς, τοὺς δὲ ἱεροποιοὺς, τετάρτους δε τοὺς φύλακας. Nec omittendus est loco hoc Critias ille Platonicus [30]), plura, quam arbitrantur vulgo, ex traditione pervetusta retinens, qui de rebus Atticae antiquissimis, Ὤικει δὲ τότ', ait, ἐν τῇδε τῇ χώρᾳ τὰ μὲν ἄλλα ἔθνη τῶν πολιτῶν περὶ τὰς δημιουργίας ὄντα καὶ τὴν ἐκ τῆς γῆς τροφήν· τὸ δὲ μάχιμον ὑπ' ἀνδρῶν θείων κατ' ἀρχὰς ἀφορισθὲν ᾤκει χωρὶς, πάντα εἰς τροφὴν καὶ παίδευσιν τὰ προςήκοντα ἔχον, ἴδιον μὲν αὐτῶν οὐδεὶς οὐδὲν κεκτημένος, ἅπαντα δὲ πάντων κοινὰ νομίζοντες αὐτῶν, πέρα δὲ ἱκανῆς τροφῆς οὐδὲν ἀξιοῦντες παρὰ τῶν ἄλλων δέχεσθαι πολιτῶν, καὶ πάντα δὲ τὰ χθὲς (in libris Reipublicae, ad cuius praecepta haec accommodata sunt)' λεχθέντα ἐπιτηδεύματα ἐπιτηδεύοντες, ὅσα περὶ τῶν ὑποτεθέντων ἐῤῥήθη φυλάκων. Neque Athenis solum, sed etiam apud ceteros Ionicae stirpis Graecos, ex matre Attica translatum valuit institutum hoc [31]), ac Cyzici, in Milesiorum colonia, si non instituti ratio, certe nomina tribuum durarunt in Imperii Romani aetatem, qua aetate inscriptiones a Populo Cyziceno incidi iussae, praeter binas tribus recens additas, antiquas illas repraesentant Athenarum [32]).

Hist. Rom. T. I. p. 226. qui tamen quatuor Ionicae gentis populos dicit esse Sacerdotum, Militum, Agricolarum et Pastorum, quum Strabo Pastores ignorans appellet quartam stirpem Opificum. Sic Geographus, si *Τελέοντας* putabat esse Agricolas, a ceteris scriptoribus in hoc uno discedit, quod Pastorum loco ponit Sacerdotes, annotante Musgravio ad Eurip. l. c.: quomodo tamen fieri potuerit, ut *Αἰγικόρεις* pro ministris sacrorum haberentur, prorsus non intelligo. An igitur statuendum est, Strabonem *Τελέοντας* pro Sacerdotibus, *Αἰγικόρεις* pro Agricolis habuisse? Immo is tribus Ionicas cum vitae generibus non coniunctas, sed utraque plane diversa fuisse opinatus est, quod verba eius ipsa declarant.

30) P. 110. C.

31) Testis est Herodotus V, 69.

32) V. Caylus Recueil d'Antiq. T. II, tab. 59. et tab. 60, 61, 62. In altero marmore primo loco comparet *ΑΙΓΙΚΟΡΕΥΣ* quidam, deinde *ΒΩΡΕΥΣ*; mox ordine sequun-

Fuere autem Ὅπλητες milites, quos Plutarchus ex recentiore usu ὁπλίτας vocat, Strabo Φύλακας, Platonico genere dicendi in Republica, Timaeo et Critia inprimis obvio; deinde Ἀργάδεις, qui aliis δημιουργοὶ dicuntur, sunt Opifices, dicti quasi Ἐργάδεις, quod nomen est apud Plutarchum: neque enim satis probabiliter interpreteris rusticos, licet Graecis ἔργον proprium fere sit de labore agris colendis impenso: Αἰγικόρεις autem non possunt esse alii, quam pastores pecudum, ut ovium et caprarum, quos consentaneum est dignitate ultimo fuisse loco habitos. At maior difficultas est haec, quinam fuerint Τελέοντες, iidemque hoc ipso nomine appellati sint an potius Γελέοντες aut Γεδέοντες. Locus est enim fere nullus, quin scripti editique libri varient in hoc vocabulo: in Euripide tantum et Polluce veteres codices primam scripturam tenent constantissime; apud Herodotum in duobus tantum scriptis, Askewiano et Passioneo, ac fortasse in Mediceo, Teleontis nomen reperitur [33]), in plurimis comparet Geleon, perinde atque in Stephani Byzantii libris veteribus: ea vero scriptura, quam tertio loco posui, ex unius Plutarchi codicum vestigiis ducta est, et nostro quidem iudicio debetur librariis, qui litteras simillimas Λ et Δ permutaverint, nec, quamvis Γεδέοντες possint haberi οἱ τὴν γῆν δαίοντες, vulgo dicti γεωμόροι, mereri videtur, ut ei diutius inhaerescas. Sed scripturae Γελέοντες insignem auctoritatem conciliat Marmor Cyzicenum, in quo hoc distincte exaratum cernitur [34]). Nihilo tamen magis germanum hoc nomen pronunciarimus; immo alterum Teleontis verum esse suscipimus demonstrandum. Quid vero mirum, si Cyziceni, tertii ab Attica coloni, antiquam vocabuli scripturam et rationem immutarint? cuius eos facinoris insimulare licet eo tutius, quod, qui factum sit, ut Teleontum no-

tur *ΓΕΛΕΟΝΤΕΣ*, *ΟΙΝΩΠΕΣ*, *ΑΡΓΑΔΕΙΣ*, *ΟΠΛΗΤΕΣ*, *ΑΙΓΙΚΟΡΕΙΣ*. Post hos periit particula, in qua haud dubie nominabantur *ΒΩΡΕΙΣ*.

33) Ex his recepit Gronovius, iubente olim Is. Casaubono ad Strab. l. c.

34) „On lit distinctement sur le Marbre *ΓΕΛΕΟΝΤΕΣ*.“ Caylus l. c. p. 209.

men migrarit in Geleontum, coniectura, quae paullo post afferetur, assecuti sumus veri simillima. Sed quid moramur diutius in marmoris tam recentis auctoritate infirmanda, neque ocius promimus argumentum longe firmissimum idque antiquitatatis remotissimae fide contestatum? Quippe Teleontis Atheniensis filium Butam, Zeuxippae coniugem, cyclici iam poëtae celebrabant, ex quibus sua derivarunt Apollonius Argonauticorum scriptor [35]), Apollodorus [36]), Hyginus [37]). Estque is Iasonis aequalis laborumque socius: igitur quum Iason, Aesonis filius, Crethei nepos, quartus sit ab Aeolo, Butas autem Teleontis Iasoni aequaevus, liquet Teleontem, Butae patrem, quem prisci canebant vates, non alium esse quam Ionis filium, nepotem Xuthi, quem Aeoli fratrem perhibebant fabulae. Itaque in vetustissimis carminibus Teleontem, non Geleontem inventum esse constat: in quibus si fluctuasset lectio, non, opinor, dissimulaturi hoc fuissent fabularum scriptores diligentissimi.

Sed quodnam vitae genus tributum Teleontibus est? Possis Sacerdotes interpretari, ob τέλη sive τελεταί: Strabonem tamen ne pro hac sententia afferas, obest id, quod is vitae sectas a populorum divisione ex Ionis filiis nomina habentium separavit diserte. Illud gravius, quod Euripides, qui solus Ionis filios eo ordine appellat, quo ferebantur nati, Teleontem primum facit, deinde infert Hopletes, Argadenses et Aegicorenses. Quum enim necesse sit milites potiores habitos esse opificibus, opifices pastoribus: si Teleontes militibus ipsis dignitate praestabant, non alii possunt esse quam ministri rerum sacrarum, qui apud Orientales quoque populos primam

---

35) Argon. I, 96. IV, 912. Priorem locum attulit Wesselingius ad Herodotum, sed eundem hunc esse quem Ionis filium, ne somniabat quidem. Aeniadem hunc Butam appellat Argonauticorum Orphicorum scriptor vs. 141. Valerius Flaccus patris nomen omisit. Alius est Teleon Locrus ap. Apollon. I, 72. 73. Val. Flacc. I, 402. et Hyginum. Eius filius Eribotes, quem alii male Eurybaten vocant. Cf. Burm. Catal. Argon. h. v.

36) Bibl. I, 9, 16.

37) Fab. 14.

constituunt classem. Accedit praeterea Herodoti, Pollucis, et Marmoris Cyziceni auctoritas, in ceteris quidem populis ordinem instituentium varium, sed Teleontes uno consensu primo loco ponentium. Sed, quod Teleontum populus primus fuerit, inde non colligitur eos fuisse dignitate praecipuos: etenim etiam iis, qui aetate principes essent, primus poterat in fabulis locus dari. Principes autem aetate et indigenae in singulis terris erant fere rustici, quibus victis agros colendos concedere solebant fortiores ac nobiliores advenae, ea quidem conditione, ut ex fructibus tributa penderent victori, cuius rei nobile exemplum Thessalorum praebet Penestica gens. Ac sane haec est vera ratio: non sacerdotes sunt Teleontes, sed rustici agri culturam exercentes atque inde tributa praestantes nobilibus (τελοῦντες), qui Eupatridae posthac dicti sunt, tum autem Ὅπλητες; mansitque hoc institutum usque ad Solonis σεισάχθειαν.[38] Sic veterum iudicabant ii, quorum sententiam Plutarchus illis, quae supra apposuimus, tetigit verbis: sic recte Τελέοντες tertii sunt apud eundem Plutarchum, atque apud Byzantium Stephanum: sic intelligitur, cur Teleontum nomen mature depravatum sit in Geleontum. Etenim quum rustica fere plebs in hanc classem conscriberetur, poterat, permutatis litterarum formis affinibus, Γελέων, non Τελέων Ionis filius appellandus videri, tanquam Γέλεως sive Γεώλεως, hoc est λεὼς γεωργικός. Postremo ne hoc quidem negligendum, Teleontis filium esse Butam. Quodsi Teleontem tribus auctorem faciebant veteres fabulae, necesse est eius filios et nepotes gentium (γενῶν), quas unaquaeque veterum tribuum habebat nonaginta, ternis phratriis divisas, habitos au-

38) Plutarch. Solon. c. 13. ἅπας μὲν γὰρ ὁ δῆμος ὑπόχρεως ἦν τῶν πλουσίων· ἢ γὰρ ἐγεώργουν ἐκείνοις, ἕκτα τῶν γινομένων τελοῦντες, ἑκτημόριοι προσαγορευόμενοι καὶ θῆτες, etc. de quo loco ex Schaeferi sententia dixit Ed. Platnerus de gentibus Atticis earumque cum tribubus nexu p. 8, quem hic honoris causa appellatum volumus, quamquam multa parum distinxit et nonnulla omisit ad rem pertinentia vel maxime. Praeterea memorabile apud Indos quoque veteres sextam frugum partem regis fuisse, ut legimus in Sacontala. Eadem autem priscorum Atticae rusticorum tributa Plato significat in Critia.

-ctores fuisse: unde colligas Butadarum gentem tribui Teleontum esse annumeratam. Iam vero Butae nomen, a bobus aratro iunctis ductum [39]), gentem Butadarum primitus fuisse rusticam declarat apertissime; unde rusticam iudices Teleontum tribum necesse est; comprobatque hoc etiam Locrus ille Eribotes, Teleontis Locri filius, a pluribus scriptoribus inter Argonautas commemoratus. Atque indidem intelligitur, cur Butae uxor dicta sit Zeuxippe: cui fabulae similis illa, quae Hopletis filiam Aegeo regi nupsisse tradebat [40]). Hi Butadae, postquam antiqua tribuum ratio a Clisthene sublata est, pago (*δήμῳ*) nomen dederunt, ut Daedalidae, Cothocidae, Aethalidae, Ionidae, aliaeque permultae; sed germani *Βουτείας* gentiles, quo distinguerentur a ceteris tribulibus insititiis, Eteobutadae appellari voluerunt, ut Eteocretes opponebantur advenis, qui nomen Cretense usurparant: ac retinuere Butadae sacra sua rei rusticae coniuncta in Diipoliis sive Buphoniis [41]), similiter ac Buzygae, sacrae arationis antistites [42]), dicti a Buzyge sive Epimenide, qui primus boves aratores iunxisse fertur, et Teleontibus haud dubie adscripti; cui tribui propriam arbitror fuisse Minervam *Βούδειαν*. Eiusdem populi gentes fuere *Βρυτιάδαι*, *Εὐπυρίδαι*, a vino illi, hi abs tritico appellati; ex Argadensium autem populo Daedalidae aliaeque plures gentes, quas nunc nihil afferre attinet, in pagos relatae sunt; item Aegicorenses, quae stirps tota in unum videtur pagum redacta esse; postre-

---

39) *Βούτης* est *βουκόλος*. V. Hesych. et ibi intpp. Distinguebantur bubulci ab Aegicorensibus, ovium tantum et caprarum pastoribus, et rusticis adscribebantur. Auctor pagi dicitur Butas Pandionis apud Steph. Byz. h. v. eratque eius ara in Erechtheo, Pausan. I, 26, 6. Athenis nomen migravit Miletum, unde Butas Milesius ap. Pausan. VI, 2, 17. quamquam hoc nomen late patebat in Asia minori aliisque terris.

40) Apollod. III, 14, 6. Tzetz. ad Lycophr. 494.

41) Hinc *Βούτης ὁ τοῖς Διιπολίοις τὰ Βουφόνια δρῶν* ap. Hesych. ubi v. Intpp.

42) V. Hesych. h. v. et intpp. Gens haec est Buzygia, quod etiam lexica perspexerunt. V. H. Stephani Thes. L. Gr. T. I. p. 773. F.

mo ad Hopletum populum Philaïdae, ex quibus est Pisistratus, Eurysacis posteri, inter quos est Alcibiades, et praeter alias multas Codridarum regia stirps videntur esse referendae, quemadmodum etiam apud Aegyptios ex Armatorum numero deligebantur reges [43]).

Itaque videmus Athenas ipsas, omnis humanitatis parentes, principio eadem utentes reipublicae forma, quam Orientis nationes inde ab antiquissimis temporibus tenebant constantissime; sive a Cecrope Aegyptio, ut sunt qui putent, Athenae traxerunt, sive Ionicae gentis, antequam Atticam terram occuparet, propria fuit: quod multo magis probabile est, tum quod ab Ionis filiis appellati populi feruntur, tum quod ceterarum quoque Graecae nationis gentium, atque adeo Romanorum, similem invenimus conditionem. De qua re hic non est agendi locus. Adultis vero iam Athenis Solon, quamquam sacratas vetustate tribus aut tollere ausus non est, aut non putavit tollendas esse, tamen senatu ex omnibus quatuor tribubus lecto et addita populi descriptione ex censu, ac remisso aere alieno, quo pauperes nobilibus obstricti erant, nomina tantum, non vim et rationem veterum tribuum reliquit, donec Clisthenes nomina ipsa abolevit. Nam ante Solonem haud ambiguum est senatores ex solis Eupatridis, qui Hopletum tribu continebantur, lectos esse; tributa autem non ex censu praestabantur, sed ab inferioribus exigebantur tribubus, inprimis abs Teleontibus. Non omnia tamen periere priscae conditionis vestigia: agrorum enim divisionem,

43) Post haec non iam opus est mirificam refutare Tib. Hemsterhusii originationem in Wesselingii nota ad Herodoti locum proditam, qui Γελέοντας appellatos censet ab obsoleto γελέω, ut sint οἱ λαμπροί, *Nobiles*, *Splendidi*, *Eupatridae:* etenim Hopletes potius Eupatridae sunt, non Teleontes. Nec vacat nunc omnes omnium, qui antiquitatum Atticarum caput hoc pertractarunt, errores refellere, nec magis de aliis populi Attici divisionibus dicere, quae partim fictae sunt, partim non Ionicae, partim famae socordia parum accurate traditae. De iis summatim dixit Pollux, atque, ut notos libros praetereamus, nuperrime data opera Ed. Platnerus in modo memorata commentatione.

quam Plutarcho teste postulabat plebs in detrimentum Hopletum, quibus ut dominis obnoxii erant rustici, Solon non sustinuit facere: et Clisthenes phratorum et gentilium sodalitia cum antiquis tribubus rebusque sacris coniuncta religioni duxit dissolvere.

Quid igitur videtur, maioresne Graecos fuisse, qui, ut nos quidem arbitramur, quum initio Orientalium essent populorum haud dissimiles et quodammodo filii ac discipuli, iisdemque constringerentur vinculis, quibus impediebantur illi, quominus rem publicam, domesticam, litterariam, denique mores et rationem vitae universam liberalioribus temperarent et institutis et legibus, has quasi compedes rupissent atque excussissent, suamque sibi ipsi munivissent viam ad elegantiorum artium studia unice ducentem; an qui statim a principio, quemadmodum aliorum opinio fert, naturae beneficio quodam in eo essent loco constituti, nihil ut iis amplius fuisset agendum, nisi ut ingressa via pergerent fortiter, quaeque a matre benigna accepissent bona, diligenter tuerentur? Nonne magni sunt, qui sese tam mature emanciparint? deinde qui cum nova invenerint plurima, tum quidquid ab aliis traditum esset imperfectum, in rem suam verterint, ornaverint, auxerint, ad summam adduxerint perfectionem?

Idem Vir Doctiss. oratione nuper habita [44]) Athenas Spartamque inter se comparare instituit [45]), unde, quae praecipua sunt, ipsius oratoris verbis referemus:

Equidem, ubi Spartam considero, nullam unquam rempublicam aut firmius constitutam, aut civium virtute tam domestica quam militari domi forisque magis insignem video. Quod partim naturae debebant beneficio, quae iis eos artibus instruxisset, ut ad puros et severos

---

44) (*Boeckhii*) Oratio natalitiis 43. Friderici Guilielmi III. regis Boruss. celebrandis auctoritate univ. litt. Berol. d. 3. Aug. 1812. habita. Berolini, ap Hitzig, 15. pp. 4.

45) Quod fuerunt, qui cupide magis quam vere facerent.

mores nati factique viderentur, partim sapientiae legislatoris, qua prospectum esset, ne quando a prisci vitae generis simplicitate desciscerent. Qui quum intelligeret, nihil aeque ad felicitatem mortalium conferre, quam si iis uterentur legibus, quae indoli cuiusque congruerent maxime; Doriensibus, nationi agresti et durae, montibus colendis, venationi belloque gerendo assuetae, ita quasi ad normam descripsit genus vitae, ut eorum studia antiqua ad bonam frugem dirigeret, ingenium eorum constans et firmum confirmaret, parsimoniam priscae aetatis conservaret, et ferociam insitam institutis tam sacris quam profanis temperaret, atque ab intestinis discordiis, quibus ante vexabantur, in hostes potissimum converteret. Idem vero perspiciebat prudentissime, non posse homines contineri, quin novas subinde molirentur res, nisi numinis divini maiestate, quam vererentur laedere aut minuere, sanciretur lex, ut semper maneret: idcircoque ad Pythium Apollinem retulit illas rhetras, quibus praecepta disciplinae publicae continebantur; ac quum in aliis civitatibus leges darentur in tempus, ut tolli possent, quum primum placuisset populo, Spartae ea conditione tulit, ut numquam non valerent, numquam rescindi possent. Ita factum, ut diutissime duraret vetus reipublicae forma, nec usquam religiosius, quam Spartae, lege obligarentur animi civium. Civitatem autem iure optimo non omnes habuerunt, sed nobiles sive Spartani, ab iuris aequitate pares appellati, qui in urbe domicilium fixerant, et prudentia ac fortitudine cunctis praestabant: ceteri Lacedaemonii in agris degebant, titulo socii Spartanorum, re ipsa subditi. His agrum Laconicum universum conditor civitatis ita divisit, ut sortium novem millia Spartanis, Laconibus triginta millia, singulas singulis tribueret: neve alter altero ditior unquam evaderet, lege sanxit, ut agrum neque emi nec vendi, nec donari nec legari, nec dividi liceret; hereditate ad filium natu maximum integer transibat; filiabus dotem dari interdictum; unde binae pluresve sortes ad unum pervenire non unquam poterant. Regum potentia limitibus artissimis circumscripta: Ephororum, populi tutorum, exigua initio auctoritas, temporum aucta labe: Senatus duodetriginta virorum, cuius ante Ephororum dominationem summa

quam Plutarcho teste postulabat plebs in detrimentum Hopletum, quibus ut dominis obnoxii erant rustici, Solon non sustinuit facere: et Clisthenes phratorum et gentilium sodalitia cum antiquis tribubus rebusque sacris coniuncta religioni duxit dissolvere.

Quid igitur videtur, maioresne Graecos fuisse, qui, ut nos quidem arbitramur, quum initio Orientalium essent populorum haud dissimiles et quodammodo filii ac discipuli, iisdemque constringerentur vinculis, quibus impediebantur illi, quominus rem publicam, domesticam, litterariam, denique mores et rationem vitae universam liberalioribus temperarent et institutis et legibus, has quasi compedes rupissent atque excussissent, suamque sibi ipsi munivissent viam ad elegantiorum artium studia unice ducentem; an qui statim a principio, quemadmodum aliorum opinio fert, naturae beneficio quodam in eo essent loco constituti, nihil ut iis amplius fuisset agendum, nisi ut ingressa via pergerent fortiter, quaeque a matre benigna accepissent bona, diligenter tuerentur? Nonne magni sunt, qui sese tam mature emanciparint? deinde qui cum nova invenerint plurima, tum quidquid ab aliis traditum esset imperfectum, in rem suam verterint, ornaverint, auxerint, ad summam adduxerint perfectionem?

Idem Vir Doctiss. oratione nuper habita 44) Athenas Spartamque inter se comparare instituit 45), unde, quae praecipua sunt, ipsius oratoris verbis referemus:

Equidem, ubi Spartam considero, nullam unquam rempublicam aut firmius constitutam, aut civium virtute tam domestica quam militari domi forisque magis insignem video. Quod partim naturae debebant beneficio, quae iis eos artibus instruxisset, ut ad puros et severos

---

44) (*Boeckhii*) Oratio natalitiis 43. Friderici Guilielmi III. regis Boruss. celebrandis auctoritate univ. litt. Berol. d. 3. Aug. 1812. habita. Berolini, ap Hitzig, 15. pp. 4.

45) Quod fuerunt, qui cupide magis quam vere facerent.

mores nati factique viderentur, partim sapientiae legislatoris, qua prospectum esset, ne quando a prisci vitae generis simplicitate desciscerent. Qui quum intelligeret, nihil aeque ad felicitatem mortalium conferre, quam si iis uterentur legibus, quae indoli cuiusque congruerent maxime; Doriensibus, nationi agresti et durae, montibus colendis, venationi belloque gerendo assuetae, ita quasi ad normam descripsit genus vitae, ut eorum studia antiqua ad bonam frugem dirigeret, ingenium eorum constans et firmum confirmaret, parsimoniam priscae aetatis conservaret, et ferociam insitam institutis tam sacris quam profanis temperaret, atque ab intestinis discordiis, quibus ante vexabantur, in hostes potissimum converteret. Idem vero perspiciebat prudentissime, non posse homines contineri, quin novas subinde molirentur res, nisi numinis divini maiestate, quam vererentur laedere aut minuere, sanciretur lex, ut semper maneret: idcircoque ad Pythium Apollinem retulit illas rhetras, quibus praecepta disciplinae publicae continebantur; ac quum in aliis civitatibus leges darentur in tempus, ut tolli possent, quum primum placuisset populo, Spartae ea conditione tulit, ut numquam non valerent, numquam rescindi possent. Ita factum, ut diutissime duraret vetus reipublicae forma, nec usquam religiosius, quam Spartae, lege obligarentur animi civium. Civitatem autem iure optimo non omnes habuerunt, sed nobiles sive Spartani, ab iuris aequitate pares appellati, qui in urbe domicilium fixerant, et prudentia ac fortitudine cunctis praestabant: ceteri Lacedaemonii in agris degebant, titulo socii Spartanorum, re ipsa subditi. His agrum Laconicum universum conditor civitatis ita divisit, ut sortium novem millia Spartanis, Laconibus triginta millia, singulas singulis tribueret: neve alter altero ditior unquam evaderet, lege sanxit, ut agrum neque emi nec vendi, nec donari nec legari, nec dividi liceret; hereditate ad filium natu maximum integer transibat; filiabus dotem dari interdictum; unde binae pluresve sortes ad unum pervenire non unquam poterant. Regum potentia limitibus artissimis circumscripta: Ephororum, populi tutorum, exigua initio auctoritas, temporum aucta labe: Senatus duodetriginta virorum, cuius ante Ephororum dominationem summa

quam Plutarcho teste postulabat plebs in detrimentum Hopletum, quibus ut dominis obnoxii erant rustici, Solon non sustinuit facere: et Clisthenes phratorum et gentilium sodalitia cum antiquis tribubus rebusque sacris coniuncta religioni duxit dissolvere.

Quid igitur videtur, maioresne Graecos fuisse, qui, ut nos quidem arbitramur, quum initio Orientalium essent populorum haud dissimiles et quodammodo filii ac discipuli, iisdemque constringerentur vinculis, quibus impediebantur illi, quominus rem publicam, domesticam, litterariam, denique mores et rationem vitae universam liberalioribus temperarent et institutis et legibus, has quasi compedes rupissent atque excussissent, suamque sibi ipsi munivissent viam ad elegantiorum artium studia unice ducentem; an qui statim a principio, quemadmodum aliorum opinio fert, naturae beneficio quodam in eo essent loco constituti, nihil ut iis amplius fuisset agendum, nisi ut ingressa via pergerent fortiter, quaeque a matre benigna accepissent bona, diligenter tuerentur? Nonne magni sunt, qui sese tam mature emanciparint? deinde qui cum nova invenerint plurima, tum quidquid ab aliis traditum esset imperfectum, in rem suam verterint, ornaverint, auxerint, ad summam adduxerint perfectionem?

Idem Vir Doctiss. oratione nuper habita 44) Athenas Spartamque inter se comparare instituit 45), unde, quae praecipua sunt, ipsius oratoris verbis referemus:

Equidem, ubi Spartam considero, nullam unquam rempublicam aut firmius constitutam, aut civium virtute tam domestica quam militari domi forisque magis insignem video. Quod partim naturae debebant beneficio, quae iis eos artibus instruxisset, ut ad puros et severos

44) (*Boeckhii*) Oratio natalitiis 43. Friderici Guilielmi III. regis Boruss. celebrandis auctoritate univ. litt. Berol. d. 3. Aug. 1812. habita. Berolini, ap Hitzig, 15. pp. 4.

45) Quod fuerunt, qui cupide magis quam vere facerent.

mores nati factique viderentur, partim sapientiae legislatoris, qua prospectum esset, ne quando a prisci vitae generis simplicitate desciscerent. Qui quum intelligeret, nihil aeque ad felicitatem mortalium conferre, quam si iis uterentur legibus, quae indoli cuiusque congruerent maxime; Doriensibus, nationi agresti et durae, montibus colendis, venationi belloque gerendo assuetae, ita quasi ad normam descripsit genus vitae, ut eorum studia antiqua ad bonam frugem dirigeret, ingenium eorum constans et firmum confirmaret, parsimoniam priscae aetatis conservaret, et ferociam insitam institutis tam sacris quam profanis temperaret, atque ab intestinis discordiis, quibus ante vexabantur, in hostes potissimum converteret. Idem vero perspiciebat prudentissime, non posse homines contineri, quin novas subinde molirentur res, nisi numinis divini maiestate, quam vererentur laedere aut minuere, sanciretur lex, ut semper maneret: idcircoque ad Pythium Apollinem retulit illas rhetras, quibus praecepta disciplinae publicae continebantur; ac quum in aliis civitatibus leges darentur in tempus, ut tolli possent, quum primum placuisset populo, Spartae ea conditione tulit, ut numquam non valerent, numquam rescindi possent. Ita factum, ut diutissime duraret vetus reipublicae forma, nec usquam religiosius, quam Spartae, lege obligarentur animi civium. Civitatem autem iure optimo non omnes habuerunt, sed nobiles sive Spartani, ab iuris aequitate pares appellati, qui in urbe domicilium fixerant, et prudentia ac fortitudine cunctis praestabant: ceteri Lacedaemonii in agris degebant, titulo socii Spartanorum, re ipsa subditi. His agrum Laconicum universum conditor civitatis ita divisit, ut sortium novem millia Spartanis, Laconibus triginta millia, singulas singulis tribueret: neve alter altero ditior unquam evaderet, lege sanxit, ut agrum neque emi nec vendi, nec donari nec legari, nec dividi liceret; hereditate ad filium natu maximum integer transibat; filiabus dotem dari interdictum; unde binae pluresve sortes ad unum pervenire non unquam poterant. Regum potentia limitibus artissimis circumscripta: Ephororum, populi tutorum, exigua initio auctoritas, temporum aucta labe: Senatus duodetriginta virorum, cuius ante Ephororum dominationem summa

fuerat potestas, ex nobilibus lectus sexaginta minime annos natis et probitate singulari praestantibus; nec dignitas exstinguebatur nisi cum vita. Atque haec bonorum aequa divisio et imperium optimorum quam vim habuerint, nemo ignorat. Quum enim constet in civitatibus veterum plurimas turbas et reipublicae vicissitudines natas esse ex nimia opum inaequalitate, quam apud Chalcedonios Phaleas, apud Thebanos Philolaus, et Plato in optima civitate, quam opere de Legibus condidit, tollere sedulo studuerunt; ac quum aeque constet, popularem dominationem, gliscente plebeculae licentia facile declinare ad superbissimam aut vulgi aut unius tyrannidem: eo valuerunt Dorica Spartanorum instituta, ut novis rebus rarissimis perturbata respublica, neque ullius ante Machanidam et Nabin tyranni violentiam experta sit. Quod vero senibus Spartani parebant, iisque magistratum perpetuum gerentibus, Aristotelis reprehensioni ansam praebuit ferendum hoc dicentis, ubi probi sint et bene instituti: eosdem tamen negat tales ab ipso legislatore habitos: atque ut corporis, ita animi quandam esse senectutem monet. Quod utut est, certe contenderim non melius prospici reipublicae firmitati potuisse, quam hoc senectae habito honore. Igitur Spartani quum audaciam putarent florentis aetatis esse, prudentiam senescentis, iuvenes viribus corporis, pugna et gladio excellentes voluerunt: senibus, quae ratione, sententia, animo administrantur, agenda arbitrati sunt: ideoque summum reipublicae collegium, quod Athenienses Consilium appellabant, Spartae Senatus et erat et dicebatur. Ac quemadmodum in familia summus honos patri familias habetur, ita Spartae, quam unam et indivisam familiam legislator efficere studuit, maxima erat senum reverentia. Rem autem familiarem et connubia quomodo instruxerint, pueros atque adolescentes quibus artibus ad temperantiam, ad prudentiam, ad fortitudinem, ad pietatem, ad legum obedientiam instituerint, enarrare nolo peritis. Quid vero dicam, ut a mercatura, a negotiis maritimis, ab agricultura ceterisque operis illiberalibus retinuerit eos legislator? Et negotiari quidem nec Romae Senatori licuit: et Thebis, qui ad rempublicam accedere vellent, decem annis quaestu abstinere omni debebant: Spartanis autem mercatura eo ma-

gis improbanda erat, quod et funestam veteribus civitatibus illam opum inaequalitatem turpemque lucri cupidinem afferret, et res permultas importaret ad aetatem agendam minime necessarias, nec solum has, sed etiam artes moresque peregrinos, quos ne probarent umquam, cautum volebant iis legibus, quibus indigenis interdicebatur peregre proficisci ante senectutem, et peregrinis in urbe commorari nulla idonea causa. Sed illud iure mirere, quod agri colendi studia non tenuerint homines robustos et laborum patientissimos: in quo dissentientes magnopere Romanos aeque bellicosos habebant, qui, quamdiu vetus florebat disciplina, rebus agrestibus ita delectabantur mirifice, nihil ut iis vita rustica honestius videretur; ut in hac occupati essent Senatores, iique senes; ut apud Ciceronem M. Catoni voluptates agricolarum, inter quos versabatur ipse, ad sapientis vitam proxime viderentur accedere, non modo ob fructum, qui inde rediret, sed ob terrae ipsius vim ac naturam admirabilem. Quum legislator civium victum vellet simplicissimum esse, cum luxus instrumentis omnibus litteras quoque artesque partim expulit, partim coercuit et quasi custodia vinctas tenuit, Aegyptiorum in modum, apud quos narrant Graeci traditos ante decem millia annorum modos cantici neque obsolevisse situ vetustatis neque immutatos unquam esse: adeo, ut artium apud Lacedaemonios conditionem cum Atheniensibus conferens similes illic videas signorum rudi artificio pedibus compressis effictorum, hic statuarum perfectissimarum Daedalea, hoc est Attica, solertia fabricatarum ita, quasi viverent libereque incederent. Non sinebant Spartani artem apud sese tractari ullam, quae Regibus, Senatoribusque et Ephoris, morum arbitris, minus probaretur: quibus nihil magnopere probabatur novitium. Romae Censores, Cn. Domitius Ahenobarbus et L. Licinius Crassus, quum rhetores Latini ludum aperuissent, ibique adolescentuli totos dies desiderent, in edicto, quo ostendebant suam sententiam, sibi non placere, haec verba posuerunt: „Maiores nostri, quae liberos suos discere et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta videntur.“ Hoc Romae libera republica semel atque iterum factum: Spartae tem-

poribus optimis nunquam non observatum. Igitur prudentiae viriumque plena breviloquentia contenti, quae non Laconum, sed Doricae stirpis propria erat, quamque cum Argivis maxime communicabant, aspernabantur compta illa et quasi unguentis delibuta factae orationis incantamenta: igitur nullum apud eos reconditae et sublimis sapientiae, nullum rerum gestarum posteritatis memoriae sermone eleganti tradendarum studium: igitur neque de astrorum positu et motibus, neque de geometria, aut numeris, aut litteris, aut harmoniis, aut rhythmis, sed de heroum facinoribus, de civitatibus olim conditis, de prudentibus institutis et legibus Hippiam Sophistam disserentem auscultarunt. Sculpturae tamen habitus honos, ob simulacra deorum templorumque religionem: neque ignobilia nomina Dorycidae, Dontae, Callicratis, Spartanorum artificum. Nec spretae cum saltatione musice et poësis; verum quod nihil citius altiusque animis puerilibus insinuari, nihil moribus aut emendandis aut depravandis magis conferre intelligerent, quam motus corporis aut modestos aut lascivos, numerosque et modos vel severos et graves, vel leves ac frivolos; religiose caverunt, ne qua prisca morum disciplina his artibus detrimentum caperet. Quapropter sola saltatione gymnopaedica, omnium sedatissima et moderatissima, ac pyrrhicha Aristoxeno auctore ab ipsis inventa, qua bellica meditabantur negotia, a quinto aetatis anno instituí pueros voluerunt: molles autem istos flexus Ionios, protervitate sua nobilitatos, exulare in perpetuum iusserunt. In musica autem cascos amplectebantur Terpandri nomos, quibus descripta disciplinae publicae praecepta erant: neque immerito gloriabantur sese omnium diutissime veteris musices obstitisse depravationi per Graeciam invectae. Cuius rei documentum publicum extat decretum, quo animadverterunt in Timotheum Milesium, artificem aetatis suae clarissimum, qui, quum Spartam venisset, et spretis antiquae Musae septem chordis undecim sonis canens, pro simplice harmonia varios et effeminatos chromatis modos induxisset, iuvenumque, ut est in decreto, corrupisset aures, atque idem Cereris Eleusiniae ludis fabulam partum decore adornans Semelae dolores docuisset

pueros: a Regibus et Ephoris reprehensus est publice et coactus ex undecim chordis, quae plures septem essent, rescindere, ut quivis reipublicae severitate spectata revereretur Spartam inferre quidquam inhonestum, neve unquam certaminum musicorum immiqueretur decus. In quo si scaevos fuisse Lacedaemonios dices, saltem hoc teneas, musicae peritissimos apud veteres, et in iis Dionysium Halicarnassensem ac Plutarchum abs Timotheo eiusque similibus corruptam musicam censere. Quid vero quod ne Homerum quidem sine reprehensione dimissum a Spartanis constat, quod vitam non Doriensem, hoc est parcam continentemque, sed luxuriae ac nequitiarum plenam Ionicam imitaretur? adstipulantibus vel in hac summi ingenii vituperatione viris et probis et sapientibus, Pythagora Samio, Xenophane Colophonio, Heraclito Ephesio et divinae mentis philosopho Platone: ut non iniuria Lacedaemonii sapientiae vetustissimae auctores et praeceptores a quibusdam perhiberi videantur. Tyrtaei autem carminibus, bellicae virtutis stimulis, non solum ut embateriis utebantur ad pugnam incedentes, verum etiam in castris post coenam singuli canebant certatim.

Athenarum indolem ubi oppositam Spartae adversa fronte dico, sive reipublicae formam et instituta, sive civium conditionem, victum cultumque universum spectes, a vero non magnopere aberrare mihi videor. Etenim Ionica gens, quae, quum littora Peloponnesi septentrionalia olim habitasset, a veteribus Atticae orae incolis recepta Asiae minoris loca maritima insulasque plurimas posthac occupavit, ut ipso sedium delectu hoc, navium appulsui et mercaturae opportunissimarum, miram illam animorum agilitatem, ingenium mobile magis quam firmum, vitaeque licentioris amorem maritimis negotiis Aristotele iudice fere coniunctum declaravit: ita tantum abest, ut aut optimorum dominationem diutius passa sit, aut severam morum disciplinam, qua Spartani delectabantur, censuerit tolerabilem, ut etiam vitam eiusmodi mancipiis quam liberis hominibus aptiorem vixque vitalem duxerit. Itaque, ut omittam Theseum, quem non solum civium

libertatem vindicasse praedicant, sed ipsis etiam servis benignum ac praesentem deum venerantur: Solonis tempore post multas factionum clades eo devenisse Athenarum res nostis, ut excusso aere alieno et nexu, quo pauperes obstringebantur nobilibus, sublato molesto illo populorum Orientis instituto, quod singulis tribubus loco, moribus, connubio segregatis suum proprium genus vitae descripserat, postremo abolita Eupatridarum potestate, et cum omnibus civibus, praeter proletarios, communicata, aequo fere iure gauderent universi, nec tamen effrenatum esset plebis imperium, quod ne quando existeret, tum Areopagi, sanctissimi senatus et iudicii auctoritate summa, tum legibus caverat saluberrimis, nec tamen iis eo consilio latis, ne mutari unquam possent, sed copia data populo novarum ferendarum. Insequenti autem tempore quibus rebus per Clisthenem, ac deinceps simul cum navalibus Atheniensium copiis augescentibus, Themistoclis opera, maxime vero Periclis illa illustri tyrannide plebis potentia increverit eum in modum, ut belli Peloponnesiaci aetate nullis legibus teneri, nullo consilio regi, nulla religione deterreri ab immanissimis atque impotentissimis conatibus concio furibunda potuerit: non est quod uberius exponam. Quid quod ipsi servi, exemplis dominorum spectatis, dataque lege, ut mancipium fusti caedere ne liceret, liberiores ac superbiores facti sunt quam Spartae cives? Unde vel canum et asinorum impudentiorem Athenis insolentiam quam in ceteris Graeciae terris Plato lepide pronunciat. Atqui haec Attici populi sive libertas sive licentia, antiquo statu reipublicae legibusque salutaribus funditus eversis, quamquam permultis et de patria optime meritis civibus exitio fuit; quamquam moribus probis grave inflixit vulnus, pravasque libidines ita nutrivit, ut, quasi herba irrigua, succrescerent uberrime; denique quamquam Athenarum libertatem ipsam in discrimen summum adduxit: tamen eam habuit vim, ut laetior non usquam atque amplior omnium ingenuarum artium effloruerit seges: quas nemo est qui nesciat nulla re quam libertate magis ali et confirmari, servitio autem illiberali tamquam aliqua procellae calamitate prosterni et eradicari. Nego fieri potuisse, ut in

summum eruditionis universae fastigium Athenae escenderent, et disciplinarum artiumque prope omnium parentes, nutrices et magistrae evaderent, nisi civitatis leges genus vivendi liberius et victum elegantiorem lautioremque concessissent civibus, eosque a colendis artibus non modo non deterruissent Lacedaemoniorum exemplo, sed laudis quoque haud parum litteris ac doctrinae habuissent. Huic rei argumentum dicam, si quid video, haud infirmissimum. Nam quum Thespis tragoediam Athenis coepisset movere, eaque ob rei novitatem vulgus delectaretur maxime, necdum tamen inter publica certamina eiusmodi ederentur ludi; Solon natura docilis et audiendi etiam senex cupidus narratur spectasse Thespidem fabulas suas agentem: post spectationem vero quaesivisse ex Thespide, numne puderet coram coetu tanto talia mentiri ac comminisci: respondente autem poëta, nihil indignum esse ludibrii causa eius generis res dicere atque agere, Solonem produnt solum baculo percutientem exclamasse: „At vero haud diu erit, quum ludibrium hoc, ubi primum laudatum ac comprobatum fuerit, in commercio hominum inveniemus." Haec locutum ferunt priscae ac simplicis sapientiae amatorem, qui tamen ipse poëta tam egregius fuit, ut non iniuria de eo Critias praedicaverit, nisi negotiis civilibus et reipublicae tractationi haec remisisset studia, eum Homeri gloriam aequaturum carminibus suis fuisse: atque addunt alii, interdictum ab eo Thespidi fabularum actione esse. Iam ut concedamus falsa haec et conficta esse, quod rationibus docti commonstrarunt abunde; an putatis, si quid Athenis accidisset istiusmodi, ut nobilissima tragoediae poësis Solonis lege esset exulare iussa, tantum eam emersuram temporibus proximis fuisse, ut ternos illos divini spiritus homines ad artem eam exercendam excitaret, ut Aeschyli sublimitate et magnificentia stabilita, Sophoclis perfectione absoluta, Euripidis sapientia illustrata esset, tantumque posset ad honestatem et sensum pulchri rectique effingendum? Sed quod Athenis non solum viribus corporis ac velocitate, ut in aliis Graeciae civitatibus, parabatur gloria immortalitati proxima, verum musicis etiam certaminibus palma erat proposita; quod ibi tragicae comicaeque fabulae in ludis sollemnibus Baccho actis sumtu ingenti committebantur

publice: praemiis allecti haud exiguis praestanti homines ingenio ad musicum hoc studium summa cum contentione sese applicabant; nec concidit ars scenica prius, quam exhaustae opes reipublicae fortunaeque civium attenunatae non iam pares essent immensis illis in scenam olim factis impensis. Quid vero de oratoria dicam Athenarum fere propria? Num ea unquam a prisca tenuitate pervenisset ad summum, nisi in iudiciis et concionibus esset culta? Quid philosophia? Num Socrates de finibus bonorum et malorum, de virtutibus vitiisque, de officiis, de reipublicae gubernatione tanta subtilitate quaesivisset, et sapientiae studium ab indagatione rerum tenebris naturae abstrusarum ad vitam communem ac quasi in societatem hominum deduxisset: num par magistro discipulus Plato rerum divinarum humanarumque cognitionem alta mente esset complexus, iisque tradidisset verborum illecebris, quibus, quo quisque est elegantior, eo capitur magis et detinetur: num Aristotelis vastus et perspicax animus orbem doctrinarum universum emensus esset: num hi triumviri non modo gentiles tam Graecos quam Romanos, sed Christianae fidei homines per omnes aetates vel obscurissimas auctoritate sua devinctos tenuissent ac tenerent hodieque, si decretum tale Athenis stetisset, quali decreto Spartani Timotheum Milesium notaverunt? Quod quum Sophocles Amphiclidae Suniensis tentasset, lata lege, „ut philosophi scholas ne aperirent, nisi si Senatui Populoque Atheniensi placuisset: qui secus fecisset, capitale esset;" ita ei cessit male, ut anno insequenti Athenienses abrogata lege quinque eum talentis multarent, reditumque decernerent philosophis. Itaque quum vel amissae libertatis temporibus indignum videretur huic populo, artem ullam vel proscribi vel cohiberi legibus, modo ne religio patria violaretur: quod multis obiectum, iure aliis, ut Protagorae Abderitae, aliis iniuria, ut Anaxagorae et Socrati: quid mirum Athenarum urbem dicendi et litterarum officinam omniumque laudandarum artium extitisse emporium, ac doctrinae laude, praesertim a Periclis aetate, tantum eminuisse inter ceteros Graecos, ut ocellus Graeciae atque Hellas Helladis et esset et diceretur?

Nunc igitur ubi quaeritis, utra civitas his legibus, his institutis et moribus degerit felicius, partim magnos

illos legum conditores ea, qua decet, reverentia prosequens, partim aequi iudicis laudem, si qua est, cupiens maximopere, utramque respondeo, dum legislatoris voluntati et consiliis obtemperaret, aeque fuisse felicem, quod studiis utriusque, ad quae eos natura ipsa adduxerat, genus vivendi legibus praescriptum conveniret. Immota diutissime Sparta stetit, parvo bene vivens; neque aptius in Germanos quam in Spartam dicta Taciti sententia gravissima: „Nemo ibi vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi seculum vocatur;" plurima quinetiam vitia, quibus aliae vexabantur civitates, illa ignorabat: unde Socrates, Xenophon, Plato, et prudentissimus veterum quisque Spartanam rempublicam suis calculis approbarunt usque eo, ut iustissimam dicerent atque aequissimam, eamque ad perfectionem proxime accedere iudicarent. Quid quod Platonis duo illa perfectae reipublicae specimina nulli Graecorum similiora sunt quam Laconicae? quid quod Solon, quum leges suas profiteretur esse non optimas, sed eiusmodi, quales potuissent ferri, praestantiores autem sese praedicaret scire, non alias videtur significasse quam Dorienses Pythii Apollinis? quid quod in Italia Pythagorei, divinissimi sapientum, quo populum redderent vere beatum, formam civitatis haud disparem magnopere instituerunt? Verum ex quo a pristina simplicitate Spartani desciverunt, ex quo deletis bello nobilissimis gentibus permultis, agrorum suburbanorum sortes ad mille fere redierunt homines factiosos, ex quo auro inhiare ferrea haec gens coepit, omnesque ex Graecia universa et barbaria Spartam nummi confluxerunt, unde velut bestiae ex leonis cubilibus non proficiscerentur unquam: inde ex ea tempestate luxu, ambitione, avaritia, malis artibus quibuscunque corrupti ac sordentes eo degenerarunt turpius, quo natura ad istiusmodi vitia minus finxerat proclives. Athenas vero splendidas et illustres, decus columenque Graeciae, ut vates Thebanus pronunciavit, legibus suis beatas fuisse, antequam eas migrarent, quid est quod persuadendum suscipiam persuasis? —

Nempe Sparta civibus profuit paucis: Athenae per orbem terrarum fructus ingeniorum uberrimos propagarunt. Illa viribus, virtute, rebus gestis magna, nullis in exteros beneficiis: hae non sibi solis, sed generi humano operatae sunt. Sparta cecidit: Athenarum eruditionem, quasi lampada cursores, secula seculis tradiderunt, et tradent deinceps in omnis aevi sempiternam memoriam, ut ab illa, velut a sacra Prytanei flamma, lumina accendant mentis: neque unquam eae periturae sunt, dum humanitas, dum sapientia, dum litterae et artes mortalibus cordi erunt.

Solonis legem, in hac ipsa comparatione memoratam (p. 457.), illustravit nuper erudita commentatione Vitebergensis Antecessor doctiss. *Andreae*[46]. Nam, quum legislator (inquit) seditionum, quae illo tempore civitati exitium minitarentur, caussam primariam facultatum inaequalitatem divitumque erga pauperes inhumanitatem esse animadvertisset, id primum ei curae fuit, ut huic malo medicinam opponeret efficacem. Ex Plutarch. Sol. 15. et Diog. Laërt. 1, 45. patet, Solonem duobus modis adiuvisse debitores, altero, quem σεισάχθειαν adpellaret, altero quum ita, ut ipsa debitorum corpora obligarentur, in posterum fenerari prohiberet. Illius prioris modi quae vis fuerit et ratio, iam antiqui interpretes incerti fuerunt, cuius dubitationis caussa non in grammaticae interpretationis difficultate, sed in rerum gestarum obscuritate quaerenda est. Nam σεισάχθεια *oneris excussionem* i. e. levamen significat. v. Etym. M. p. 710[47]. Suidas (coll. Salmas. de modo usurr. c. 17.

---

46) De Solonis legum erga debitores lenitate Commentatio. Scripsit *Paulus Christoph. Gottlob Andreae*, Philos. et Iur. utr. Doct. Prof. iur. extraord. Facult. iurid. Viteb. et Iudicii Regii provinc in march. Lusatiae infer. adsessor ord. Vitebergae, cIɔIɔcccxII. ex offic. Seibt. 24. pp. 4. Laudavit etiam p. 7. plurimos, qui de legibus Solonis scripserunt, et discrimen inter κύρβεις et ἄξονας ex Harpocr. Etym. M. Ammonio aliisque (p. 6. s.) illustravit.

47) Ibi verba τὸ κόσκινον ex alio glossemate irrepsisse (p.

p. 750. ss.), Hesych. (apud quem σεισάχθειαι legendum est). Cur, quae caeteris χρεῶν ἀποκοπὴ (Moeris p. 347. ed. Piers.) aut χρεῶν λύσις dicta est, a Solone σεισάχθεια diceretur, causam Plutarchus ab Atheniensium studio emphemismi repetit. Iis autem adsentitur auctor, qui omne aes alienum illo Solonis decreto sublatum, non tantum usuras imminutas, et numorum pretia mensurasque auctas esse [48]), statuunt; idque confirmari ostendit adflicta, quae tum fuerit, pauperum conditione (Plut. Sol. 13.) [49]), cui Solon parum consuluisse censendus est, usurarum modo coërcendo et pretia numorum augendo. Nam miserrimi cives nihil, praeter corpora, quo creditoribus satisfacerent, habebant, nullam pecuniam. Itaque debita omnino erant tollenda. Et Solon quidem ipse in carminibus, Plut. teste, gloriatus est, se ὅρους [50]) columellas pignorum indices, sustulisse et servitute oppressos liberasse. Ex amicorum autem eius calliditate, a Plut. memorata, coniici potest, omnia nomina esse expuncta. Hi enim mutuam sumserant pecuniam, qua agros emerent, eamque, lege Solonis lata, non reddebant. Solon ipse aes suum [51]) (5. aut 7. aut 15. adeo talenta) creditoribus remisit; et Dio Chrysostomus (Or. 31. T. 1. p. 604. Reisk.) aeris alieni remissionem a Solone decretam ab iniustitiae crimine vindicavit; denique Lysia aucto-

---

11.) monet; et glossemati σεῖστρον inserta putaret, nisi sistri formam cribro absimilem fuisse constaret [Caet. addendi sunt Photius Lex. p. 373. et Zonaras Lex. II. p. 1635.].

48) Hanc rationem cum Androtione plures etiam recentiorum sequuti sunt, p. 17. s. laudati.

49) Neque tamen cum Dion Hal. Antt. R. 2, 9. existimandum est, θῆτας fuisse servorum in numero habitos, imo eorum meliorem fuisse conditionem, quam eorum qui ob aes alienum in servitutem fuerant redacti, ostenditur p. 14.

50) Erant columellae s. cippi ad domos agrosve fixi, quibus eos esse oppigneratos indicabatur v. Harpocr. p. 219. Romani eamdem in rem libellis et tabulis utebantur; (p. 15.).

51) h. e. quod ipsi debebatur, v. Ulpian. in l. 213. §. 1. D. de R. t. (50, 17.).

re (Or. I. in Theomn. p. 117. Reisk.). Solon etiam hanc tulit legem: τὸ ἀργύριον στάσιμον εἶναι, ἐφ' ὁπόσῳ ἂν βούληται ὁ δανείζων.

Solon igitur aut omne aes alienum expunxisse, aut, quum σεισαχθείας lex omnium prima fuerit, sibi ipse in legibus ferendis repugnasse censendus erit. Caeterum Solonis illud consilium nec pauperibus nec divitibus satisfecit. Illi spem aequalis agrorum divisionis conceperant, hi contractus sublatos criminabantur. Perspectis tamen novarum tabularum commodis utrique desierunt conqueri, et sacrificium σεισαχθείας nomine institutum est, quod tamen non est repetitum, ut Montefalcon. aliique festorum a Graecis celebratorum scriptores statuerunt.

Altera Solonis lex interdixit, ne quis pecuniam mutuam daret ea conditione, ut debitoris corpus obligatum esset [52]). Antea enim vel debitores agros opulentiorum coluerant iisque sextam proventuum partem reddiderant (ἑκτημόριοι vel θῆτες ideo appellati, vel corpus suum in servitutem addixerant, ita ut aut creditoribus domi servirent aut extra patriam venderentur (Plut. Sol. 13, Diog. L. 1, 45.); quae quidem servitus, non nisi debito soluto, redimi potuisse videtur. Solon igitur, deleto per σεισάχθειαν aere alieno, etiam hanc legem tulit, ne, quem modo depulerat, morbus vehementior rediret. Creditoribus enim in corpora fenerari prohibitis pauperes etiam a faciendo aere alieno deterrebantur, quod quidem Solon voluisse videtur, non autem addictionem debitoris in servitutem omnino abrogare. Neque vero Diodori Sic. locus (I, 79.) huic sententiae, quae Solonis decreto tantummodo istos, quibus debitores pignori libertatem suam offerrent, contractus prohibitos fuisse censet, adversatur, quum ille aut utramque Solonis le-

---

52) πρὸς τὸ λοιπὸν ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν. Grammaticam legis interpretationem ideo auctor accurate persequutus est, quod *Dabelowius* (Ausführl. Entwickelung der Lehre vom Concurse der Gläubiger, p. 11. s.) post *Buchaldum* (in Comm. ad LL. XII. Tabb. francog. scripto I, p. 107.) eius sensum aliter, neque tamen recte, expressit (auf den Körper zu wuchern).

gem unam eamdemque esse male iudicaverit, aut aere alieno per σεισάχθειαν deleto debitores ex servitute vindicatos esse statuerit.

De Atticis gentibus, quae supra memorata est (p. 457.), *Platneri* commentatio[53]), ea primum ostendit, quemadmodum Asiae regna ex pluribus, vitae etiam genere diversis, gentibus composita esse constat, ita idem factum esse in liberis civitatibus. Atticae gentes diversas fuisse, diversaeque stirpis, vel inde colligitur, quod summum studium congregandi Atticae incolas in unum populum Theseo demum feliciter cessit, quamquam in unam civitatem consociata multitudine magna hominum pars in antiquas sedes discessit (Thuc. 2, 16. 17.). Et magnae illae diuturnaeque contentiones explicari facile possunt, si ex *gentium* diversitate repetuntur. Quae autem de factionibus, tribubus ac classibus civium seorsum tradita sunt, ita apto vinculo colligantur. Duo fuisse ostenditur, quae gentium diversitatem in Attica efficerent et alerent, terrae situm prope mare, ut advenis pateret aditus, et soli diversitatem. Tres enim fuerunt gentes, qui antiquissimis temporibus Atticam occuparent, Pelasgi[54]), Aegyptii et Hellenes, quorum partem iam Cecropis tempore in Atticam concessisse auctor suspicatur; Phoenicum quoque, quos Cadmus adduxit, et Boeotorum partem in Atticam se contulisse coniicit. Occupaverant illi diversas regiones, et dissidia, quae inter regionum illarum incolas exstiterunt, ad gentes pertinuerunt. Diacrii (hyperacrii ap. Herod.), Parali et Pediei s. πεδιάσιοι sunt, quorum pugnae nunquam cessasse dicuntur (Plut. Sol. 13, 29.). Scilicet triplex erat Atticae natura, alia montana, quam qui incolebant διάκριοι ce-

---

53) *De gentibus Atticis earumque cum tribubus nexu. Dissertatio ex historia iuris graeci repetita. — Scripsit* D. *Eduardus Platnerus.* Marburgi, typis Krieger. cIↄIↄcccxI. 17. pp. 4.

54) [Et ne hi quidem unius eiusdemque stirpis fuisse videntur.]

teros originis antiquitate antecedebant. Palmerius Exercitt. ad Herod. p. 3. ss., non a montibus Diacrios s. Hyperacrios dictos putat, sed inde, quod ὑπὲρ ἄκραν, h. e. Sunium, habitaverint, quum 1. Hesych. V. Διακρεῖς tradat, Diacriam fui se terrae tractum et montem Parnethem, 2. Schol. Arist. Vesp. 1218.[55]) narret, Pandionem in regno dividendo Diacriam Lyco, Aegeo regionem circa urbem, Pallanti Paraliam, Niso Megaridem (postea ab Heraclidis occupatam, v. Strab. IX. p. 343. ss.) concessisse. Ex his vero apparet, Diacriam certam regionem fuisse, non autem, eius incolas tantummodo Diacrios appellatos. Fieri autem potuit, ut nomen illud primum ad montium incolas quoscunque pertineret, deinde strictius diceretur; et ipsa regio, quia montibus abundabat [56]), hoc nomine insignita videtur. Diacrii lautioris vitae instrumentis caruerunt, et ultimam pauperrimamque civium classem constituerunt; ditiorum (h. e. Pedieorum, qui soli agros possidebant) colebant agros et sextam proventuum partem, quinque partibus sibi servatis, solvebant [57]); et quum aere alieno opprimerentur, potentioribus infensi erant. Pediei contra, qui fertilissimam Atticae partem tenebant, et opibus et nobilitate praevalebant. Parali, qui Atticae oram a Sunio usque ad isthmum incoluerunt, et fortassis ex Ionum stirpe fuerunt, medii erant inter plebem et nobilitatem, unde, Plut. auctore, neque democraticum neque aristocraticum imperium, sed intermedium appetierunt. Theseus igitur, qui populum in εὐπατρίδας, δημιουργοὺς et γεωμόρους [58]) divisisse dicitur, civium classes, iam a natura constitutas,

---

55) Cf. Schol. Eurip. Hipp. 35. Strab. IX, 1, 6. p. 340. Suid. V. Παράλων.

56) Cf. Gronov. ad Herod. p. 64. ed. Wess. et Albert. ad Hesych. V. Διακρεῖς.

57) Ita enim ex Plut. et Hesych. V. Ἐπίμορτος statuendum; neque ex Hesych. V. Ἑκτημόριοι concludendum esse, eos quinque partes reddidisse, sextam sibi servasse, ostendit auctor.

58) Iis respondebant Πεδιεῖς, Πάραλοι, et Διάκριοι. Ad eam descriptionem etiam Plato Critica p. 42. et 46. ed. Bip. respexisse videtur. Cf. Aristot. Polit. 7, 10. et Ignarra de phratr. vett. p. 23.

sanxisse potius quam instituisse videtur. Cfrr. Pollux VIII, 111. et Hesych. V. Ἀγροιῶται, Δημιουργοί, et Εὐπατρίδαι, etiam Diod. S. 1, 28.

Ad hanc gentium et locorum diversitatem auctori etiam tribuum distinctio revocanda videtur, non ad regis cuiusdam inventum. Nam ipsum voc. φύλη et partium nomina φρατρίαι et γένη produnt aliquid a natura procreatum, et phratriae ex coitione familiarum, maxime congenerum, exstiterunt (v. Ignarra p. 13.), tribus autem omnes eiusdem stirpis familias, h. e. gentem, complectebantur. Prima enim civitatum instituta pleraque rerum statu potius effecta, quam ad legem aliquam composita sunt. Hoc inprimis cadit in tribus, Cecrope regnante iam institutas, quo tempore Attici magis ad naturae vim quam ad imperantis iussa se componebant. Nam etiam post Cecropem diversi Atticae incolae suos magistratus et proprias habuerunt curias, ita ut Cecrops non facile tribus pro arbitrio constituisse videatur [59]. Quae Pollux VIII, 109. s. de quatuor tribuum nominibus, iisque saepe mutatis, tradit, illustrare auctor et ad tres illas gentes referre studet. Nam ἀκταίαν comprehendisse Diacriam, κεκροπίδα autem et αὐτόχθονα eam regionis partem, quae πεδιακὰ dicebatur; μεσογαίαν etiam respondere πεδιακοῖς existimat; διάδα et ἀθηναΐδα Pedieis, Ποσειδωνιάδα Paralis, Ἡφαιστιάδα Diacriis adsignat. Quae Pollux ex Ionis mascula prole repetit nomina tribuum [60], earum originem et rationem aliam tradunt Plutarch. Sol. 23. et Strabo VIII, 7, 1. p. 289., quorum ille distinctionem tribuum rectius ex vitae generibus explicat, hic no-

59) Quae suae sententiae, tribus ad gentium diversitatem referenti, opponi possint, ita confutat auctor: 1. demorum varietatem non impedire, quo minus aliquo vinculo fuerint iuncti; tribus continebant certum demorum numerum et habebant suos gubernatores, φυλοβασιλεῖς dictos; 2. Cecropis aetate haud dubie non tam multi et varii fuerunt demi; neque 3. negatur variorum hominum in Atticam ingressu gentium ordinem turbatum esse; illud tantum dicitur, in Attica primigenias stirpes exstitisse, quae initia quasi populi Athen. fuerint, et tribus maximam partem constituerint.

60) Cf. Herod. V, 66. In his sunt γελέοντες supra explicati p. 455.

mina melius edit, iudice auctore Comm. Ad eamdem gentium et locorum diversitatem refertur quoque civium in quatuor classes distributio, quas pro rei familiaris modo Solon instituit.

Certe Εὐπατρίδαι classi πεντακοσιομεδίμνων accensebantur, et ex iis archontes legebantur ante Aristidis tempora [61]). Et quae Scholiastes Arist. Vesp. 1218. [62]) refert, conciliari cum historicorum testimoniis, qui Solonem istas factiones compescuisse narrant, nequeunt, nisi sumamus, aut falsa eum dixisse, aut censum a Solone institutum in animo habuisse. Pediei enim pro πεντακοσιομεδίμνοις poni potuerunt. Dum quatuor tantummodo tribus erant, partium discordia non exstincta est, Clisthenes decem tribus constituendo dissidia exstirpavit, et peregrinos, servos atque inquilinos (μετοίκους) recipiendo in tribus [63]) gentium diversitatem sustulit. Ita tribus [64]) sensim instituto civili quam rei a natura progenitae similiores apparuerunt.

Idem V. D. libellum nuper edidit, quo antiquitatis, inprimis Romanae, disciplinam ad artis et scientiae legem esse componendam meliusque tractandam docuit, brevemque novi antiquitatis Rom. systematis descriptionem addidit [65]). Scilicet Prolegomenis, quibus de fontibus et praesidiis antiqu. Rom., deque urbe Roma et Romanis omnino agendum sit, praemissis, duo constituit libros, quo-

---

61) v. Plut. Aristid. p. 479.

62) κατὰ τοὺς Σόλωνος νόμους τρεῖς ἦσαν αἱ τάξεις, πάραλοι, πεδιεῖς, διάκριοι.

63) Aristot. Polit. III, 2. Cfr. Schol. ap. Wessel. ad Herod. V, 66.

64) Non recte Müllerus in Hist. Helv. tribuum distinctionem e re militari ortam esse contendit, neque hoc locus Hom. Il. 2, 362. (tractatus a Salmas. Obss. ad Ius Att. et Rom. p. 126. ss. et Ignarra de phratr. p. 39. ss.) docet.

65) *Ueber wissenschaftliche Begründung und Behandlung der Antiquitäten, insbesondere der römischen. Eine Abhandlung, welche zugleich einen Leitfaden für antiquarische Vorlesungen enthält, von Eduard Platner*, Professor *in Marburg*. (Marburgi in novo bibliopolio Acad. 1812. X. 208. pp. 8.)

rum alter omnem externam populi et civitatis Rom. rationem, alter internam, complectitur. Uterque in plures divisus est titulos, partes et minores sectiones, quarum subtili descriptione impediri non potuit, quo minus vel seiungerentur interdum, quae natura sua arctissime sunt coniuncta, vel repeterentur nonnulla variis locis. Ad primum librum referuntur quaecunque ad omnem civitatis formam et modum quo existit et conservata est, et ad rationem quae inter eam et alios populos sive liberos sive subiectos et ipsos cives intercessit, spectant, quo etiam publica privataque iura et omnis omnino disciplina civilis et domestica pertinent, alter capita de religione et quae cum ea copulata erant, litteris et artibus earumque studiis continet. Illud inprimis laudandum est, quod (p. 25—34.) plures constitutae sunt periodi quibus, quae factae sint rerum mutationes, optime docetur, et ad quas in tractando quovis antiquitatis capite respiciendum est. Adiectae sunt nonnullae ex iure Romano depromtae observationes selectae.

Romanorum religionem cum omnibus civitatis institutis intimo nexu fuisse copulatam tum alii monuerunt, tum subtilius docere nuper instituit Cl. *Scheu*, Vitebergensis academiae doctor [66]). Is, postquam omnino ostendit, hominum familias antiquissimas aut vi et armis esse coactas aut eorumdem sacrorum vinculo sociatas [67]), et, quae condendarum civitatum primae fuerint causae, eas etiam in administrandis conservandisque rebus fuisse utilissimas, inprimis autem religione civium animos esse inbuendos: Romanae quoque civitatis et conditores et praesides tum in bellica civium virtute augenda tum in

66) *De religione Romanorum civili. Dissertatio historica, quam — pro loco inter Assessores ordinis philoss.* (*in acad.* Viteberg.) *ordinarios obtinendo ad disceptandum proposuit Vitus Theophilus Scheu*, Philos. D. Ord. philos. Ass. extraord. Acad. Bibliothecarius etc. Vitebergae, litteris Gaesleri, 22. pp. in 4.

67) [Addi potest communis defensionis mutuive auxilii necessitate effecta coitio.]

mina melius edit, iudice auctore Comm. Ad eamdem gentium et locorum diversitatem refertur quoque civium in quatuor classes distributio, quas pro rei familiaris modo Solon instituit.

Certe Εὐπατρίδαι classi πεντακοσιομεδίμνων accensebantur, et ex iis archontes legebantur ante Aristidis tempora [61]). Et quae Scholiastes Arist. Vesp. 1218. [62]) refert, conciliari cum historicorum testimoniis, qui Solonem istas factiones compescuisse narrant, nequeunt, nisi sumamus, aut falsa eum dixisse, aut censum a Solone institutum in animo habuisse. Pediei enim pro πεντακοσιομεδίμνοις poni potuerunt. Dum quatuor tantummodo tribus erant, partium discordia non exstincta est, Clisthenes decem tribus constituendo dissidia exstirpavit, et peregrinos, servos atque inquilinos (μετοίκους) recipiendo in tribus [63]) gentium diversitatem sustulit. Ita tribus [64]) sensim instituto civili quam rei a natura progenitae similiores apparuerunt.

Idem V. D. libellum nuper edidit, quo antiquitatis, inprimis Romanae, disciplinam ad artis et scientiae legem esse componendam meliusque tractandam docuit, brevemque novi antiquitatis Rom. systematis descriptionem addidit [65]). Scilicet Prolegomenis, quibus de fontibus et praesidiis antiqu. Rom., deque urbe Roma et Romanis omnino agendum sit, praemissis, duo constituit libros, quo-

---

61) v. Plut. Aristid. p. 479.

62) *κατὰ τοὺς Σόλωνος νόμους τρεῖς ἦσαν αἱ τάξεις, πάραλοι, πεδιεῖς, διάκριοι.*

63) Aristot. Polit. III, 2. Cfr. Schol. ap. Wessel. ad Herod. V, 66.

64) Non recte Müllerus in Hist. Helv. tribuum distinctionem e re militari ortam esse contendit, neque hoc locus Hom. Il. 2, 362. (tractatus a Salmas. Obss. ad Ius Att. et Rom. p. 126. ss. et Ignarra de phratr. p. 39. ss.) docet.

65) *Ueber wissenschaftliche Begründung und Behandlung der Antiquitäten, insbesondere der römischen. Eine Abhandlung, welche zugleich einen Leitfaden für antiquarische Vorlesungen enthält, von Eduard Platner*, Professor *in Marburg*. (Marburgi in novo bibliopolio Acad. 1812. X. 108. pp. 8.)

rum alter omnem externam populi et civitatis Rom. rationem, alter internam, complectitur. Uterque in plures divisus est titulos, partes et minores sectiones, quarum subtili descriptione impediri non potuit, quo minus vel seiungerentur interdum, quae natura sua arctissime sunt coniuncta, vel repeterentur nonnulla variis locis. Ad primum librum referuntur quaecunque ad omnem civitatis formam et modum quo existit et conservata est, et ad rationem quae inter eam et alios populos sive liberos sive subiectos et ipsos cives intercessit, spectant, quo etiam publica privataque iura et omnis omnino disciplina civilis et domestica pertinent, alter capita de religione et quae cum ea copulata erant, litteris et artibus earumque studiis continet. Illud inprimis laudandum est, quod (p. 25—34.) plures constitutae sunt periodi quibus, quae factae sint rerum mutationes, optime docetur, et ad quas in tractando quovis antiquitatis capite respiciendum est. Adiectae sunt nonnullae ex iure Romano depromtae observationes selectae.

Romanorum religionem cum omnibus civitatis institutis intimo nexu fuisse copulatam tum alii monuerunt, tum subtilius docere nuper instituit Cl. *Scheu*, Vitebergensis academiae doctor [66]). Is, postquam omnino ostendit, hominum familias antiquissimas aut vi et armis esse coactas aut eorumdem sacrorum vinculo sociatas [67]), et, quae condendarum civitatum primae fuerint causae, eas etiam in administrandis conservandisque rebus fuisse utilissimas, inprimis autem religione civium animos esse inbuendos: Romanae quoque civitatis et conditores et praesides tum in bellica civium virtute augenda tum in

---

66) *De religione Romanorum civili. Dissertatio historica, quam — pro loco inter Assessores ordinis philoss.* (*in acad.* Viteberg.) *ordinarios obtinendo ad disceptandum proposuit Vitus Theophilus Scheu*, Philos. D. Ord. philos. Ass. extraord. Acad. Bibliothecarius etc. Vitebergae, litteris Gaesleri, 22. pp. in 4.

67) [Addi potest communis defensionis mutuive auxilii necessitate effecta coitio.]

mina melius edit, iudice auctore Comm. Ad eamdem gentium et locorum diversitatem refertur quoque civium in quatuor classes distributio, quas pro rei familiaris modo Solon instituit.

Certe Εὐπατρίδαι classi πεντακοσιομεδίμνων accensebantur, et ex iis archontes legebantur ante Aristidis tempora [61]). Et quae Scholiastes Arist. Vesp. 1218. [62]) refert, conciliari cum historicorum testimoniis, qui Solonem istas factiones compescuisse narrant, nequeunt, nisi sumamus, aut falsa eum dixisse, aut censum a Solone institutum in animo habuisse. Pediei enim pro πεντακοσιομεδίμνοις poni potuerunt. Dum quatuor tantummodo tribus erant, partium discordia non exstincta est, Clisthenes decem tribus constituendo dissidia exstirpavit, et peregrinos, servos atque inquilinos (μετοίκους) recipiendo in tribus [63]) gentium diversitatem sustulit. Ita tribus [64]) sensim instituto civili quam rei a natura progenitae similiores apparuerunt.

Idem V. D. libellum nuper edidit, quo antiquitatis, inprimis Romanae, disciplinam ad artis et scientiae legem esse componendam meliusque tractandam docuit, brevemque novi antiquitatis Rom. systematis descriptionem addidit [65]). Scilicet Prolegomenis, quibus de fontibus et praesidiis antiqu. Rom., deque urbe Roma et Romanis omnino agendum sit, praemissis, duo constituit libros, quo-

---

61) v. Plut. Aristid. p. 479.

62) κατὰ τοὺς Σόλωνος νόμους τρεῖς ἦσαν αἱ τάξεις, πάραλοι, πεδιεῖς, διάκριοι.

63) Aristot. Polit. III, 2. Cfr. Schol. ap. Wessel. ad Herod. V, 66.

64) Non recte Müllerus in Hist. Helv. tribuum distinctionem e re militari ortam esse contendit, neque hoc locus Hom. Il. 2, 362. (tractatus a Salmas. Obss. ad Ius Att. et Rom. p. 126. ss. et Ignarra de phratr. p. 39. ss.) docet.

65) *Ueber wissenschaftliche Begründung und Behandlung der Antiquitäten, insbesondere der römischen. Eine Abhandlung, welche zugleich einen Leitfaden für antiquarische Vorlesungen enthält, von Eduard Platner,* Professor *in Marburg.* (Marburgi in novo bibliopolio Acad. 1812. X. 108. pp. 8.)

rum alter omnem externam populi et civitatis Rom. rationem, alter internam, complectitur. Uterque in plures divisus est titulos, partes et minores sectiones, quarum subtili descriptione impediri non potuit, quo minus vel seiungerentur interdum, quae natura sua arctissime sunt coniuncta, vel repeterentur nonnulla variis locis. Ad primum librum referuntur quaecunque ad omnem civitatis formam et modum quo existit et conservata est, et ad rationem quae inter eam et alios populos sive liberos sive subiectos et ipsos cives intercessit, spectant, quo etiam publica privataque iura et omnis omnino disciplina civilis et domestica pertinent, alter capita de religione et quae cum ea copulata erant, litteris et artibus earumque studiis continet. Illud inprimis laudandum est, quod (p. 25—34.) plures constitutae sunt periodi quibus, quae factae sint rerum mutationes, optime docetur, et ad quas in tractando quovis antiquitatis capite respiciendum est. Adiectae sunt nonnullae ex iure Romano depromtae observationes selectae.

Romanorum religionem cum omnibus civitatis institutis intimo nexu fuisse copulatam tum alii monuerunt, tum subtilius docere nuper instituit Cl. *Scheu*, Vitebergensis academiae doctor 66). Is, postquam omnino ostendit, hominum familias antiquissimas aut vi et armis esse coactas aut eorumdem sacrorum vinculo sociatas 67), et, quae condendarum civitatum primae fuerint causae, eas etiam in administrandis conservandisque rebus fuisse utilissimas, inprimis autem religione civium animos esse inbuendos: Romanae quoque civitatis et conditores et praesides tum in bellica civium virtute augenda tum in

---

66) *De religione Romanorum civili. Dissertatio historica, quam — pro loco inter Assessores ordinis philoss.* (*in acad.* Viteberg.) *ordinarios obtinendo ad disceptandum proposuit Vitus Theophilus Scheu*, Philos. D. Ord. philos. Ass. extraord. Acad. Bibliothecarius etc. Vitebergae, litteris Gaesleri, 22. pp. in 4.

67) [Addi potest communis defensionis mutuive auxilii necessitate effecta coitio.]

sacrorum publicorum cura instillanda animis prudenter versatos esse docuit. Neque tantum Romani, quos a maioribus acceperant, deos venerati sunt [68]), sed etiam peregrina sacra haud raro susceperunt, et aliarum civitatum deos evocare ac suos facere non dubitarunt (Macrob. Sat. 3, 9.). Hinc urbs et sacris locis et sacerdotum collegiis repleta est. Inprimis autem Romanorum pietas cernebatur, si quae publica calamitas civitatem afflixerat [69]). Quotiescunque senatus est habitus, primum de religione actum est, et ut bellis interdum religio obstitit (Liv. 4, 30.), ita quum indicerentur aut suscepta essent, sacra instituta sunt, urbes et exercitus hostiles devoti. Singularibus quoque libris de re sacra diligenter expositum est. Seriori etiam aetate religioni semper vetustatis saltem auctoritas mansit, cautumque est, ne sacra omitterentur, negligerentur, mutarentur [70]). Neque, forma reipublicae in imperium mutata, ab ista sacrarum rerum cura aberratum est, imo ab imperatoribus, etiam improbis, multa, quae ad deorum cultum pertinerent, decreta [71]), et vi ac suppliciis in eos animadversum est, si qui a vulgarium deorum cultu descivissent [72]).

Auctor deinceps persequitur consilia sacrorum publice inter gentes institutorum, et duplicem locum in civitatibus religioni adsignatum ostendit, ut aut summum

68) [Cfr. *Mückii*, antistitis sacrorum summi apud Schleusing. Commentatt. duae de antiquissima Romanorum religione, Guben. 1791. s. et in Ruperti atque Schlichthorst Novo Horreo Commentt. scholast. (Neues Magazin für Schullehrer I, 193. ss. 319. s..) *Csti. Aug. Schwarze* Bemerkungen über die ältesten Gegenstände der relig. Verehrung bey den Römern. Görl. 1803. s. II. Commentt. 8.]

69) Cfr. Varro ap. Nonium Marc. V. Castitas.

70) Itaque et Cicero et Varro, quamquam de diis popularibus aliter statuerunt ac vulgus, tamen deorum cultum sperni aut negligi noluerunt. v. Cic. in Verr. I, 17. ss. et Varro ap. Popmam in Biblioth. Varroniana p. 502.

71) v. Suet. Claud. 22. Vesp. 8. s. Vopisc. Aurel. 18. ss.

72) v. C. Gu. Fr. Walchii Comm. de persequutionum Christianorum Romanarum causis non solum politicis, sed etiam religiosis, in Nov. Comment. Soc. reg. Gött. T. II.

ea obtineret et ad eius normam leges et instituta omnia componerentur [73]), aut ipsa civitati serviret exprimeretque politicam constitutionis formam [74]). Tum constituit idem quaerere, quaenam fuerit religio Romanorum civilis? propter quas causas sacra civilia a Romanis instituta? denique, qua ratione effectum fuerit, ut religio non solum non obesset reipublicae Rom., sed consilia publica etiam adiuvaret plurimum? Constat apud Romanos primum fuisse sacra et privata, singulis gentibus familiisve propria, et a cura civitatis aliena [75]), et publica s. communia, unde, qui ab omnibus colebantur, *civiles* etiam *dii* dicti sunt (Non. Marc. V. Communitus). Hinc *civilis religio* exstitit, quae neque ex philosophico fuit genere, neque nova placita, novas cerimonias, continuit, sed popularem atque vulgarem superstitionem expressit. Cf. Scaevola ap. Augustin. de Civ. dei IV, 27. et Varro ap. eumdem VI, 5. [76]). Causarum ob quas divina res instituta et curata fuerit, quum duplex reperiatur genus, alterum ab humanitate et pietate in deos derivatum, alterum ad rationes civitatis spectans; prius apud Romanos locum habere non potuisse propter ipsam religionis popularis inter Romm. indolem, et, quia nusquam apud eos de morali religionis usu dictum est, demonstratur, alterum ita valuisse, ut hoc nomine nulla nec graeca nec barbara civitas cum Romm. potuerit comparari. Scilicet religio iis tantopere commendata est 1. quod ad imperium augendum, in quo primarium civitatis Rom. consilium versabatur, mirifice faceret [77]); 2.

---

73) Ita apud Aegyptios (Herod. 2, 163. ss. Diod. S. 1, 70. ss.) in Mosaica theocratia [haud dubie etiam apud Indos], apud Mohamedanos et in Lamaica civitate institutum fuit. Tum imperium apud sacerdotes, leges omnes sacrae, ius omne divinum, nullum humanum erat.

74) Cuius generis fuerunt pleraeque Occidentalium religiones.

75) [Nisi quod publice provisum est, ne cum familiis sacra earum interirent]

76 Triplex sacrorum distinctio iam Graecis philosophis fuit cognita. v. Plut. Amator. 18. de plac. phil. I, 6.

77) Cf. Liv. 1, 45. Dion. Hal. 4. p. 250. Sylb. Hinc etiam

quod in multitudine rudi et imperita flectenda, in civium animis nimium elatis deprimendis, variis libertatis studiis regendis, periculisque evitandis efficacissima esset. Persuasum etiam auctori est, nisi tanta fuisset religionis apud Romm. vis et auctoritas, rem Romanam haud dubie dudum ante Gracchorum tempora ad caedem et civilia bella perventuram fuisse. De togata autem Romm. in sacris publicis administrandis prudentia et de ipsa Rom. religionis indole civili alio libello exponere constituit. Sed dum haec typis describuntur, nuncius adfertur de immatura auctoris, desideratissimi viri, morte, m. Febr. extr.

---

peregrina sacra susceperunt, ut exterae gentes, consociatis sacris, arma quoque et civilia sacra lubentissime iungerent. v. Minucius Felix Octav. [c. 6. p. 57. s. ed. Gron.]

VII.

De recens editis promissisve libris philologicis, institutis et philologorum vitis breviter narratur.

Regiomontanae Sylloges commentationum tum aliarum tum philologicarum, cuius primum fasciculum p. 233. s. indicavimus, duo alii prodierunt nuper [78]). Insunt iis *inprimis narrationes de Rich. Porsoni vita atque morte* (fasc. II. p. 213—236. et fasc. III. p. 364—370.), ab Erfurdtio (eheu et ipso nobis erepto) ductae ex Clarkii libro de morbo et obitu Porsoni [79]), atque commentariis litterariis Angl., quorum tum fuit Regiomonti ex Anglia petendorum facultas, apud nos nulla est. Dum die XIX. Sept. a. MDCCCVIII. domo exierat, amicum visurus, in ipsa platea apoplexia est subito correptus, ita ut sensuum et linguae usu privaretur, quem etsi non ita multo post recuperavit, ita tamen vires eius fractae sunt, ut, quum non dubitasset iterum domo exire, mox reportandus esset atque nocte, quae diem XXVI. Sept. antecessit, vita decederet, XLIX. annum agens. Reliquit animadversiones criticas in vett. auctores [80]), et tum no-

---

78) *Königsberger Archiv für Philosophie, Theologie, Sprachkunde und Geschichte von F. Delbrück, C. G. A. Erfurdt, J. F. Herbart, K. D. Hüllmann, J. F. Krause und J. S. Vater. Jahrgang* 1791. *zweytes Stück.* Königsb. b. Nicolovius 1811. *Jahrgang* 1812. *Drittes Stück.*

79) Adam Clarke's Narrative of the last illness and death of Professor Porson, with a Fac Simile of an ancient Greek Inscription which was the chief subject of his last literary conversation, in The Classical Journal, Lond. 1810. N. IV. p. 720. ss.

80) Nova editio praefationis ad Hecubam ex correctione Por-

quod in multitudine rudi et imperita flectenda, in civium animis nimium elatis deprimendis, variis libertatis studiis regendis, periculisque evitandis efficacissima esset. Persuasum etiam auctori est, nisi tanta fuisset religionis apud Romm. vis et auctoritas, rem Romanam haud dubie dudum ante Gracchorum tempora ad caedem et civilia bella perventuram fuisse. De togata autem Romm. in sacris publicis administrandis prudentia et de ipsa Rom. religionis indole civili alio libello exponere constituit. Sed dum haec typis describuntur, nuncius adfertur de immatura auctoris, desideratissimi viri, morte, m. Febr. extr.

---

peregrina sacra susceperunt, ut exterae gentes, consociatis sacris, arma quoque et civilia sacra lubentissime iungerent. v. Minucius Felix Octav. [c. 6. p. 57. s. ed. Gron.]

VII.

De recens editis promissisve libris philologicis, institutis et philologorum vitis breviter narratur.

Regiomontanae Sylloges commentationum tum aliarum tum philologicarum, cuius primum fasciculum p. 235. s. indicavimus, duo alii prodierunt nuper [78]). Insunt iis *inprimis narrationes de Rich. Porsoni vita atque morte* (fasc. II. p. 213—236. et fasc. III. p. 364—370.), ab Erfurdtio (eheu et ipso nobis erepto) ductae ex Clarkii libro de morbo et obitu Porsoni [79]), atque commentariis litterariis Angl., quorum tum fuit Regiomonti ex Anglia petendorum facultas, apud nos nulla est. Dum die XIX. Sept. a. MDCCCVIII. domo exierat, amicum visurus, in ipsa platea apoplexia est subito correptus, ita ut sensuum et linguae usu privaretur, quem etsi non ita multo post recuperavit, ita tamen vires eius fractae sunt, ut, quum non dubitasset iterum domo exire, mox reportandus esset atque nocte, quae diem XXVI. Sept. antecessit, vita decederet, XLIX. annum agens. Reliquit animadversiones criticas in vett. auctores [80]), et tum no-

78) *Königsberger Archiv für Philosophie, Theologie, Sprachkunde und Geschichte von F. Delbrück, C. G. A. Erfurdt, J. F. Herbart, K. D. Hüllmann, J. F. Krause und J. S. Vater. Jahrgang* 1791. *zweytes Stück.* Königsb. b. Nicolovius 1811. *Jahrgang* 1812. *Drittes Stück.*

79) Adam Clarke's Narrative of the last illness and death of Professor Porson, with a Fac Simile of an ancient Greek Inscription which was the chief subject of his last literary conversation, in The Classical Journal, Lond. 1810. N. IV. p. 720. ss.

80) Nova editio praefationis ad Hecubam ex correctione Por-

quod in multitudine rudi et imperita flectenda, in civium animis nimium elatis deprimendis, variis libertatis studiis regendis, periculisque evitandis efficacissima esset. Persuasum etiam auctori est, nisi tanta fuisset religionis apud Romm. vis et auctoritas, rem Romanam haud dubie dudum ante Gracchorum tempora ad caedem et civilia bella perventuram fuisse. De togata autem Romm. in sacris publicis administrandis prudentia et de ipsa Rom. religionis indole civili alio libello exponere constituit. Sed dum haec typis describuntur, nuncius adfertur de immatura auctoris, desideratissimi viri, morte, m. Febr. extr.

---

peregrina sacra susceperunt, ut exterae gentes, consociatis sacris, arma quoque et civilia sacra lubentissime iungerent. v. Minucius Felix Octav. [c. 6. p. 57. s. ed. Gron.]

VII.

De recens editis promissisve libris philologicis, institutis et philologorum vitis breviter narratur.

Regiomontanae Sylloges commentationum tum aliarum tum philologicarum, cuius primum fasciculum p. 233. s. indicavimus, duo alii prodierunt nuper [78]). Insunt iis *inprimis narrationes de Rich. Porsoni vita atque morte* (fasc. II. p. 213—236. et fasc. III. p. 364—370.), ab Erfurdtio (eheu et ipso nobis erepto) ductae ex Clarkii libro de morbo et obitu Porsoni [79]), atque commentariis litterariis Angl., quorum tum fuit Regiomonti ex Anglia petendorum facultas, apud nos nulla est. Dum die XIX. Sept. a. MDCCCVIII. domo exierat, amicum visurus, in ipsa platea apoplexia est subito correptus, ita ut sensuum et linguae usu privaretur, quem etsi non ita multo post recuperavit, ita tamen vires eius fractae sunt, ut, quum non dubitasset iterum domo exire, mox reportandus esset atque nocte, quae diem XXVI. Sept. antecessit, vita decederet, XLIX. annum agens. Reliquit animadversiones criticas in vett. auctores [80]), et tum no-

78) *Königsberger Archiv für Philosophie, Theologie, Sprachkunde und Geschichte von F. Delbrück, C. G. A. Erfurdt, J. F. Herbart, K. D. Hüllmann, J. F. Krause und J. S. Vater. Jahrgang* 1791. *zweytes Stück.* Königsb. b. Nicolovius 1811. *Jahrgang* 1812. *Drittes Stück.*

79) Adam Clarke's Narrative of the last illness and death of Professor Porson, with a Fac Simile of an ancient Greek Inscription which was the chief subject of his last literary conversation, in The Classical Journal, Lond. 1810. N. IV. p. 720. ss.

80) Nova editio praefationis ad Hecubam ex correctione Por-

vam editionem Arithmeticorum Diophanti paravit, tum de nobilissimo loco 1 Ioh. 5, 7. scribere constituit [81]). Parrius quidem in epist. quadam scripsit [82]): „In scriniis eius scripta reperta sunt perpauca; ne unum quidem opus ad umbilicum videtur esse ductum. Res denique huc rediit, ut Porsoni nec praestantis ingenii nec litterarum, quae in eo non vulgares sed interiores et reconditae erant, ulla in κειμηλίοις eius restent vestigia, notulis et coniecturis quibusdam exceptis, quas librorum nonnullorum marginibus αὐτοσχεδιασὶ et παρέργως allevcrat." Auctor tamen censurae libri, cui haec epistola adiecta fuit [83]) ait, egregias repertas esse observationes et dignas quae ederentur. Constat, Porsonum edere etiam Photii Lexicon voluisse, qui labor num profligatus sit, ignoratur. Nonnullae editiones a Porsono curatae minus notae fuerunt. Sic partes eius quaedam fuerunt in repetitione editionis Heyn. Virgilii (Lond. 1793. IV. voll. 8., s. 8. voll. cum fig. cf. *Dibdin* on the Classics II. p. 341.), quae tamen multis vitiis operarum maculata est. Porsoni exemplum in quo 76. emendationes repertae sunt, Lunnius librarius emit. Porsoni animadversiones adiectae editioni Hutchinson. Anabaseos Xenoph. 1785. Cantabr. iam a Schneidero consultae sunt.

---

soni iam prodiit, et nova quatuor tragoediarum Eurip. ab eo emendata prodibit, tum novae editioni Taciti Broteriani (5 voll.) adiicientur Porsoni animadversiones.

81) Contra eius authentiam iam scripserat: Letters to Archdeacon Travis in answer to his defence of the three heavenly witnesses 1. Ioh. 5, 7. Lond. 1790. [quae tamen non ita nostratibus ignotae sunt ut existimavit Erf.]

82) Fascic. III. p. 364. s.

83) *Burney* Tentamen de metris ab Aeschylo in choricis canticis adhibitis, Cantabr. 1809. recens. in the Edinburgh Review, Mag. 1811. Censor libri observat, rhythmum canticorum chor. accommodatum fuisse pedum motibus in saltando, inde nomina quaedam pedum a saltatione derivata esse. Qui nova saltationum genera invenerat, eum etiam nova metra excogitare oportebat. Aeschylus πολλὰ σχήματα ὀρχηστικὰ reperisse dicitur (v. Athen. p. 21. E.), itaque a consueto metro saepius recessit. Post eum scenicae saltationi minor fuit σχηματισμὸς, praeter comoediam. cf. Arist. Pac. 520. ss.

Sed eiusdem Porsoni Addenda et Corrigenda in Xenoph. Anab. cura Whiter, Cantab. 1786. 8. prodierunt. Porsono auspice etiam Aeschyli editio graecolatina Glasguensis, II. voll. 8. min. 1793. et iterum 1806. (quae multum praestat editioni splendidae a. 1795. fol. [84]) exiit.

Quod ad lapidem Eleusinium attinet[85]), is a Wheelero Eleusine repertus a. 1676. atque titulus eius a Sponio (Voyage d'Italie, de Dalmatie etc. par Spon et Wheeler, Lyon, 1678. III. p. 102.), et Meursio (de pagis Atticis) iam est editus. Videtur autem lapis a Wheelero in Angliam delatus esse atque venditus cum aliis Kempio, cuius collectio monumentorum antiquorum a. 1720. divendita est. Quae postea eius fuerint fata, incertum est. A. 1807. in lithostroto culinae cuiusdam Londin. iterum detectus est, et Clarkius eum emit. Litterarum *ω* et *ο* praecipue insignis est forma. Non autem tantum de hoc lapide, sed etiam de lithostroto Praenestino nobilissimo (quod tum a Montfauc. et Shawio tum in nova editione *Harmari* Observations on select passages of scripture exhibitum est) cum b. Porsono egit, et quum de littera *η*, olim adspiratione dicta nonnulla dicta fuerint, Clarkius Iamesii, docti Grammatici, observationem longam et eruditam de litteris quibusdam (gutturalibus) olim adspirationi inservientibus, et de digammo non Aeolibus proprio sed omnibus graecis dialectis communi attulit, p. 218—221. repetitam. Caeterum et duo graeca Porsoni iambica carmina (p. 234.

---

84) v. Appendix to the Monthly Rev. Vol. LII., Jan. — Apr. 1807. p. 517. Ibi etiam collatio utriusque edit. in Choëphoris instituta et varietas enotata est, quam repeti Ert. p. 368 ss. iussit, una adiecta sua animadversione. Praeterea narratur, Choephh. editionem quae ap. Foulis. 1777. prodiisse dicitur, quum prorsus cum edit. Pors. 1794. aut 1806. conspiret, annum mentiri.

85) Exemplum eins repetitum est in calce Sylloges. Inscribitur *Τιβεριος Κλαυδιος Θεοφιλος Τιβεριου Κλαυδιου Θεμιςοκλεους Βησαιεως*. Simillimus titulus Athenis repertus est a Chandlero. V. Chandleri Inscr. antt. p. 57, 37. Ex utroque titulo intelligitur fuisse pagum Atticae *Βησα* scriptum et distinctum a pago Locridis *Bissa*.

ss.) et hae coniecturae 86) proditae sunt: Nossidis Epigr. in Stephani Anthol. p. 208. Brunck. Anal. I. p. 196. ita emendavit:

Ω ξεῖν' εἰ τύ γε πλεῖς ποτὶ καλλίχορον Μιτυλάναν,
Τᾶν Σαπφοῖ Χαρίτων ἄνθος ἐνοψόμενος,
Εἰπεῖν, ὡς Μούσαισι φιλάθην, ἅ τε Λοκρὶς γᾶ
Τίκτεν, ἴσαις θ' ὅτι μοι τοὔνομα Νοσσίς. ἴθι.

Tum Porson. fragmentum Epicharmi Athen. III. p. 86. ita emendasse dicitur (Edinburgh Review Febr. 1811. p. 390.): *καὶ τελλίναν κἀναρίταν καὶ δὴ θᾶσαι λεπὰς ὅσσα*, quod tamen ibid. m. Maio p. 169. ita corrigitur: *θᾶσαι δὴ καὶ λεπὰς ὅσσα.*

Ex *Bentleii epistolis nuper* editis 87) nonnulla idem Erfurdtius fasc. III. p. 348—363. attulit. Prima enim pars libri infra laudati, eaque gravissima, continet 10. Bentleii epp. ad Graevium, 31. ab hoc ad illum scriptas (una cum epist. dedicat. A. P. P. Rubenii diss. de vita Flavii Mulli Theodori), unam Iac. Cappelii ad Graevium et duas a Petro Burmanno ad Bentleium scriptas. Epistolae Bentleii et Graevii quae ad Manilii Astronomicon, Mallium Theodorum, Phalarideam controversiam spectant, inde repetitae sunt. Earum epp. quae secunda

---

86) Plures Porsoni coniecturae memorantur in hoc libro: *Haphaestionis Alexandrini Enchiridion de metris, ad fidem Mss. fidem recensitum cum notis variorum, praecipue Leonardi Hotchkis,* A. M., curante *Tho. Gainsford,* A. M. aedis Christi alumno. *Accedit Procli Chrestomathia graeca.* Oxonii e typogr. Clarend. 1810. 8. Ex censura eius libri, quae legitur in: The Edinburgh Review 1811. coniecturas supra allatas depromsit Erf.

87) *Richardi Bentleii et doctorum virorum epistolae partim mutuae. Accedit Rich. Dawesii ad Ioann. Taylorum epistola singularis.* Londini typis Bulmerianis 1807. 4. Exempla libri ab editore (*Car. Burney*) aliquot viris doctis dono missa, non a librariis vendita sunt. Notas cum indicibus brevi se additurum esse ostendit editor, quae num fuerint editae, Erf. ignoravit, cui liber innotuerat tantum ex menstruis commentariis (Monthly Review Apr. 1808. Tres sunt eius partes: 1. Bentleii et Graevii epp. mutuae. 2. Miscellaneous Letters. 3. Appendix.

parte continentur, argumenta breviter indicantur [88]), et nonnulla ad tuendam Bentleii laudem et virtutem adversus multorum criminationes adferuntur. Appendix continet *Dawesii* epistolam ad Taylorum, qua huius sententiam de diphthongo *ει* olim a Graecis per litteram *ε* expressa impugnat, et de Miscellaneorum suorum Criticorum consilio agit. — P. 424—472. leguntur: *Observationes criticae, maxime in Athenaei Deipnosophistas, auctore C. G. A. Erfurdt*, quas supra p. 375. narratum est superioris anni mense Martio separatim, dissertationum academm. forma et nomine, prodiisse. Versantur autem potissimum in poëtarum fragmentis ab Athenaeo servatis, ad metra sua revocandis [89]), examinandisque coniecturis, quas ill. Iacobsius [90]) protulerat, ita tamen ut interdum exspatientur ac diverticula captent. Ita docetur p. 426. s., transpositionis remedio, etsi facillimo, non sine magna circumspectione utendum esse, p. 428. s. corrigenda esse loca, in quibus anapaesto subiicitur dactylus [91]), et (p. 430.) tribracho anapaestus [92]); p. 436. in systematicis anapaestis nunquam violari caesuram, nisi sic, ut vocabulum, in quo illa esse debebat, ultimam syllabam eamque brevem in proximum pedem transmittat [93]); p. 442. in senariis iambicis *α* po-

---

88) Inde cognoscitur, nobilissimam inscriptionem Sigeam nunc esse in Elgini ditissima collectione vett. monumentorum.

89) Schweighaeuserum enim, Athenaei editorem, quoniam ne frequentissimorum quidem numerorum naturam, nedum rariorum et reconditiorum, percalluerat, non tantum pristinas sordes in multis poëtarum fragmentis reliquisse, sed novas etiam adspersisse monetur.

90) *Fr. Iacobs* Additamenta animadversionum in Athenaei Deipnosoph. Ien. 1809. 8.

91) In locis huius generis ap. Aristoph. emendandis adsentitur Hermanno in lib. de metris p. 152., duobus exceptis Lysistr. 20. et Acharn. 615. quos aliter E. emendat.

92) Etiam ex hoc genere multi Aristoph. versus corriguntur p. 431—34. Passim etiam in his Obss. loca et fragmenta Aristoph. alia emendantur.

93) Tractatur per hanc opportunitatem longum Sophoclis

stremae voc. syllabae sequente muta cum liquida produci non posse; p. 443. de metro Eupolideo polyschematisto, saepe neglecto, monetur; p. 462 s. litteras Α et Λ saepius inter se permutatas esse, exemplis aliquot confirmatur. Coniecturae, quibus tum fragmenta, Comicorum imprimis et Tragicorum, apud Athenaeum, tum alia apud Stobaeum, tentantur, facilitate sua et simplicitate commendantur, additae autem sunt in hac dissertationum repetitione plures, quas cum b. auctore, Hermannus noster communicaverat, emendationes. In Chaeremonis fragm. (p. 608.) Ὡρῶν σώματα male leguntur, quod Iacobs. in σήματα aut σχήματα, in hoc consentiente Erfurdtio, mutari iussit, affertur multo probabilior Ferd. Steinackeri, eruditi iuvenis, coniectura: Ὡρῶν ζῶματ'.

Actorum quoque *Monacensium* (p. 238. memoratorum) duos habemus novos fasciculos[94]). Insunt commentatt. hae: *Observationes criticae in Anthologiam graecam auctore Frider. Iacobs. Pars prior*, fasc. 2. p. 121—172. *Pars posterior*, fasc. 3. p. 279—303. et *Additamenta* ad has Observatt. p. 405—407. Quum cel. auctor anthologiam graecam, per octo fere annos sepositam, relegeret, ut ultimum animadversionum volumen componeret, incidit in plurima loca, quae vel sensu commodo destituerentur, vel grammatica aut metrica praecepta violarent, vel ob alias causas minus recte essent constituta. Dum igitur prodeat editio, qualem dudum meditatur *Chardon de la Rochette*, ad fidem Palatini codicis descripta et a temerariis Salmasii atque Brunkii coniecturis purgata, recte censet in locis vitiosis emaculandis versandum esse; in quibus quidem eorum praesertim rationem habuit, quae ad metricam rationem spectant. Et in pluribus quidem Anthologiae locis haud

---

fragmentum (ap. Strab. VI. p. 271.) in Brunkiana collectione praetermissum.

94) *Acta Philologorum Monacensium auctoritate regia edidit Fridericus Thiersch. Tomi* I. *Fasc.* II. Monachii in libr. scholarum regia, Norimbergae ap. Stein. in comm. MDCCCXII. p. 121—276. 8. *Fasc.* III. ib. eod. pp. 277—431.

mediocre adiumentum esse statuit rhythmum versus bucolici, quem inprimis poëtae epigrammatarii sequuti sunt; cuius quidem rhythmi nec Planudem, nec Salmasium atque Brunkium habuisse rationem ostenditur pluribus locis, quorum opportunitate nonnulla etiam alia in notis emendantur. Tum (p. 137. ss.) aliud in anthol. edd. neglectum esse animadvertitur, productionem brevium syllabarum in caesura, a qua epigrammatographi diligenter abstinuerunt. Loca enim, in quibus ea productio occurrit, aut ex codd., aut e certa coniectura emendari possunt, ita ut pauci relinquantur, recentiorum plerumque et pessimorum poëtarum versus, qui emendationem respuant. Rariores etiam formas in Anth. pravis correctionibus oblitteratas esse monetur (p. 145.), iisque etiam accensendas esse terminationes feminini generis in adiectivis compositis. Tum hiatus in Anthologia obvios tractat auctor p. 165. ss. Sed p. 283. ss. ad locos singulos progreditur, quos, in cod. depravatos, certiore quam adhuc factum est ratione emendare conatur, et alios non librariorum sed editorum erroribus corruptos, et in Additt. suas nonnullas emendationes corrigit. P. 175 — 224. *Frid. Thierschii diss de verborum modis, quibus apud Homerum tempora et causae rerum indicantur. Pars secunda*, *cum epimetro* (in quo illa quaestio etiam ad alios poëtas profertur et ratio declaratur, quae, si modos in *sententiis temporalibus* spectemus, inter Homerum et eos poëtas intercedit, qui ad eius dicendi rationem proxime accedunt, eorumque etiam loci nonnulli corriguntur. P. 225 — 275. *Observationes Criticae et grammaticae in Herodoti Historiarum libros, auctore Franc. Xav. Werfer, Pars posterior*, inde a L. V. c. 69. usque ad finem; in quibus potissimum de Coniunctivo deliberativo ap. Herod. saepe loco Optativi aut Futuri restituendo agitur, p. 230. ss., de locis ap. Herod. ubi *εἰ* male cum Coniunct. occurrit, p. 233., de part. *ἂν* saepius restituenda (post *γὰρ* etc.) p. 246 — 257., priori autem parti quaedam additamenta subiecta sunt, caeterum varia Isocratis loca emendantur aut tentantur. — Fasc. III. p. 307 — 337. *Frid. Thierschii* Comm. *de copiis Victorianis in Homerum, Hesiodum, Pindarum et Tragicos.* Homeri editioni Paris. 1554. et *Hesiodi* Florentinae 1515. pauca Victorius adscripsit,

stremae voc. syllabae sequente muta cum liquida produci non posse; p. 443. de metro Eupolideo polyschematisto, saepe neglecto, monetur; p. 462 s. litteras Α et Λ saepius inter se permutatas esse, exemplis aliquot confirmatur. Coniecturae, quibus tum fragmenta, Comicorum imprimis et Tragicorum, apud Athenaeum, tum alia apud Stobaeum, tentantur, facilitate sua et simplicitate commendantur, additae autem sunt in hac dissertationum repetitione plures, quas cum b. auctore, Hermannus noster communicaverat, emendationes. In Chaeremonis fragm. (p. 608.) Ὡρῶν σώματα male leguntur, quod Iacobs. in σήματα aut σχήματα, in hoc consentiente Erfurdtio, mutari iussit, affertur multo probabilior Ferd. Steinackeri, eruditi iuvenis, coniectura: Ὡρῶν ζώματ'.

Actorum quoque *Monacensium* (p. 238. memoratorum) duos habemus novos fasciculos[94]). Insunt commentatt. hae: *Observationes criticae in Anthologiam graecam auctore Frider. Iacobs. Pars prior*, fasc. 2. p. 121—172. *Pars posterior*, fasc. 3. p. 279—303. et *Additamenta* ad has Observatt. p. 405—407. Quum cel. auctor anthologiam graecam, per octo fere annos sepositam, relegeret, ut ultimum animadversionum volumen componeret, incidit in plurima loca, quae vel sensu commodo destituerentur, vel grammatica aut metrica praecepta violarent, vel ob alias causas minus recte essent constituta. Dum igitur prodeat editio, qualem dudum meditatur *Chardon de la Rochette*, ad fidem Palatini codicis descripta et a temerariis Salmasii atque Brunkii coniecturis purgata, recte censet in locis vitiosis emaculandis versandum esse; in quibus quidem eorum praesertim rationem habuit, quae ad metricam rationem spectant. Et in pluribus quidem Anthologiae locis haud

---

fragmentum (ap. Strab. VI. p. 271.) in Brunkiana collectione praetermissum.

94) *Acta Philologorum Monacensium auctoritate regia edidit Fridericus Thiersch. Tomi* I. *Fasc.* II. Monachii in libr. scholarum regia, Norimbergae ap. Stein. in comm. MDCCCXII. p. 121—276. 8. *Fasc.* III. ib. eod. pp. 277—431.

mediocre adiumentum esse statuit rhythmum versus bucolici, quem inprimis poëtae epigrammatarii sequuti sunt; cuius quidem rhythmi nec Planudem, nec Salmasium atque Brunkium habuisse rationem ostenditur pluribus locis, quorum opportunitate nonnulla etiam alia in notis emendantur. Tum (p. 137. ss.) aliud in anthol. edd. neglectum esse animadvertitur, productionem brevium syllabarum in caesura, a qua epigrammatographi diligenter abstinuerunt. Loca enim, in quibus ea productio occurrit, aut ex codd., aut e certa coniectura emendari possunt., ita ut pauci relinquantur, recentiorum plerumque et pessimorum poëtarum versus, qui emendationem respuant. Rariores etiam formas in Anth. pravis correctionibus oblitteratas esse monetur (p. 145.), iisque etiam accensendas esse terminationes feminini generis in adiectivis compositis. Tum hiatus in Anthologia obvios tractat auctor p. 165. ss. Sed p. 283. ss. ad locos singulos progreditur, quos, in cod. depravatos, certiore quam adhuc factum est ratione emendare conatur, et alios non librariorum sed editorum erroribus corruptos, et in Additt. suas nonnullas emendationes corrigit. P. 175 - 224. *Frid. Thierschii diss de verborum modis, quibus apud Homerum tempora et causae rerum indicantur. Pars secunda. cum epimetro* (in quo illa quaestio etiam ad alios poëtas profertur et ratio declaratur, quae, si modos in *sententiis temporalibus* spectemus, inter Homerum et eos poëtas intercedit, qui ad eius dicendi rationem proxime accedunt, eorumque etiam loci nonnulli corriguntur. P. 225 — 275. *Observationes Criticae et grammaticae in Herodoti Historiarum libros, auctore Franc. Xav. Werfer, Pars posterior*, inde a L. V. c. 69. usque ad finem; in quibus potissimum de Coniunctivo deliberativo ap. Herod. saepe loco Optativi aut Futuri restituendo agitur, p. 230. ss., de locis ap. Herod. ubi *εἰ* male cum Coniunct. occurrit, p. 233., de part. *ἂν* saepius restituenda (post *γὰρ* etc.) p. 246 — 257., priori autem parti quaedam additamenta subiecta sunt, caeterum varia Isocratis loca emendantur aut tentantur. — Fasc. III. p. 307 — 337. *Frid. Thierschii* Comm. *de copiis Victorianis in Homerum, Hesiodum, Pindarum et Tragicos.* Homeri editioni Paris. 1554. et *Hesiodi* Florentinae 1515. pauca Victorius adscripsit,

quorum potissima afferuntur, addita epicrisi; Hesiodea tantum ad Opera et Dies spectant. In Pindaro adornando usus est editione Rom. Calliergi a. MDXV. Primum folium habet apographum odae *Sapphus* in Venerem, descriptione metrorum et lectionibus ab editis diversum. Librum ms. quo usus est, nominat vetustum codicem Petri Candidi; glossas et scholia diversis temporibus adscripsit. Quatuor longiora scholia, ad finem Isthm. addita, iam proposita sunt in Berol. Museo Antiq. (Museum der Alterthumswiss. T. I. St. 3. p. 574.) Fragmentum Pindari e copiis Victor. et cum Hermanni emendd. e cod. Paris. exhibetur p. 316. In *Aeschylo* locupletando usus est Robortelli edit. Veneta 1552. et pluribus codd. mss. Victorius Venetae edit. exemplar haud dubie misit ad Henr. Stephanum, qui Aeschylum a. 1557. edidit, plura tamen Victoriana habet, quam in Monacensi exemplo leguntur [95]. *Sophoclis* tribus editionibus adscripsit Victorius varias codd. lectiones, notas, scholia, glossas, ex quibus p. 322. ss. praeclarum Scholion affertur, quod Phrynichi encomium in Sophoclem continet, occasionem dat locum Pherecratis (ἐν Πετάλῃ) emendandi, confirmat quae de genere Sophoclis minoris produntur, litem de anno, quo Sophocles maior obierat, componit, indicatque, non Sophoclem principem tragicorum, sed eius ex filio nepotem, Oedipum Coloneum docuisse, quarto post avi mortem anno. Unde Thiersch. coniicit, hanc fabulam a Sophocle Sophili f. inchoatam, sed a nepote, Aristonis f., absolutam esse, id quod ipsa fabulae indole confirmare studet. — Euripidis editioni Aldinae multas et praeclaras e pluribus codd. adscripsit V. lectiones. Nec glossae et scholia desunt. Duo inprimis loci (Iph. Aul. 75. ss. et Troadd. 315. ss.) ope copiarum Vict. emendantur [96]. — P. 341 — 404. *Copiae Victorianae in Aristophanem, quas exscripsit Aloysius Nickelius.* Codices, quarum varietatem editioni Ald. adscripsit, quatuor fuisse videntur, ad

---

95) Lectiones Vict. in Aeschylum Hermanno misit Thiersch.

96) Has Euripideas lectiones Vict. in usum Matthiae excerpsit Iacobsius.

Avv. se codicem bibl. S. Marci adhibuisse, diserte dixit. Glossae quoque et Scholia nova sunt prodita. P. 407 — 418. *Additamenta ad Victorianas copias in Aristophanem* leguntur, in quibus etiam sunt nonnullae *Werferi* notae. P. 419 — 431. XIX. carmina graeca a Fr. Iacobsio et Frid. Thierschio composita exhibentur.

Is, qui paullo ante laudatus est, doctiss. *Chardon de la Rochette* collectas commentationes librorumque philoll. censuras, quas Millini Horreo inseri iusserat, additis novis nuper comm., edidit [97], patrio sermone. Volumine I. continentur haec: *Excerpta ex eroticis Graecorum scrippt.* (Extraits des Romans Grecs), *Antonio Diogene et Iamblicho, proposita in Photii Bibliotheca, ex graeco versa et notis illustrata,* in quibus nonnullae exquisitae sunt. Additum est p. 87. ss. Fragmentum (Adriani Tyrii) ex libro rarissimo: Allatii Excerpta varia graecorum sophistarum ac rhetorum p. 250. P. 92 — 129. *Animadversiones in quaedam Suidae loca,* hac nova editione prorsus emendatae. Spectant eae ad varia Anthologiae gr. epigrammata, quorum nonnulla ap. Suid. sed corrupte leguntur, et interdum Iacobsii lectiones corriguntur. P. 121 — 143. *Explicatio inscriptionis graecae metricae Aquis Sextiis in museo Faurisii de S. Vincentio asservatae,* olim iam a *Sponio,* sed miserrime, proditae (Miscell. erud. antiq. p. 374.) nuper etiam a *Müntero* V. S. V. illustratae [98]. P. 144 — 173. Notitia (rarae) *editio-*

97) *Mélanges de Critique et de Philologie par S. Chardon de la Rochette. Tome premier.* à Paris, chez d Hautel, 1812. VIII, 427. pp. 8. *Tome second,* 462. pp. *Tome troisième,* 420. pp. Exspectamus quartum volumen, Pauli Silentiarii carmen de thermis Pythiis cum comm. et quintum, Nicetae Eugeniani ineditum librum eroticum habiturum.

98) *Erklärung einer griechischen Inschrift, welche auf die Samothracischen Mysterien Beziehung hat. Von D. Friedr. Münter,* Bischof von Seeland etc. (h. e. *Münteri Explicatio tituli graeci qui ad Samothracica mysteria refertur*). Havniae, 1810. 47. pp. 8. Ibi ea sic legitur:

nis Anacreontis a 1639 *ab Armando Ioanne Buthillierio*, postea *abbate de Rancé* dicto (ordinis monachorum Trappensium conditore) *curatae* (*Ἀνακρέοντος Τηΐου τὰ μέλη, μετὰ σχολίων Ἀρμάνδου Ἰωάννου Βουθιλλιηρίου ἀρχιμανδρίτου.* Parisiis ex typogr. Iac. Dugast, via S. Ioannis Bellovac., ad olivam R. Stephani, 1639. 8. 145. pp.). In *Additamento* (p. 174—182.) describitur Maittairii secunda editio Anacr. (*Anacreontis editio altera*, cum novis versionibus, scholiis et notis. Londini excud. Guil. Bowyer MDCCXL. in 4. 118. pp.) et aliud exemplar editionis Buthillier, cuius dedicatio differt ab eo, quod antea descriptum est, exemplo. — In notis autem p. 183—195. de vita Armandi Iohannis le Bouthillier de Rancé breviter exponitur, augeturque historia litteraria edd. et versionum Anacreontis. P. 196—222. *Dissertatio de duobus epigramm graecis Philodemi* (utroque e cod. Palat., alterum etiam emendatius edidit Car. Rosinius in Prolegg. ad volumm. Herculanensium vol. I.) — P. 223—307. *Epistola ad abb. de St Leger de quibusdam editionibus Anthologiae gr.* (*Omnium Horarum opsonia curante Ioa. Iac. Porsio*, Frf. 1614. non sunt, nisi *Anthologia graeco-lat. per Hier. Megiser*, Frf. sumt. auct. 1602. 8., de quo

---

(Τοῖσι δ' ἠχήεσσι παρ' αἰγιαλοῖσιν), ὁδῖτα,
κοῦρος ἐγὼ καλέω σε, θεῷ φίλος, οὐκέτι θνητός,
ἠΐθεος, κουροῖσιν ὁμηλικίῃ πανόμοιος,
πλωτήρων σωτῆρσιν, Ἀμυκλαίοισι θεοῖσιν.
πλωτὴρ καὶ πολέων πόντου γ' ἐν κύμασιν ἔστην,
εὐσεβίῃ τροφέων δὲ λαχὼν τόδε σῆμα πέπαυμαι
νούσων καὶ καμάτοιο καὶ ἄχθεος ἠδὲ πόνοιο.
ταῦτα γὰρ ἐν ζωοῖσιν ἀμείλιχα σάρκες ἔχουσιν·
ἐν δὴ τεθνειῶσιν ὁμηγύριες γε πέλουσιν
δοιαί, τῶν ἑτέρη μὲν ἐπιχθονίη πεφόρηται,
ἡ δ' ἑτέρη τείρεσσι σὺν αἰθερίοισι χορεύει
ἧς στρατιῆς εἷς εἰμι, λαχὼν θεὸν ἡγεμονῆα.

V. 1. ap. Chard. ita expletur: *μὴ ταχίνοισι παρερχευ ἴχνεσι τύμβον, ὁδῖτα* V. 5. extr. Chard. habet: *πόντου γ' ἐν κύμασιν ἤσθην.* V. 9. dedi, quod ap. Ch. est. Nam M. scribit: *ἐν δὲ τεθνεώσιν ὁμηγυρέες* — V. 12. *εἰμι* quidem scripsit Ch., sed vertit: *sum.*

utroque libro et Legerius et Chardonius copiosius agunt, ita ut et Bibl. gr. Fabricii emendetur. Constantini Cephalae Anthologiam repeti Wartonus Oxon. 1766. iussit, omissis tamen Reiskii notis. Examinantur etiam tres edd. Aldinae Anthol. Pleraeque aliae epigrammatum gr. collectiones et versiones nominantur. Nonnulla epigrr. illustrantur.) Praeter alia, quae huc non pertinent, repetitae sunt censurae *F. G. van Lynden diss. de Panaetio Rhodio*, L.B. 1802. (p. 536.), voluminum trium priorum *Anthologiae gr. Hier. de Bosch* (p. 370.), et (p. 411.): La guerre civile, poëme; traduction libre de Pétrone, ornée du texte latin et suivie de recherches sceptiques tant sur la satyre de Pétrone, que sur son auteur, par *Iean-Nicolas-Marie Deguerle* — Par. 1798. 8.

Voluminis secundi initio pergit Chard. de *eroticis gr. scriptt.* disputare et quidem de iis, qui ad nostram aetatem pervenerunt, *Heliodoro* (p. 4.), *Achille Tatio* (20.), *Longo* (37.), *Xenophonte Ephesio* (69), *Charitone* (81.), *Eustathio* s. *Eumathio* (87.), *Theodoro Prodromo* (93.). Additae sunt p. 100. ss. *Wyttenbachii* emendationes in Achillem Tatium (ex Bibl. Crit.), *Corayi* in *Longum*, cuius etiam fragmentum e cod. Flor. nuper editum repetitur p. 107. ss. versione Amatii et animadversionibus adiectis. P. 117—140. Censura *historiae medicinae* a Blackio scriptae, a *Corayo* versae [99]. In notis p. 137. ss. tractatur Nicodemi Heracl. epigramma in Hippocratem, et epitaphium Nicomedis Smyrnensis, medici. P. 141—155. Censura editionis *characterum Theophrasti* a Corayo a. 1798. curatae, et p. 156—183. editionis eorumdem a *Schneidero* factae 1799. [100]. P. 194. ss. epistola *Rubensii* de ara quadam divae Vulvae est edita, praemissis

99) Esquisse d'une histoire de la Médecine et de la Chirurgie, depuis leur commencement jusqu'à nos jours, — traduite de l'anglais de *M. W. Black* — par *M. Coray*, M. D. — Paris, 1797. 8.

100) Illi adiecta est p. 153. commendatio studii linguae graecae recentioris, huic enarratio vitae et scriptorum Schneideri (p. 181.).

nonnullis, quae ad Peirescium et alios eruditae antiquitatis cultores spectant. P. 198—222. summarium vitae Aelii *Antonii Nebrissensis*[1]), philologi et historici saec. XV. in Hispania florentis (nati a. 1442., non ut vulgo existimatum est, 1444. mort. 1522.) a Münnozio scriptae exhibetur. P. 222—240. de fragmentis Dionis Cassii a Iac. Morellio, Bassani a. 1798. editis, refertur. P. 241 — 271. de vita et scriptis Barthol. Mercierii abb. de Saint-Leger, bibliographi celebris, exponitur. P. 272 — 301. Frid. Iacobs Exercitationum criticarum Tomus secundus inprimisque epigrammata graeca XIV. in anaglyphis templi Apollonidis s. Apolloniadis, uxoris Attali I., Cyziceni, ibi primum edita examinantur. P. 302—332. de *Leonardo Philara* (Φιλαρᾶς, Villaret), docto Atheniensi, qui saec. XVII. floruit, eiusque collectione epigrammatum grr. ineditorum agitur. P. 333. ss. ex epistola *Villoisoni* de loco Horat. Art. Poët. 128. et vana Galiani[2]) coniectura, qua eum sollicitavit, et de epigrammate Philodemi, et ex alia eiusdem archaeologi epistola p. 339. ss. de loco quodam Io. Chrysostomi[3]), de mimicis s. domesticis scurris et plagipatidis, refertur. P. 348. ss. censura libri inscripti: *Io. Steph. Bernard* Medici Arnhem. Reliquiae medico-criticae, ed. D. C. Gf. Gruner, Jenae 1795. 8., additis nonnullorum fragmentorum graecorum, ibi propositorum, emendationibus a Corayo factis (p. 387.) et brevi vitae et scriptorum Bernardi enarratione. P. 364—372. *Epistola Schneideri, Prof. tum Traiecto Viadr ad auctorem de codice ms., qui continet Friderici* II. *Imp. tractatum de arte venandi cum avibus.* P. 373. ss. de *Scholiis in Platonem* a *Ruhnkenio* editis exponitur, adiecto uberrimo Indice scriptorum in his Scholiis laudatorum (p. 381. ss.) et emendatis (p. 441. ss.) iis Scholiis quae

---

1) *Elogio de Antonio de Lebrija*, leido en junta publica de la Real acad. de la historia por — D. *Iuan Bautista Munnoz* — Madrit, 1796.

2) Legi ille voluit: *Difficile est proprium communi addicere.*

3) In homil. de mor. politia T. VIII. P. II. p. 291. ed. Montf. ubi pro πιλῶν Vill. πυέλων (patinarum fragoribus) probabiliter reponit.

in Fabric. B. Gr. ab Harlesio edita, corrupta leguntur. P. 445—460. *P. Coray Epistola de testamento secreto Atheniensium, cuius mentionem facit Dinarchus in orat. contra Demosthenem* (T. IV. p. 8. ed. Reisk.) Repudiatis Pauwii et Reiskii opinionibus coniicit Oedipi quoddam quasi testamentum [4]) intelligi, non melius, quam illi, quorum coniecturas reprehendit.

Volumini III. insunt tum plurimae variorum librorum censurae (ex quibus huc pertinent; Versionis Herodoti francogall. a b. *Petr. Henr. Larchero* factae, addito commentario, secunda editio, p. 83. ss., *Wyttenbachii* Bibliothecae Crit. Vol. III. Pars III. et IV. p. 347. ss. *Ioannis Secundi* Basiorum editio et versio a Tissoto curata, addita interpretatione nonnullorum Theocriti et Anacreontis carminum, p. 365. ss. *Clavieri* Historia primorum Graeciae temporum p. 383. ss.,) tum aliae ad historiam litter. comm. maxime spectantes, in his: p. 1—61. *Enarratio vitae ac praecipuorum scriptorum Io. Bapt. Casp. d'Ansse de Villoison* (nati d. 5. Mart. 1750. mortui d. 26. Apr. 1805.). P. 62—82. *Epistolae abb. St. Legeri* et *Chardoni* de poëta latino, Claudio d'Espence, cuius nomen male abiit in Cl. Hesp. P. 178 — 260. de duobus codicibus mss. quibus continentur *Aristophanis comoediae* earumque versio francogall. a Guid. Alexio Lobineau, monacho Benedict. saeculo XVII. extr. facta. Ex eius praefat., de ingenio Aristoph. plura afferuntur. P. 261 — 266. *Epistola ad Millinum de manuscriptis libris Io. Franc. Seguierii* (mortui a. 1784.), inprimis de Indice absolutissimo inscriptionum antiquarum, quem a. 1749. elaboravit. P. 318. ss. De tragoedia, *Tereus inscripta*, quam Heerkensius evulgavit et *Lucio Vario*, antiquo Tragico, tribuit, quamque Grimmius recenti auctori tribuendam, Morellius a Gregorio Corrario, Veneto saec. XV. compositam esse docuit. P. 343. ss. *Epistola ad Millinum* de *Cornelio de Pauw*, auctore Quaestionum de Graecis, diverso a *Corn. de Pauw*,

4) Ex Soph. Oed. Col. 1486. ss. In ead. fab. v. 579. pro: *Φθίνει μὲν ἰσχὺς γῆς* — legi vult: *Φθ. μὲν ἶς ψυχῆς* — atque ita omnem versus senarii numerum tollit.

editore Aeschyli. P. 168. s. *Cajetani d'Ancora*, Neapolitani philologi, scripta enumerantur, opportunitate recentis ab eo editi libri, qui ibi francog. legitur[5]).

B. *Heynius* paullo ante obitum sextum programmatum academicorum volumen, quod postremas habet ab eo editas commentationes, auctas etiam ineditis, edi curavit[6]). Inde ab anno superioris saeculi LXIII. usque ad VIII. huius saeculi prolusiones academicas omnes desideratissimus vir scripserat, ita, ut non tantum litteris communibus augendis plurimum inservirent, sed etiam annalium academiae, cui ille ornamento fuit et praesidio, loco haberentur, et quum rebus ac temporibus pleraeque accommodatae essent, etiam ad cognoscendam temporum quorumcumque naturam, litterarum vicem, hominum ingenium, denique errorum, in quos quaeque aetas vel delapsa vel propensa erat, causam et originem, et ad regenda litterarum et vitae studia, facerent. „Id enim, ait[7]), vel maxime mihi curae esse debere putavi, ut addisceret iuventus, humanitatis studiis operam ita esse dandam, ut nec in sermonis subtilitatibus grammaticis et criticis, etsi per se magnopere probandis, non tamen in iis solis subsisteret, nec rerum incondita farragine ingenium oneraret: sed ut vitae quoque et animi moribus fingendis litterarum studia coleret, utque ipse his hac in re exemplo praeirem, ne in me conveniret, quod apud Tacitum est (Ann XV, 45.) de Secundo Carinate rhetore: *graeca doctrina ore tenus exercitus*, animum bonis artibus *non induerat*.“ *Octo priores huius voluminis prolusiones* continent *censuras ingenii et morum* scriptorum latinorum serioris aetatis et librorum ab iis editorum, ex quibus etiam memorabilia nonnulla afferuntur et illustrantur, scilicet *L. Aurelii Symmachi*, epistola-

5) Lettre de Don Gaetano d'Ancora — sur l'idée, que les Anciens avoient des Marées en général et de celles du Cratère des Naples en particulier; traduite de l'italien.

6) *Chr. G. Heynii*, Prof. Eloq. et Poës. in Univ. Gotting. Equitis Ord. Cor. Westphal. *Opuscula academica collecta, animadversionibus locupletata. Volumen* VI. Gottingae ap. H. Dieterich 1812. XII. 504. pp. 8. (praeter Indices).

7) Praef. p. V. s.

rum auctoris sub Theodosio M. florentis (p. 1. ss.), *D. Magni Ausonii*, poëtae et oratoris, qui saec. IV. extremum ornavit (p. 19. ss.), *Ammiani Marcellini*, scriptoris rerum gestarum, eodem fere tempore viventis, si non arte, fide tamen et auctoritate gravissimi (p. 35. ss), *sex scriptorum historiae Augustae* quibus tribuuntur XXXIV. libelli, tempora inde ab Adriano usque ad Cari mortem (a. C 117 – 282.) ita complexi, ut Suetonii Vitas si non re, saltem specie aliqua continuare videri possint (p. 52. ss.), XII. *Panegyricorum veterum* minorum (de quibus duabus Commentatt. p. 80. ss. et 99. ss. agitur), *Salviani Massiliensis* librique de gubernatione dei, post similes Augustini Orosiique conatus, scripti (p. 119. ss.), denique *Boethii* et libri de consolatione philos. ab eo editi (p. 143. ss.). Sequuntur duae Commentationes, illustrantes saeculum nostro ex parte simillimum (p. 169 ss. et 185. ss.): *Alexandri Severi Imp., religiones miscellas probantis, iudicium illustratum et ad causas suas revocatum*; quarum altera nunc primum ex schedis prodiit. Accesserunt iis *sex epimetra* antiquarii argumenti: *de Christi effigie in Alexandri Severi larario habita* p. 213., *de superstitionibus aetatis Alexandri Severi Imp.* (p. 226.), *de superstitionum, quae sub Romanis increbuerant, originibus ex symbolorum usu* (p. 229. ss.), *de religionibus et superstitionibus miscellis per figuras symbolicas effictis, inprimis in gemmis scalptis* (p. 245. ss. , *de gemmis astrologicis et magieis inter amuleta habitis* (p. 256. ss.), *de artis fingendi et sculpendi corruptelis ex religionibus peregrinis et superstitionibus profanis* (p. 273. ss.). Procedunt deinde VII. prolusiones scriptae (a. 1802 — 1808.) ad promulganda certamina litteraria civium acad. Götting. cum quaestionibus propositis, et praemia promissa et addicta. Quartae adiectus est (p. 346 — 362.) Excursus *de Alexandro id agente, ut totum terrarum orbem mutuis commerciis iungeret.* Subiecta sunt *duo elogia* virorum defunctorum, de acad. Götting. bene meritorum: *Car. Guil Pätz* (Profess. Iur. p. 402. ss.) et *Geo. L. B. de Asch* (p. 414. ss.). Alia in Commentationibus Societ. litt. Götting. leguntur. Addita sunt (p. 431 — 482.) *Recognita et Retractata in*

Opuscc. acadd. Vol. I—VI.[8]), et (p. 482—504): *Epimetron ad Commentationem de Castoris epochis populorum, qui maris imperium obtinuisse dicuntur* (in Nov. Commentar. Soc. Reg. Sc. Götting.). In fine XVII. epochae accurate constitutae sunt. Vellemus adiectum esse indicem, qui omnia sex volumina complecteretur. Nunc singula volumina suos habent.

Waardenburgius, Lingensis olim, nunc Harlemensis gymnasii Rector, de latinis litteris bene meritus, scholasticas commentationes olim separatim editas, sed quae in paucorum vel notitiam vel manus venire potuerunt, iunctim nuper edidit [9]). Praemissa est ad filium Everardum praefatio, qua, quam rationem ipse in studiis poëtarum latinorum sequutus sit, demonstrat, et praecepta legendorum, emendandorum et explicandorum tum poëtarum tum aliorum scriptorum vett. egregia proponit, exemplis potissimum e Propertii elegiis desumtis. Commentationum aliorumque scriptorum agmen ducit Prolusio *de argumento et natura optimaque forma elegiae* (p. 1—26.), 1796. scripta, ad veterum elegiacorum poëtarum disciplinam et usum accommodata, ita ut et recentiorum philosophorum decreta compararentur, et confutentur vana iudicia [10]). P. 27—36. *de ortu et fortuna academiae Lingensis*, conditae a. 1697. d. 14. Sept P. 37—55. *de summo momento, quod mores principum afferunt ad mores universae civitatis publicamque adeo vel perniciem vel salutem*, praeceptis et exemplis veterum auctorum maxime illustrato. P. 56—90. *Oratio de accurata veterum auctorum cum*

---

8) In iis de direptione bibl. Alexandrinae ab Arabibus facta quae vulgo narrantur, examinata sunt p. 438., Simonidis dictum (χαλεπὸν, ἐσθλὸν εἶναι) illustratur p. 440 ss., loci de panificio et frugum satione apud Gr. augentur, adduntur nonnulla ad Commentatt. de civitatum Graecarum per Magnam Graeciam et Siciliam institutis p. 451. etc.

9) *Henrici Waardenburg*, Harlemensis Gymn. Rectoris, *Opuscula oratoria, poëtica, critica.* Harlemi, apud Loosjes cIↃIↃcccxII. XXII. 313. pp. 8.

10) Ut *Corn. de Pauw* iniquum iudicium de Tyrtaei elegiacis carminibus, p. 9. ss.

Graecorum tum Romanorum lectione, reipublicae gerendae studioso utilissima, qua quidem orat. etiam multa commoda ex veterum linguarum cognitione et auctorum lectione omnino percipienda exponuntur. P. 93—128. *Carmina varii generis* (odae atque elegiae). P. 130—153. *Observationes criticae in Homeri hymnos.* Tractantur loci hi: hymn. in Apoll. 538., in Merc. 45. 47. ss. 125. 199. s. 426. 435. 457. ss. in Ven. 90. 260. in Cer. 204. 344. 373. 429. et 428. 454. et 56. in Vest. et Merc. 3. in Matr. omn. 14. (ubi περιγηθέσιν pro voce nihili περεσαυθεσιν reponitur). P. 154—168. *Observationes criticae in Ciceronem:* nempe in de Orat. 2, 43. (ubi W. ita scribit: *lenitas vocis, vultus pudor, timoris significatio* —) 3, 44. et 59. Brut. 66. 82. Or. p. Rosc. Amer. 31. Or. 2. c. Rull. 32. p. Red. in Sen. 4. p. Corn. Balbo 1 et 6. p. Mil. 1. p. Rabir. post. 3. Or. Philipp. VI, 2. extr. XII, 10. XIV, 10. 11. de Leg. 1, 2. Offic. 2. 8 Lael. 10. 17. 27. extr. P. 169—173. *Observationes criticae in Virgilii Aeneidem* (I, 315. 420. II, 15. IV, 383. VII, 666. VIII, 556. s. IX, 712.). P 174—187. *Observationes criticae in Tibullum* (I, 1. 3. s. 25 ss. 3, 37. II, 1, 57. s. 4, 37. s. III, 4, 1. ss. 51. s. 6, 13. ss.). Postremum ordine, non dignitate et amplitudine, locum occupant *Observationes criticae ad Propertium* (p. 188—301.) multum illae auctiores, quam olim fuerant separatis libellis propositae, neque tantum in emendandis, sed etiam explicandis, et, imitatione graecorum poëtarum notata, illustrandis plurimis locis versatae. Additus est index rerum, dictionum et verborum, etiam aliorum scriptorum, obiter emendatorum.

Quae vol. I. Act. p. 441. promissa est *Hermanni* V. C. *Draconis Stratonicensis* editio, ea nuper adiecto alio Tzetzis libro prodiit [11]). De Dracone isto, cuius auctoritate Ruhnkenius usus erat ad tuendam Orphi-

---

11) *Draconis Stratonicensis Liber de metris poëticis. Ioannis Tzetzae Exegesis in Homeri Iliadem. Primum edidit et indices addidit Godofredus Hermannus.* Lipsiae, sumt. Weigelii, cIↃIↃcccxII. XXIX. 168. 196. pp. 8 mai.

eorum carminum antiquitatem, iudicium iam tulerat Hermannus in diss. de argumentis pro antiqu. carm. Orphh. (v. Acta I, p. 327. s.). Id repetitum est in praef. ad ipsum librum p. IX. s. Et tum quidem cum Hasió existimavit Draconem Apollonio Dyscolo recentiorem esse. Nunc, edito a Beckero Apollonii Dyscoli libro de pronomine (v. Acta I, p. 494.), intellexit ab eo Draconem, tanquam non amplius superstitem citari (p. 280. A.), unde dubitari nequit, quin, quae Herodiani citationes in Draconis libro reperiuntur, ex aliorum Grammaticorum libris adiectae omninoque Draconis liber ita interpolatus sit, ut, quae ipsius Draconis praecepta sint, nusquam certo dici posse, quae autem ex codd. mendis observantisque imperitia promanarunt, non Draconi aliisve claris Grammaticis sed Lascari imputanda esse videantur [12]). Nam codex Parisinus, cuius apographum a b. Bastio acceperat editor ineunte saec. XVI. scriptus est, Hasio et Bastio auctoribus, ita ut eius aetas non obstet, quominus a Lascari liber additamentis augeri potuerit. Eam igitur editor iudicat esse epitomen libri, quem Draco de metris scripserat, auctam subinde aliorum, non eiusdem aetatis et generis, Grammaticorum observatis [13]). Quum perpauca quae a veterrimis et doctissimis Grammaticis scripta sunt, integra ad nos pervenerint, non solum falsa, quae celebrioribus Grammaticis exciderunt, aucto magis quam imminuto errore, ad ceteros permanarunt, sed multa etiam confusis diversis sententiis intextisque recentiorum additamentis deformata sunt [14]). Secunda libri Drac. pars,

---

12) Cuius generis sunt, quae de v. *ἀγάκλυτος* p. 10, 22. *βαλὼν* p. 28, 14. *ἰθύνομεν* p. 52, 7. *ἴρηξ* p. 54, 4. *Νηληϊάδης* p. 69, 20. traduntur. Liber continet 1. universam disputationem *περὶ χρόνων*, 2. p. 9 — 106. alphabet. vocabb. indicem (*περὶ χρόνων κατὰ στοιχεῖον*, 3. congeriem observationum *περὶ χρόνων ἀντωνυμίας*, *ἐπιῤῥημάτων*, 4. p. 124. (secundam partem) *περὶ μετρῶν ποιητικῶν*.

13) Hinc dissimilis observationum bonitas, praeceptorum eorumdem repetitiones etc.

14) Itaque monet Herm. p. XX. videndum esse, ne aut observata quaedam Grammaticorum ex prava versuum descriptione, aut exempla, quae in nostris edd. olim reperiebantur syllabarum praeter consuetudinem vel productarum vel correptarum ex Grammaticorum sententia muta-

de metris, tam leviter tractata est, ut, quod ex titulo primarium sperabatur argumentum, quasi obiter adiectum videatur. Si quid novi in hoc genere expectari possit, id aut a musicis et rhythmicis scriptoribus aut a poëtarum diligenti tractatione petendum esse monetur; rhythmicam musicorum vett. doctrinam parum adhuc profuisse iis, qui ad hoc confugerant, obfuisse etiam; metricorum vett. admodum exiguam esse utilitatem; poëtarum pervestigationem, quae ad auctoritatem tutissima sit, et diligentiam incredibilem et usum plurimum requirere. In ea re saepius errari ostenditur, aliis temere exempla numerantibus et inductionem quae dicitur sequentibus [15]) quorum exemplorum causis non inventis nec regularum vis et natura intelligi iudicarive potest, aliis suum quemdam sequentibus sensum [16]).

Quo loco non tantum monetur, dubitari posse, an haud ita verum sit, quod Wolfius [17]) pronunciavit, Nu-

---

ta sint. Larga, et vix inchoata, nedum profligata est disputatio de mensura syllabarum, in qua non solum dialectorum, aetatum, scribendi generum, metrorum, sed etiam licentiae poëticae locorumque a Grammaticis mutatorum ratio habenda est.

15) Fecerunt hoc maxime Britanni inde a Dawesio. Ita Porsonus sine idonea ratione censet, tetrametri anapaestici priorem partem dactylo non terminari, ideoque Aristoph. Nub. 325. audacter corrigit, quo loco Rav. codex propius a vero abesse videtur.

16) Quod nostratibus placuisse censet Herm. affertque eam in rem Aristoph. Nub. 562. ubi, quum satius fuisset, relinquere numeros, ut antea distincti fuerant, nuper eos, probante censore Heidelberg., mutavit Wolfius.

17) *Aristophanes' Wolken, Eine Komoedie, griechisch und deutsch.* Berlin, b. Nauck 1811. XXVI. 243. pp. 4. min. Praemissa est praefatio, qua de ipsa fabula eiusque consilio agitur et natura, textus graecus ex praesidiis (ad quae serius accesserant sex codd. Vindobb. et Monacenses) constitutus est, ita, ut editor p. XVII. contendat, non ei opus esse insigni quadam et nova expolitione, versuum alia descriptio interdum inducta, metraque mutata, denique versio et metris graecis et orationi comicae quam maxime accommodata est. Subtilis libri, quem *Frid. Aug. Wolfium*, V. Ill. edidisse inter omnes constat,

bes Aristoph. propemodum perpolitas esse[18]), sed etiam loco quaedam poëtarum emendantur. Ita Damoxeni fragmentum ap. Athen. p. 102. B. sic scribitur, eiecto qui insertus ibi est, et ex interpretationibus conflatus esse videtur, versu:

διόπερ μάγειρον ὅταν ἴδῃς ἀγράμματον,
μὴ Δημόκριτόν τε πάντα διανεγνωκότα
καὶ τὸν Ἐπικούρου κανόνα, μινθώσας ἄφες.

In eodem paullo ante p. 102. A. emendat:

β. τοῦτο δὲ τί ἐστιν, εἰπέ μοι. Α. καθήγισα.
Β. μάγειρος ἦν κἀκεῖνος;

Non dicit A., se quatuor talenta lucratum esse, sed consumsisse in culina atque in fumum dissolutam esse pecuniam (καθήγισα). Tres in emendando errandi nationes notantur, quod alii codicibus solis fidem habent, alii nihil esse existimant, quod contra codices tentari nequeat, alii, si quid corrigunt, id ex litterarum ductibus et figuris extorquent: quae palaeographicae emendationes propriam sedem habent in iis libris, qui ex uno paucisve codd. editi sunt, parcius adhibendae sunt in scriptis, quae frequenti omnium temporum usu trita scripturam habent vel codd. multorum fide vel interpretum testimonio firmatam. Praeterea aliae crebrae sunt librariorum aberrationes, ut saepius ab iis auxilium peti possit, aliae rarae et insolentes, quae fugiendae potius quam quaerendae sunt, quia non maiorem, quam quaelibet alia coniectura, habent verisimilitudinem. Considerandum est igitur, quo in scriptore, quo in loco, qua in re ver-

---

in Heidelbergg. Ann. a. 1812. prodiit censura. Idem Wolfius Acharnensium partem eodem modo pertractavit. *Aus Aristophanes' Acharnern, griechisch und deutsch mit einigen Scholien.* Berlin, 1812. 4 min.

18) Ita metri subtilitatem neglectam esse queritur Herm. v. 269. 371. 400. 654. 925., qui versus iam a Porsono notati corrective erant, et inter quos v. 654. (senarium: ἀλεκτρύονα, κατὰ τ. — nuper ab Erfurdt. in Horr. Regiom. emendatum) non magis ita ab Arist. scriptum putat Herm. quam a Platone comico talem factum esse versum: ὅπου σιδαρέοις χρῶνται νομίσμασιν. Etiam in 736. ss. meliorem lectionem restitui potuisse monetur.

seris, ne, quae alibi maximam verisimilitudinem habitura essent, ibi coneris, ubi minime probabilia futura sint: unde saepe latuit Criticos, quod ultro in oculos incurrisse putes. In Eurip. Hec. 681. emendatur ab H.: Με. Ἥρα; τί νῷν (pro τίνων) χρῄζουσα etc. In Xenoph. Oecon. 15, 1. interpretes maluerunt nominativum ἀποδεικνύων in accusativum, sine probabilitate, mutare, quam ad partt., in quibus vitii sedes est, ἤδη τε, quasque in ἤδηται mutare oportebat, oculos convertere. In eodem Xenoph. Oecon. 20, 14. postrema quae criticos valde vexarunt, ita lenissima mutatione restituit Herm.: γῆν δὲ πάντες οἴδασιν, ὅτι εὖ πάσχουσα εὖ ποιεῖ· ἀλλ' ἥ γε [19]) ἀργία ἐστὶ σαφὴς ψυχῆς κατήγορος κακῆς. Plat. de rep. VI, p. 510. B. paullo audacius mutatur: τὸ δ' αὖ ἕτερον λόγῳ [20]) ἐπ' ἀρχὴν ἀνυποθ. — sed tuentur eam emendationem quae Plato p. 511. B. dicit. — Constituerat Herm. Draconi adiicere adnotationes, quibus et locos indicaret aliorum eadem tradentium Grammaticorum, et corrigeret distinctiusve explanaret nonnulla. Sed quum otium ei deesset, ne ea quidem expromsit, quae parata habebat aut facile parare potuisset, quo ne commentarius dissimilis sibique parum constans evaderet; verum Tzetzae exegesin in Iliadem adiunxit, quam *Io. Burch. Menkenius* iam ex codice bibl. Paullinae Lips. exscribi, ut ederetur, curaverat [21]), una cum scholiis in margine adscriptis, quae sunt eiusdem Tzetzae. In utroque scriptore ipsam codicum scripturam quantumvis vitiosam exhibuit, et in Tzetze tantum interpunctionem, et manifestos librarii errores (v. c. syllabas bis scriptas) cor-

---

19) Part. γε ponitur ita, ut respondeat nostro *eben*.

20) Ex hoc voc. per compendium scripto existere potuit τὸ in vulg. lect. quod ineptum hic est.

21) De Tzetza hoc editor tulit iudicium: „omnino Tzetzes ita Homerum explicuit, ut isto aevo liberalis interpres numerari posset; quem si rident, qui nunc eam laudem mereri sibi videntur, caveant, ne sibi olim idem eveniat. Nihil est enim ita perfectum, ut id non ad maiorem quamdam perfectionem adduci possit, quod nescio an omni tempore in nullo, quam in Homeri exemplo apparuerit. „Caeterum non dissimilia nostra aetate vel mythologos vel philologos esse commentos, monetur.

rexit. Utrique scriptori indices et auctorum et rerum subiecti sunt.

Editionis novae *Euripidis*, quam ab *Aug. Matthiaeo* curatum iri T. I. p. 421. et 430. nunciavimus, *primum* prodiit *volumen* [22]), quod praeter praefationem habet Hecubam, Orestem, Phoenissas, Medeam, Hippolytum, Alcestidem, cum varietate lectionis huius et aliarum edd. in margine inferiori notata. Indicabimus nunc quidem non nisi praesidia critica, quibus ad tollendas maculas, fabulis Eurip. adspersas, usus est editor; et rationem, omnibus probandam, qua in ea re est versatus. Praesidia nova ei contigerunt haec: 1. codices Florentt. XIV., quos ad editionem Musgravii contulit bibl. Mediceae praefectus, Franc. de Furia [23]). Ad hos accesserunt 2. tres Codd. Abbatiae Casinensium, nuper in Mediceam illati, saec. XIV. scripti, quibuscum scholia idem V. D. contulit; nam textus cum Mediceis conspirat. Idem cod. 6. plut. 91. chartac. saec. XIV. sola scholia habentem comparavit. 3. Codices Taurinensis academiae duo contulit diligentissime Amedeus Peyron. Alter (B. 6, 7. bombyc. saec. XV.) Orestem et Phoenissas continet, cum scholiis, quae edita non superant et usque ad Phoen. 1165. Barn. pertinent; alter (C. 5, 5.) Andromachen habet. 4. Codicem Guelpherbytanum, sive potius duo Codd. uno volumine comprehensos, quorum alter bombyc. saec. XIV. Orestem et Andromachen cum gloss. et schol., alter bombyc. saec. XV. Andromachen cum Scholiis paucis, plerisque inedd., continet. 5. Ex bibl. Monacensi a Iacobsio accepit Victorianas, supra commemoratas, lectiones margini ed. Ald. adscriptas, partim e vetusto codice, partim e con-

---

22) *Euripidis Tragoediae et Fragmenta. Recensuit, interpretationem latinam correxit, Scholia graeca e codd. manuscriptis partim supplevit, partim emendavit Augustus Matthiae. Tomus primus.* Lipsiae ap. Weigel. MDCCCXIII. XVI. 432. pp. 8. mai.

23) Ex his II. conspirat cum eo, cuius varietatem Scaliger enotavit, memoravit Porsonus; X. cum Flor. eo, cuius collationem instituerat Is. Vossius, quamquam codex ipse periisse videtur; nam in nullo Troades leguntur.

iecturis ductas. 6. Codicum Augustanorum trium, ab Hermanno in praef. ad Eurip. Hec. p. VI. descriptorum, Hecubam, Orestem et Phoenissas (quae tamen in tertio desunt) continentium, collationem ab Hermanno V. Cl. editor accepit. 7. Codicem Dresdensem, olim Mosqu. D., denuo contulerat idem Hermannus, atque lectionum varietatem inde excerptam cum editore communicavit, et plures in Eur. fabulas annotationes eidem misit. 8. E bibl. Luzaciana nactus est exemplar edit. Barnes. cum notis Valkenarii manu in marg. scriptis. Alia a se observata b. Erfurdtius cum editore communicavit. Codices Parisinos, nondum collatos, nihil quod operae pretium esset suppeditare posse, amici fidem fecerant. In recensendis carminibus has sequutus est leges: 1. ad auctoritatem omnium praesidiorum criticorum textum constituit, non numerandis codd., sed lectionibus ponderandis; 2. ubi vulgata lectio aperte vitiosa esset, coniecturis dedit locum, sed, quae et sensui satisfacerent nec nimium a vulgatis discederent; 3. saepius vulgatam lectionem coniecturis tentatam retinuit aut revocavit; 4. ubi locum quidem laborare apertum esset, nulla coniectura omnibus numeris verisimilis, intactum maluit locum relinquere, quam obliterata vulgata lectione, viam veri inveniendi reddere obscuriorem; 5. melica loca, ab editoribus superioribus vel neglecta vel turbata, inprimis diligenter tractavit. In anomoeostrophis tamen ad antistrophicorum legem redigendis minus sibi indulsit, quam alii nuper, ratus tum demum recte in strophas antistrophasque describi posse, ubi codices, sensus, scenica ratio et poëtae consuetudo vel postulent vel permittant [24]). 6. In personarum chori distributione non plus sibi licere credidit, quam in reliquis fabulis. „Nam, inquit, quae de singulorum canticorum partibus ad singulas personas referendis acute nuper disputata sunt a VV. DD. Hermanno et Boeckhio, ea

24) Disputantur hic nonnulla adversus Hermanni rationes, de quibus sequ. Fasc. exponetur. Neque Boeckhii et Ahlwardti sententiam, nusquam versum finiri, nisi vocabulo etiam finito, nec umquam verbum in duo versus distribuendum esse, probavit.

hanc tantum vim habent, ut potuisse hoc ita fieri intelligamus; sed ubi revera factum sit, e tota loci ratione et sensu demum eruere possumus. In quo cavendum est inprimis, ne, quae male inter se cohaerere videantur, continuo diversis personis tribuenda existimemus: haec enim ipsa vis est graviorum animi motuum, ut ab aliis ad alia, cognata tamen, subito transiliat oratio." 7. Interpunctionis notas aliter, quam plerumque fit, posuit. In margine exteriori et superiori numeri versuum edd. Barn., Musgr. et Pors. notati sunt, in imo marg. lectionis Pors. Brunk. Musgr. diversitas notata est. Volumen primum tribus partibus ipsas tragoedias cum fragmm., secundum novam interpretationem latinam, tertium scholia tum edita tum nova, quartum notas et varietatem lectionis diligenter collectam, continebit. Absolvent editionem indices copiosis iam.

Quam T. I. p. 459. s. [25]) commemoravimus interpretationem Strabonis, a VV. DD. *de la Porte du Theil* et *Coray* factam, eius nuperrime tertium volumen prodiit [26]), ideo etiam memorabile, quod pessime mutilatum librum IX. graece ex vetustissimo codice bibl. Paris. imp. MCCCXCVII., qui IX. priores Strab. libros continet, descriptum accurate (paucis locis, quae in observatt. adiectis correcta sunt, exceptis) exhibet, ex quo intelligitur inprimis, multo plures locos olim iam lacunosos fuisse, quos hactenus suppletos vel librariorum vel interpretum vel editorum studiis, tamquam genuinos legimus. Nam si ex eo codice, quem saeculo XII. antiquiorem esse Dutheilius censuit, tamquam ex communi fonte, fluxerunt alii omnes, quibus utimur, ille

---

25) Corrigendum est eo loco Angli editoris nomen. *Falconer* enim nominatur, non Fawkener, eiusque editio Strab. tum codicum lectiones tum novas editoris coniecturas exhibens, Oxonii prodiit a. 1807. II. voll. fol. et adhibita est inde ab octavo libro ab interpretibus gallicis.

26) *Géographie de Strabon*, traduite du Grec en François. *Tome troisième*. à Paris, de l'Impr. Imp. 1812. XXIV. 332. 276. pp. 4. mai. Librum VII. et VIII. Corayus, IX. Dutheilius, interpretati sunt.

autem codex iam ante plura saecula ita fuit vel vermibus vel madore vel aliis quibuscunque causis corruptus atque mutilatus, ut nunc est: sponte sequitur, omnes eos locos, quorum vel nulla vel exigua ibi cernuntur vestigia, quique in aliis codd. pleniores leguntur, esse vel a librariis vel ab aliis lectoribus interpretibusve aliunde expletos, ita ut sensum quidem, non verba, Strabonis in iis habeamus, et fortassis ne illum quidem ubique verum. Et nonnullos quidem eius generis locos non recte esse expletos tum lucunarum in illo codice spatia, tum singulae quae forte supersunt litterae syllabaeve ostendunt; ex quibus interdum etiam probabiliora erui possunt supplementa. De his omnibus locis vel male vel bene, certius incertiusve, suppletis aut melius explendis in copiosis quas textui et versioni, quae plerumque graeca codicis exprimit, adiecit adnotationibus subtiliter et diserte, examinatis etiam variis et interpretationibus et coniecturis, Dutheilius egit, idemque in iis adnotationibus (Eclaircissimens) etiam alia et plura geographiae, historiae et antiquitatis graecae capita illustravit et loca quaedam aliorum scriptorum tractavit et poëtarum fragmenta emendavit. Ad septimum et octavum librum adhibitus est alius codex Paris. n. 1393. et plura textus emendandi pericula, interdum etiam audaciora, a Corayo facta sunt. Caeterum eius interpretationi notae, pleraeque criticae et exegeticae, nonnullae etiam geographicae Gossellini, subiectae sunt.

Apollonii Rhodii editionis Brunkianae repetitioni nuper apud nos factae 27) adiecta sunt in secundo volumine tum scholia hactenus inedita tum animadversiones quaedam in scholia et indices copiosi, Schae-

---

27) *Apollonii Rhodii Argonautica, ex recensione et cum notis Rich. Fr. Phil. Brunckii. Editio nova, auctior et correctior. Accedunt Scholia graeca ex cod. Biblioth. imper. Paris. nunc primum evulgata. Tomus* I. Lipsiae ap. *Gerh. Fleischer*, iun. 1810. XII. 410. pp. 8. mai. [Repetita est hoc tomo integra editio Brunck. ita ut, quae ibi in Append. leguntur, suis locis inserta, et operarum errores correcti sint.] *Tomus secundus*, 1813. XVI. 709. pp. 8.

fero, V. C. auctore. Is ab h. Heynio quum petiisset apographum Scholiorum ineditorum e cod. Paris. 2727. Ruhnkenii iussu factum et ad Heynium postea missum, non illud modo ab eo accepit, sed alia etiam futuro editori Apollonii utilia praesidia. Et apographum quidem ab Anonymo in usum Ruhnkenii factum summa fide, servatis vitiis omnibus, transscripsit Schaeferus factaque cum Ruhnkenii excerptis in edit. Steph. [28]) comparatione, typis describendum dedit [29]). Ut lectores comparare possent, addidit p. 343—636. scholia edita ex edit. Stephani, quamquam in iis saepissime eadem verba, quae in ineditis, leguntur, ita ut etiam in vitiis quibusdam conspirent [30]). Scholiis, maxime ineditis subiecit notas, in quibus vel de vitiis nonnullis tollendis admonuit, vel de vocabulis quibusdam disputavit, ut de voc. *νεουλκία*, nondum in Lexica (quae *νεολκία* habent) relato, vel alios scriptores emendavit, vel alia utiliter docuit [31]). Scriptorum in Scholiis citatorum indicem repeti iussit ex edit. Harles. Bibliothecae gr. Fabricii. Nam novum conficere nec vacabat et multi esse videbatur laboris, quum criticam Scholiorum perpolitionem antecedere oporteat. Duo sequentes indices, alterum scriptorum in notis Brunkii ad poëtam et suis ad

---

28) Quae tamen non nisi ad 29. primas paginas edit. Steph. pertinent, quia margines illius edit. non sufficiebant reliquis omnibus scholiis capiendis.

29) Leguntur haec inedita scholia, praemissa Apollonii vita, p. 3—340.

30) Ita I, 129. utrumque Scholiorum genus in lectione *ἀπεθήκατο* consentit, etsi ex interpretatione ipsa patet, Scholiastem (neque enim duos esse Scholiastas nos quidem putamus) legisse aliud verbum, id quod Simplicius Ms. in Peyroni Fragmm. Empedoclis et Parmenidis p. 16. suppeditavit: *ἀπεσσείσατο*, quod in altera Argonn. editione Apollonium posuisse, Schaef. existimat.

31) Hac opportunitate retractat emendationem (in praef. ad Lips. edit. Anacr. Brunck. p. VII.) propositam in Paeane Aristotelis, quam tamen occupaverat Aug. Matthiae in Eclogis poëtt. qui *ἄζουσαι* adeo in textis scripsit. Sed ambos errasse nunc monetur et *αὔξειν σέβας* esse, *numen venerari*, ex Oppian. Halieut. II, 409. ostenditur.

Scholl. tractatorum, alterum graecum in notas ipse confecit diligentissime et auxit, ut solet, novis accessionibus, in quibus vel retractantur nonnulla [32]), vel Lexica vocabulis augentur [33]) formisque (ut ὑπερηφανής), vel alii scriptores (ut Herodotus pluribus locis) tractantur, vel criticae grammaticaeve observationes promuntur. Ultimum locum tenent tres Reiskii indices in Scholia, geographicus, historicus, glossematicus.

Quae alia ab Heynio secum communicata accepit Apollonii ornandi instrumenta, quibus tamen ipsi ob aliorum laborum multitudinem et varietatem omnibus uti non licuit [34]), eorum hunc proposuit indicem: 1. Apollonii editio Stephani cum variis lectt. a Ruhnkenio e cod. Par. 2727. [35]) enotatis. 3. (nam 2. est Apographum Scholiorum) Variae lectiones e cod. Mediceo plut. 32. n. 9. a Bandinio excerptae; cuius tamen collationis octo priora folia perierunt et decimi margo ita mutilatus est, ut bona pars lectionum illic notatarum legi nequeat. 4. Variae lectiones excerptae e cod. Guelferbyt., quas Ernestius in Piersoni [36]) gratiam Ruhnkenio, hic Heynio, is una cum Medicea collatione Brunkio miserat. 5. Variae lectiones a Blessigio e cod. Vindob. in Brunkii usum enotatae, ex apographo Brunck. transscriptae a Schneidero et ad Heynium missae. 6. Variae lectiones ex ed. Ald. Paris. (1541. 8), Brubach. (1546. 8.) et e codd. Mediceo et Paris. comparatis cum ed. Steph. et adscriptae

---

32) Ita formas διπλίς, ἁπλός, δικρός, ἔπιπλος similesque usitatas fuisse, non tantum communes in — οος aut ους, p. 657 et praef. p. XV. ostenditur.

33) V. c. τρόχωμα, quod cum τρίχωμα confusum est.

34) Servantur ea in bibl. acad. Götting. publica, nec tamen omnia nova sunt.

35) Eumdem codicem contulit Brunk. habuitque idem Ruhnkenii collationem secum ab H. communicatam; leguntur tamen in R. Excerptis, quae apud Brunck. frustra quaeruntur. Ruhnkenius in Ep. Crit. II. p. 193. codicis non meminit, unde pro coniectura R. habetur, quae est lectio libri Paris. marginalis.

36) Potiores lectiones exhibuit Pierson. Veris. p. 197.

singulis versibus in usum novae, quam Heyn. moliebatur, editionis. Initio schedarum notatum est, in ed. Paris. pleraque iam ad codices emendata esse, quae in Steph. textu meliora sint, et huius fundum esse editionem Parisinam[37]), ut Brubachianae Aldinam. 7. Reiskiani indices, in hac edit. exhibiti. 8. Notata Is. Vossii ad Apoll. Rh. e schedis bibl. Leid. a Ruhnk. exscripta. Ea quum pauca essent, Schaeferus p. IX. s. cum lectoribus communicavit. 9. Notata Fr. Porti ad Apoll. Rhod. ex ed. Steph. exemplari in bibl. senat. Lips., excerpta a Reiskio. 10. Heynii collectanea de codd. Apollonii, in quibus etiam sunt excerpta e litteris Vuinkelmanni de codd. Romanis. 11. Excerpta ex Apoll., ordine alphabeti ab eodem H. congesta et scripta atque indici uberrimo in Ap. inservitura. 12. Edit. Basil. 1572. 8. (ex off. Henr. Petr.) cum collatione cod. Vratisl. edd. que Flor.[38]) et Steph. 13. Editio Scholiorum Parisina 1541. 8. min., rarissima illa, a Reiskio donata Heynio.

Commentarii in *Lycophronem* a *Tzetzis* scripti, aliarumque copiarum ad poëtam ipsum spectantium editionem, cuius primum volumen T. I. p. 428. ss. indicatum est, absolvit Cl. *Müllerus secundo* et *tertio* volumine, deinceps editis (MDCCCXI.). Et secundo quidem volumine continentur p. 513—1050. Tzetzarum Scholia inde a v. 261. usque ad finem carminis, subiectis animadversionibus criticis aliisque, tum sequuntur scholia breviora e codd. enotata. Volumen tertium habet p. 1123—1160. Lycophronis Cassandram, iambico carmine translatam per *Ios. Scaligerum* et centum in locis a *Ioh. Meursio* emendatam: p. 1161—1354. *Meursii* Commentarium in Cassandram; p. 1355—1552. *Io. Potteri* Commentarium. Separatim adiecti sunt indices in Lycophronem uberrimi p. 1—281. (nempe Ind. vo-

---

37) Id etiam observatum est in praef. ad ed. Lips. Apollonii 1797. p. XII. s.

38) Codicem Rhediger. Vratislav. et ed. Flor. 1496. contulit indeque varietatem enotavit Casp. Arletius, Rect. et Prof. gymn. Elisab. De cod. Vratislav., quem postea contulit Beckius, v. praef. ed. Lips. antea indicatae p. VI. ss.

cabulorum quae in Lyc. Cass. reperiuntur, omnium, asterisco notatis, quae in Lexx. desiderantur; Ind. vocabb. graecorum, quibus Tzetzae in scholiis sunt usi, cum barbarorum tum in Lexicis vel plane non vel alia saltem potestate obviorum; Ind. scriptorum a Tzetzis in Scholiis laudatorum, adiectis plurimis observationibus de his ipsis scriptt.; Ind. rerum, nominum et fabularum in Tzetzarum Scholiis; Ind. in Commentarium Meursii; Ind. in Potteri Commentarium) et p. 282—314. Addenda et Corrigenda. Ita nihil desideratur, quod ad Lycophronem eiusque interpretes antiquos pertineat, nec carioribus tantum editionibus Potteri et Sebastiani facile caremus, sed alia etiam et nova et meliora sunt proposita.

Oppiani Carmina emendata nuperrime cum brevibus annotationibus Schneiderus, V. C. in Theophrasteis botanicis scriptis nunc cum maxime elaborans, edidit, quibus alia vel subiecta sunt vel secundo volumine addentur 39). Iam ante XXXVI. annos (a. LXXVI. super. saeculi) curaverat vir doctissimus Argentoratensem Oppiani editionem 40), in qua Cynegetica Brunckius sibi corrigenda et describenda sumserat. X. annis post (LXXXVI.) Belinus de Ballu eadem carmina Argentorati repeti iussit, sed primum tantum volumen, Cynegetica tenens, prodiit. Codicis Veneti lectiones a Santenio secum communicatas Belinus habuit, sed egregias lectiones praetermisit; easdem a Viro generos. et litterarum inprimis orientalium scientissimo Henr. Frid. de Diez 41) accepit Schneiderus. In Halieuticis idem cod.

---

39) *Ὀππιανοῦ Κυνηγετικὰ καὶ Ἁλιευτικά. Oppiani Cynegetica et Halieutica. Ad fidem librorum scriptorum emendavit Ioannes Gottlob Schneider*, Saxo. Accedunt versiones latinae metrica et prosaica, plurima anecdota et index Graecitatis. Lipsiae apud I. A. G. Weigel. MDCCCXIII. Inpressit B. G. Teubner. XVI. 250. 98. pp. 8. mai.

40) Nunc codicum fidem in verbis poëtae constituendis sequutus est, nisi ubi verba manifesto vitiosa medicinam flagitarent; quod aliter olim in ed. Arg. factum est.

41) Ad hunc enim omnem Santenii supellectilem librorum mss. transiisse constat et diserte a Schneid. narratur.

Mosquensis a Matthaeo excerptam varietatem adhibuit. His novis subsidiis et iudicii aetate et exercitatione subacti auxilio ita usum se in his carminibus emendandis ait, ut satis nunc utrumque emendatum esse pronunciet. Duo argumenta, ex ipsis carminibus desumta, editorem olim permoverant, ut Cynegeticorum auctorem ab Halieuticorum parente diversum esse censeret. Nam Halieuticorum auctor Oppianus Anazarbensis Cilix dicitur, sed Cynegg. poëta (125. ss. 156. s.) Apameam patriam indicat. In priori loco nullo modo cum Belino pro ἐμὴν legi posse ἔβη, nec altero ὑμετέρης, ostenditur. Neque meliora sunt, quae Belinus alteri argumento, ducto ex Athen. I, p. 13. [42]) respondit, ut dissensum illum tolleret. Ipsum enim ingenium utriusque poëtae plane diversum est et sermonis usus discrepat. „Carmen de piscatione, elegans et concinnum et satis puro sermone conscriptum, non potuit ab eodem illo iuvene, qui aetatem annorum XXX. tantum attigisse dicitur, proficisci, qui postea dicitur carmen de venatione conscriptum Caracallae obtulisse, durum, inconcinnum, forma tota incompositum, et saepissime ab ingenio, usu et analogia graeci sermonis abhorrens. Atque etiam si sumas, id quod viri docti non concedent, carmen de venatione prius scriptum fuisse, tamen est vix credibile, in eodem iuvenili ingenio subito tantam esse mutationem factam, ut sermoni semibarbaro et ab omni elegantia sensuque veri remoto dictio satis pura et elegans cum iudicio limato sensuque pulcri et veri satis acri succederet. Neque enim hic primus fuit ingenii conatus, sed antea scripserat bellum a Severo contra Parthos gestum captamque Ctesiphontem [43]).“ Breves, quae additae sunt, adnotationes pleraeque sunt criticae, paucae ad rariorem vo-

---

42) Ubi Oppianus dicitur *ὀλίγον πρὸ ἡμῶν γενόμενος*, sed alibi (XII, p. 537.) Commodus imp. appellatur *ὁ καθ᾽ ἡμᾶς γενόμενος*. Quamquam Halieutica Antonino Caracallae, vivo adhuc patre Severo, Cynegetica eidem, mortuo patre, oblata dicuntur.

43) Ita enim Cyneg. I, 31. interpretatus nunc est editor et sua quam olim protulerat interpretatione, et Belini explicatione repudiata.

cabulorum usum spectant [44]), nonnullae, maxime in Halieut., ad historiam naturalem. Subiecta est poëtica Cynegeticorum paraphrasis a *Dav. Peifero* I. C. a. 1555. composita et ex apographo [45]) edita. Secundum volumen versionem utriusque carminis prosaicam, novae recensioni accommodatam, plurima anecdota ad Oppianum illustrandum et emendandum, quae partim Schneidero ipsi, partim Peyrono, Taurinensi philologo, debentur, et graecitatis indicem plenissimum complectetur. Haec, qui illud volumen curabit, *Schaeferus* in Epilogo significavit [46]).

Unam liceat scriptoris graeci serioris editionem recentissimam addere, aliis proximo fasciculo servatis, quoniam novis et diligentissimis curis expolita est:

Ἰαμβλίχου Χαλκιδέως τῆς Κοιλῆς Συρίας Λόγος προτρεπτικὸς εἰς Φιλοσοφίαν. *Iamblichi Chalcidensis ex Coele-Syria Adhortatio ad philosophiam.* Textum ad fidem codd. mss recensuit, interpretatione latina partim nova et animadversionibus instruxit M. *Theophilus Kiessling*, Scholae episc. Cizensis Conrector. Lipsiae, MDCCCXIII. Sumt. Vogelii, XVI. 388. pp. 8. mai.

Librum Iamblichi virtute sua et praestantia antiquis non esse parem, et tertiam eius propemodum partem ex Platonis Dialogis, satis negligenter, exscriptam esse, neque ex eo multam philosophiae Pythagorico-platonicae affundi lucem posse et constat et editor doctissimus mo-

---

44) V. c. quod voc. βέβηλος *pervium*, *frequentatum* significat, ad Cyneg. II, 208.

45) Autographum num adhuc supersit et ubinam lateat, incertum est.

46) In qua etiam laudatur, et recte, Weigelius, qui raro inter bibliopolas exemplo in summa temporum rei librariae paene letiferorum infelicitate de optimis litteris bene mereri pergit, et Teubnerus, qui inter novitios nostrae urbis est typographos, sed artem suam tam perite, eleganter et strenue factitat, ut veteranis palmam brevi dubiam redditurus videatur.

nuit. Insunt tamen plura, quae philosophiae neo-platonicae interpretibus cognoscenda sint, et utiliter comparari multa loca cum Platonis, unde ducta sunt, scriptis possunt. Praeterea ita una Arcerii editio [47]) comparata fuit, ut liber pro non edito haberi posset. Nam Fabricii et Hemsterhusii consilia hunc librum edendi, destituta sunt eventu, nec quid factum sit copiis, quas collegerant, constat. Earum tamen parte uti licuit nostro editori. Nam in bibl. episc. Cizensi est codex forma maxima in charta solida et laevigata bene et scriptus et conservatus, ita inscriptus [48]): *Ἰαμβλίχου χαλκιδέως λόγοι περὶ τῆς πυθαγορικῆς αἱρέσεως· α) περὶ τοῦ πυθαγορικοῦ βίου. β) προτρεπτικὸς ἐπὶ φιλοσοφίαν. γ) περὶ τῆς κοινῆς μαθηματικῆς ἐπιστήμης. δ) περὶ τῆς Νικομάχου ἀριθμητικῆς εἰσαγωγῆς, ὃς περιέχει καὶ περὶ ἀριθμητικῆς ἐπιστήμης καὶ περὶ γεωμετρίας καὶ περὶ μουσικῆς τῆς πυθαγορείου.* Codex non est, ut nonnullis visum, e cod. bibl. Marcianae descriptus; ex Italia a Schroetero, Prof. Ien. ad Reinesium devenit, et cum Reinesii libris in Cizensem bibliothecam demigravit. Hemsterhusius eum contulit et collationem a se factam cum Valckenario communicavit. Praeter hunc codicem ad manus editori fuerunt lectiones codicis Paris. cum coniecturis et emendationibus viri docti [49]), adscriptae exemplo edit. Arcerii, quod in bibl. Senat. Lips. servatur, et in quod a viro quodam docto [50]) translata sunt, quaecunque codici

---

47) Est enim ea in pessimis, quae unquam vulgatae sunt, vett. auctorum edd. sive contextum sive latinam interpretationem spectemus.

48) De eo codice accurate exposuerat, variasque lectiones inde ad *Προτρεπτικὸν* protulerat: *Notitia et Recensio codd. mss. qui in bibl. episcopatus Numburgo-Cizensis asservantur. Particula* IV. qua ad oratiunculas — d. XXI. Maii cIↃIↃcccxi. — habendas — invitat M. *Chr. Gottfr. Müller*, Rector. Lipsiae ex off. Breitkopf. Haertelia, 23. pp. 8. De tribus prioribus particulis dictum est in Actis I, p. 428.

49) Iosephus Scaliger esse putatur.

50) Mathur. Veyss. la Croze aut M. Udalr. Ludov. Crellium esse, suspicantur.

Iamblichi Berolinensi (in bibl. regia inter Spanhemii libros) adscripserat Nic. Rigaltius. His copiis ita est editor summa fide usus in textu castigando, ut non multa loca supersint, quae parum sana videantur. Nam interdum etiam ex coniectura mutavit textum, uti parata subsidia eum destituerunt, et aperte corrupta erat vulgata lectio. Quarum quidem mutationum, et lectionum codd., in notis diligentissima est facta mentio. In vertendo scriptore hoc sequutus est ut et fida et satis latina, nec nimis libera, esset interpretatio. Accesserunt e cod. Ciz. capitum summaria, quae in ed. Arcer. omissa sunt, cum Cod. Par. varietate. In locis etiam Platon., quae laudantur, saepius codd. aliam exhibent scripturam, quam quae in ed. Arc. fuit, et aut consentiunt cum editis Plat. libris aut ab iis discrepant. Animadversiones editoris, qui diligentem in hoc libro posuit operam et utilem, pleraeque criticae [51]) sunt, nonnullae ad vocabulorum [52]) rerumque [53]) illustrationem spectantes. Subiectus est notabiliorum verborum et locutionum in Iambl. index.

Parisina Phaedri fabularum editio, quam p. 206. indicavimus, nunc ad nos pervenit [54]). Editor, quem ignoramus, certissime sibi persuasit, recens editas fabulas esse genuinas. Argumenta, iam in superius excerpta disputatione satis confutata, haec sunt: 1. Perotto eas adscribi non posse, quum huic Sipontino archiepiscopo

---

51) Consulti etiam sunt alii Critici, omissum tamen p. 133., *ὑπ' αὐγὰς* iam Wyttenbach. ad Plat. Phaed. p. 171. e cod. Memm. et Reg. emendasse.

52) Ut de voc. *ἐπιβολαὶ* et *ἐπιβλητικαὶ νοήσεις* p. 44. *ἀποῤῥύπτεσθαι* p. 339.

53) Ut p. 322. symboli Pythagor.: *ἀνυπόδητος θῦε καὶ προσκύνει.*

54) *Iulii Phaedri Fabulae novae et veteres: novae iuxta collatas Cassitti et Iannelii editiones Neapoli nuper emissas; veteres iuxta accuratissimam editionem Bipontinam, cum selectis doctissimi Viri Schwabe ex commentario notis.* Ex typis Leblanc. Parisiis, H. Nicolle, via sequanaea N. 12. MDCCCXII. XVI. 194. pp. 8.

mensa viderentur, collegissemus omnia cum iisque contendissemus. Ita factum est, ut multos locos aliis, quamquibus antea, cum in antiquioribus editionibus, tum ipsius huius volumine primo, conscribendos nobis esse metris intelligeremus." Et praeter ea, quae ad iambicum, trochaicum, aliaque simplicis genera pertinent, et in indice rerum memorabb. nominata sunt, recensuit in praef. T. IV. non pauciora quam XXVI. asynarteta metra, quae sibi in Plauti fabb. reperisse visus est, quorum plerisque et potioribus saepe Plautum uti, reliqua autem propterea repudianda esse ait, quod aut semel aut rarius usurpata inveniantur, neque temere mutanda. „Nam id quidem, inquit, cuivis metrico perfacile est, addendo, demendo, transponendo, mutando denique poëtae verba, quocunque modo libuerit, formare et reformare; sed eiusmodi remedia, quae quidem ipsi olim male adhibuimus, nemo unquam rei peritus approbaverit." Veremur vero, ne plures, quas fecit editor, textus mutationes, codicum auctoritate destitutae, numerorum Plautinorum peritis iudicibus improbentur. Ipse in animadversionibus nonnullas retractavit, alias proposuit. Caeterum textis metra adscripta sunt, litteris vocabulorum initialibus positis. Editionem ipsam criticam appellare licet, quae quamquam superioribus praestat et ad emendandum interpretandumque Plautum multa utiliter contulit, tamen optandum est, ut, metrico Plauti studio diligentius continuato et adhibitis pluribus praesidiis, lectio eius certius aliquando constituatur et explicetur uberius.

Terentium ex codice Halensi antiquissimo, aliis etiam ditatum ornamentis, *Brunsius* V. Cel. edidit [59]. Codicem illum etsi nonnulli VV. DD. laudaverunt, tamen nullus recentiorum editorum in usum adhibuit, vi-

59) *P. Terentii Afri Comoediae sex. Textum ad fidem codicis Halensis antiquissimi* criticis nondum cogniti *edidit*, variam editionum lectionem annotavit, *Scholia* a vulgatis diversa *ex eodem codice descripsit*, et Cel. *Ruhnkenii* dictata in Terentium necdum typis impressa adiecit D. *Paulus Iacobus Bruns*, Philos. P. O. in Acad. Halensi. *Tomus* I. Andria. Eunuchus. Heautontimorumenos. Halae in libr. Renger. MDCCCXI. XXXII. 366 pp. 8 mai. *Tomus* II. Adelphi. Hecyra. Phormio. 274 pp. cum tab. aen.

deturque plerosque latuisse. Fuit ille olim peculium Henrici Ellenbergeri, medici saeculo XVII. clari, ex cuius bibliotheca eum sibi comparavit nepos, Melchior Redel, consul patriae urbis, mortuus a. 1691, et bibliothecae patriae inferri iussit. Continet in membrana satis crassa, folio minori, VI. Ter. comoedias, nullo versuum interstitio, praeter argumentum et prologum Andriae, prologum Eunuchi et Heautont. II, 4, 1 — 14, quae omnia versibus distincta sunt. In uno Eunucho lacuna est unius folii (IV, 3, 16. — 6, 21.) in hac edit. ex Zeun. ed. suppleta. Vita poëtae plenior et accuratior praemissa est, quam quae in edd. adhuc legebatur, et auctorem eius Eugraphium, qui saec. X. floruit, esse, editor suspicatur. Actus et scenae non disertis verbis, sed initialibus litteris maioribus et spatio quodam notantur; litterae, quibus codex est scriptus [60]), sunt minusculae, erectae, saeculi X. vel XI., interdum maiusculae s. unciales, quarum tria genera distingui possunt; compendia scribendi nec adeo multa sunt nec sequiorem produnt aetatem, contra alia sunt illius, quam diximus, aetatis indicia. Recentior tamen manus multa per totum codicem mutavit. Scholiis [61]) s. glossematis, maximam partem ab ipso scriba additis [62]), repletus est codex, iisque recipiendis margo codicis iam ab initio destinatus esse videtur. Non solum ea explicant verba poëtae, sed etiam varias lectiones aliorum codicum, id quod interdum diserte dicitur, continent. Quum, qui hactenus collati sunt ab editoribus Terentii codices, non satis accurate sint indicati, cum nullo eorum recte comparari potest. Superesse codices alios, quibus scholia et glossemata ab editis diversa contineantur, editor in praef. ostendit. Eius generis codex olim Guelpherbyti erat, diversus a duobus illis, quos in Bothii gratiam contulit Gesenius, V. Cl.; alium possidebat Niclasius, Lune-

60) Specimen codicis in tabula aenea adiecta est propositum.

61) Auctorem eorum Donato et Eugraphio iuniorem esse, patet inde, quod hos ipse laudat.

62) Id in praef. p. XVIII. XX. ss. confirmatur.

L. II. Satir. alia manu, quam prior. In fine Epod. legitur illa subscriptio, quam in duobus codd. invenit Bentleius, et ita supplevit: „Vettius Agorius [69]) Basilius Mavortius vir clarissimus et inlustris, ex comite domestico, ex consule ordinario, legi et ut potui emendavi, conferente mihi magistro Felice, oratore urbis Romae.“ Glossis et scholiis auctus est Codex, qui praestantissimis adnumeratur. — φ. N. 7974. Cod. membr. saec. XI. in fol. min. olim Puteanus, qui conspirat in ordine poëmatum Hor. et in lectionibus fere cum cod. B., ita ut uterque ex eodem antiquiori fonte fluxisse iudicetur. Adsunt vestigia alius manus, eiusque correctricis. Scholia in hoc codice facilius legi possunt quam in superioribus codd., unde ea editor diligentius comparavit [70]). — γ. N. 7975. Cod. membr. saec. XI. in fol. min. continens omnia Horatii opera cum scholiis, non una eademque manu scriptus; insunt adeo folia saec. demum XVI. suppleta; interpositum inter Epp. et Satiras est folium, quod continet fragmenta Libri III. Mythologiae Fulgentii. — H. Cod. membr. in 4. saec. XII. Horatii opera [71]), cum scholiis quae pleraque recentiori manu scripta videntur. Hunc codicem et quatuor sequentes editor tantum in nonnullis locis consuluit. — I. N. 7977. Cod. membr. saec. XII. in fol. olim Nic. de Clemangis, postea Colbertinus, continens Hor. opera (eo ordine, quo antiquiores codd.) cum scholiis, et praeterea tres Hor. vitas, et fragmenta Tractatus de metris Horat. — M. N. 7979. cod. membr. saec. XII. olim Colbert. Horatii *Carmina*, Ars poëtica, et Satirae (excerptis 29. versibus postremis satirae VII. libri II. et integra VIII. satira) cum glossis. (Epistolarum locum replent fragmenta quaedam Lucani.) Nonnullas bonas lectiones codex obtulit. — N. n. 8212. Cod. membr. saec. XIII. in 8. mai. olim

69) Is a. Chr. 527. Consul sine collega fuit et videtur ea antiquissima odarum recensio fuisse.

70) Observatur autem praestantissimos codices contaminatos esse absonis scholiis, inter quae tamen etiam egregiae observationes leguntur.

71) In cod. γ, H et N. Satirae ante Epistolas leguntur.

Mazarinaeus, omnia Hor. opera continens [72]), inter meliores codd. eius saeculi numerandus. — O. N. 8213. Cod. membr. saec. XII. olim Mazarinaeus in 4. continens omnia Hor. opera et admodum correctus, idem cum eo, quem Lambinus Iannoctianum appellat. Poëmata Hor. leguntur antiquo ordine. — *P*. N. 8214. Cod. membr. in 8. saec. XIII., olim Colbert. Horatii opera cum glossis et scholiis habet, una manu scriptus est, plerumque cum B. consentit et melioribus libris accensendus est. Editor hunc et quinque seqq. accurate contulit. — *Q*. N. 8215. Cod. saec. XIII. membr. in 8. olim Bigotianus, exigui pretii, continet Horat. opera omnia, sed desunt 27. priores odae et 24. primi versus odae 28. libri I. — *R*. Cod. 8216. membr. in 8. saec. XIII. olim Colbert., ductus haud dubie ex antiquiore et bono libro [73]), quare etiam cum vetustissimis saepe conspirat et nonnullas habet proprias, neque spernendas, lectiones. — *S*. N. 8217. Cod. membr. in 8. saeculi XIII. sive potius, ut censet editor, XIV. olim Colbert., in quo duplex discernitur manus, scribae eiusque imperiti, et correctoris, non multo magis intelligentis. Nonnullae tamen lectiones docent, ex admodum vetusto nescimus quo libro esse hunc ductum. Continet Hor. opera cum gloss. et scholiis, sed non integra. Nam Epod. liber desinit in 14. versu carminis 11. Satirarum primus liber a v. 88. Serm. 3. incipit et desinit in v. 317. tertii Serm. libri II. Ars poëtica prorsus desideratur. — *T*. N. 8219. Cod. membr. saec. XIV. olim Lud. de Targny, admodum vitiosus (quamquam vitia nonnulli librarii sunt a correctore emendata), verum e bono fonte ductus, unde interdum cum A. consentit et habet etiam proprias, neque malas, lectiones. Continet Odas (quibus finis libri I. inde a v. 7. Od. 24. et initium secundi usque ad

---

72) Duo folia Od. III, 14. — IV, 3. continentia inter epistolas transposita sunt. Desunt tamen aliquot odae.

73) Unde etiam Epistolae leguntur ante Sermones, ut in antiquissimis libris, et subscriptio Vettii Agorii eadem est quae in cod. E.

v. 14. Od. 8. deest), Epod., Carmen saec., Artem poët. librum I. Sat. usque ad v. 17. Sermonis noni. Reliqua cum epp desiderantur. — *V*. Cod. Vaticanus (in bibl. Imper. translatus) N. 3260. in 8 saeculi XI. (sive ex sententia editoris XII., quamquam nonnulli antiquiorem faciunt) egregius, ex antiquissimo fonte ductus, inter lineas adscriptis variis lectionibus et emendationibus, in marginibus scholiis, quorum magna pars et utilissima e-t et in editis non legitur. Hunc codicum adhibitorum ab editore recensum excerpsimus, quo et comparatio cum aliis codicibus hactenus consultis[74]) institui possit et cognoscatur, qui codices Parisini ad caeteros Hor. libros conferendi sint, quamquam, ut hoc ab ipso editore fiat, neque eius opera subsistat in lyricis poëtae carminibus, optamus. Valartius quidem in praef. suae Hor editionis (Lut. Par. 1770.) gloriatus erat, se LXXVI. codices Hor. contulisse, quorum sexaginta adserventur in bibliotheca tum Regia; sed Viri docti existimarunt, eum ne unum quidem contulisse. Vanderburgius censet, eum duo certe codices obiter inspexisse, in bibl. autem Regia tum non fuisse nisi XLIII. codices; horum autem ipse noluit conferre eos, qui saec. XV. demum scripti sunt (quamquam et in his esse possunt, qui ex antiquioribus et optimis descripti sint exemplis), sed tantum antiquiores, quos diximus XVIII. Ex iis autem non tantum scripturae varietatem ad duo priores libros p. 413—422. edidit (omis-

---

74) Nuper Romanos codices *Carolus Fea*, V. C. contulit, sed de codicibus ipsis, eorum numero et ingenio nihil dixit, varietatem satis copiosam inde attulit, et nonnullas lectiones in texta recepit, qua de re alio tempore dicetur. Editio inscripta est: *Quincti Horatii Flacci Opera ad Mss. Codices Vaticanos, Chisianos, Angelicos, Barberinos, Gregorianos, Vallicellanos aliosque plurimis in locis emendavit notisque illustravit praesertim in his, quae Romanas antiquitates spectant, Carolus Fea*, I. C. Biblioth. Chisianae et Romanar. antiqu. Praefectus. *Editio Romana prima post principem*. Romae, Franc. Bourlie. Anno MDCCCXI. Prostant apud haeredes Raggi, bibliopolas. *Tomi duo*. 8. Interdum editor suas etiam coniecturas recepit. Praecipua huius edit. varietas excerpta est in ephh. litt. Lips. 1812. n 282. p. 2250. s. Idem Fea simili modo Catullum, Tibullum et Propertium edet.

sis tamen, ut videtur, multis vanis ac vitiosis lectionibus), atque glossemata s. scholia, hactenus inedita, sed ex cod. Vatic. etiam Horatii vitam novam praemisit editioni suae. Velimus ex cod. B. paucisque aliis etiam tractatum de variis metrorum Hor. generibus ab eo editum esse, quum ipse significet (p. 391.) Cruquium, qui e codd. Bland. edidit, saepe mutasse. Codicum autem illorum et editionum vel veterum nonnullarum vel recentiorum et criticarum praesidio usus est ita, ut rarius vulgatum textum, quem verecunde tractat, mutaret, nec nisi tum, quum aut sensus aut metricae leges aut codicum tantum non omnium consensus iuberet, in eligendis autem codicum lectionibus sequeretur eas, quas et antiquissimi et plurimi codices suppeditassent, emendationes autem ex mera coniectura factas repudiaret. Duplicis vero generis notas adiecit, alias breviores cum criticas, tum exegeticas cuivis odae subiecit, alias longiores in calce posuit. In his uberius quaeritur ab initio de ordine quo libri tres priores odarum fuerint evulgati, tum de quarundam odarum argumentis, de nonnullorum locorum sensu et lectione, atque etiam scholia quaedam codicum copiosiora afferuntur. In versione conficienda hoc Vir eruditissimus spectavit, ut ea verbis poëtae, quantum diversitas utriusque linguae pateretur, quam maxime responderet.

Ex Italia duo ad nos perlati sunt nuncii de novis, quibus graecae litterae augebuntur, inventis. Alterum attulit ad nos *Caiëtanus Cattaneus*, Vir Ill., egregia antiquitatis scientia insignis, quum superiori aestate nos inviseret [75]), cui quidem Cl. *Maius*, bibliothecae Ambros. Mediol. mandaverat, ut specimen codicis Homerici, de quo statim dicetur, viris doctis, quos conveniret,

75) Itaque in ephh. litt. Lipss. 1812. n. 182. p. 1449. primum ea de re narratum est, ibique etiam Specimen codicis ex lapide accurate expressum est, praesente Cattaneo, postea idem in Götting. ephh. factum.

monstraret, eorumque sententiam de aetate codicis exquireret [76]. Quae Maius scripsit, haec sunt:

„*Philomeris de codice Iliadis vetustissimo.*

Iliadis fragmenta graeca antiquissima spectanda propono. Natura tam pretiosi codicis, qui in Mediolan. Ambrosiana bibliotheca servatur, huiusmodi est. Liber membraneus foliis minoribus LI. constans, quorum pars antica coloratam picturam exhibet, Iliacum aliquod facinus repraesentantem, postica vero bombycinis chartis obtegebatur, quae aliquot rhapsodiarum argumenta, plerumque tamen scholia Homerica graeca continent. Haec est libri facies, qua olim inspecta ita codicem Montfauconius descripsit [77]: *Historia Iliados Homeri in codice membranaceo* XI. *saeculi soluta oratione graece scripta cum tabellis miniatis gesta repraesentantibus.* Scilicet vir caeteroquin magnus nec Homericos versus post picturas esse sensit, nec bombycinas chartas a membranis distinxit: scholia vero cum rara aliquo rhapsodiarum argumento Iliadem soluta oratione scriptam putavit. Codicem denique ad XI. saeculum diserte retulit, quum reapse et membranea fragmenta longe sint antiquiora et bombycinae contra pagellae ad seriora XI. saeculo pertinere videantur. Nos membraneum codicem a bombycino separavimus, homericos versus descripsimus fere octingentos, cum insigni variantium lectionum copia, scholia cum editis contulimus, quaeque inedita sunt, diligenter notavimus. Picturas et genere et aetate commendabiles eximias quidam eius artis Professor peculiari scripto illustrabit. Editionis, quam strenue urgemus, haec erit ratio:

Brevibus Prolegomenis historiam codicis dissertationemque de eius carmine, variantibus lectionibus, splendida

---

76) Hac opportunitate monemus, quum Scholia a Villoisono ad Iliadem e codd. Venetis non accurate satis edita essent, novam nuper instituisse, quum Lutetiae esset, collationem Cl. Beckerum, Berolinensem Professorem, atque insignem varietatem inde excerpsisse, quam secum Berolinum ad Vuolfium, V. Ill., detulit.

77) Diar. Ital. p. 12. Item Bibl. Mss. T. I. p. 529. D. ex eoque Harles. Bibl. Gr. Fabric. T. I. p. 411.

calligraphia, glossis, aetate, atque aliis huiusmodi, tum etiam de Homericis multis Ambrosianae bibl. codicibus complectemur. Sequentur LII. carminum Fragmenta (nam quintum et vicesimum folium duo habet), aeneis excusa tabulis, picturaeque totidem peritissima manu solis lineis deformatae. Attexam criticas ad unamquamque particulam carminis animadversiones. Quarto loco ineditorum in Iliadem scholiorum mantissam addam, tum ex bombycinis quas superius nominavi plagulis, tum longe plurium ex aliis Ambrosianae bibl. manuscriptis. Quinto loco perutilem lectionum a vulgato Homerico textu discrepantium ex Ambrosianis item codicibus segetem dabimus. His omnibus pictoris excellentissimi Lucubratio de picturarum, quas exhibemus, ratione, praestantia atque aetate cumulum imponet.

Et nos quidem perpensis diu rerum momentis in eam sententiam plane venimus *Ambrosianae Iliadis Fragmenta esse codicem homericorum omnium, qui modo sunt cogniti, antiquissimum*. Tanti tamen *κειμηλιου* aetatem pressius definire nondum audemus: quamvis ante mille saltem et quadringentos annos scriptum suspicemur [78]. — Mediolani ex aedibus bibl. Ambross. Kal. April. MDCCCXII." His subiunxit Maius specimen cum suis obss. hoc:

„Ex Fragmento XXII. Iliad. Libr. v. 286—290.

ΩΣ ΕΦΑΘ· ῾Η ΔΕ ΜΟΛΟΥΣΑ ΠΟΤΙ ΜΕΓΑΡ᾽ ΑΜΦΙΠΟΛΟΙΣΙ ΚΕΚΛΕΤΟ· ΤΑΙ 1) Δ᾽ ΑΡ᾽ ΑΟΛΛΙΣΑΝ ΚΑΤΑ ΑΣΤΥ ΓΕΡΑΙΑΣ 2) Η Δ᾽ ΕΙΣ ΟΙΚΟΝ ΙΟΥΣΑ ΠΑΡΙΣΤΑΤΟ ΦΩΡΙΑΜΟΙΣΙΝ νόθος στιχός. αυτη *ΕΝΘ᾽ ΕΣΑΝ 3) ΟΙ ΠΕΠΛΟΙ ΠΑΜΠΟΙΚΙΛΟΙ ΕΡΓΑ ΓΥΝΑΙΚΩΝ ΣΙΔΟΝΙΩΝ· ΑΣ ΑΥΤΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΘΕΟΕΙΔΗΣ.*

1) *ται* optima lectio pro *και*. Sic Ms. ap. Ern. quod quin verum sit, addit ille, dubitari non potest. Nam *και* valde languet. Cum Ambros. *ται* consentiunt Flor. Heyn. Wolf. et cod. Ven. A. Lips. Wrat.

---

78) Hoc colligitur maxime ex litterarum maiuscula forma, inter quas *M* et *Ξ* ita se habent, uti in numis et titulis saeculi II. deprehenduntur. v. ephh. litt. Lips. l. l. p. 1452.

2). Hunc versum profert etiam cod. Wrat. b. Porro Schol. A. apud Villois. sic habet: *ἐν ταις Ἀρισαρχου Φερεται ἑτερως· η δ' εις οικον ιουσα παρισατο Φωριαμοισιν.* Lectio insignis, quae cum aliis, quas invenimus, plurimis satis confirmat, in Ambrosianis Fragmentis Aristarcheam recensionem exhiberi. Quare posteriorem manum nihil moramur, quae nothum fecit hunc versum. Iam *αυτη* est glossa articuli.

5) *ἐσάν οἱ* scriptum *ἐγκεκλιμένως*, ut vult magnus Heynius Tom. 5. p. 255."

Ex alio codice antiquo Ambrosianae bibliothecae a Mustoxyde, historiographo insularum Ionicarum, qui nuper Corcyrae historiam antiquam docte illustravit [79]), edita nuper est *Isocratis Oratio περὶ ἀντιδόσεως* [80]) cum supplemento satis longo, quod primum a Bandinio in cod. Florentino (cuius varietatem Mustoxydes addidit) deprehensum, nuper etiam in duobus codd. Vaticc. repertum est, quodque de philosophia, de mathematicarum litterarum utilitate, et de laudibus Timothei Athenn. ducis agit. Hanc editionem, sed emendatiorem et a vitiis, quae plurima insunt, purgatam repeti hoc ipso anno Turici iubebit V. Cl. *Ioh. Caspar de Orelli*, qui VI. annis in Italia vixit [81]), non autem idem est cum

---

79) Illustrazione Corcirese di *Andrea Mustoxidi* Istoriografo dell' Isole dell' Ionio. Tomo I. Milano, 1811. 8. Agitur hoc vol. de Corcyrae variis nominibus et historia usque ad Olymp. CXX.; tum tituli Corcyraei omnes usque ad Illyricum bellum adferuntur, in his etiam aliquot nunc primum editi. Adiectae sunt duae dissertatt. 1. de anno Corcyraeorum, 2. de ludis Corcyraeorum secundum Homerum.

80) *Ἰσοκράτους Λόγος περὶ τῆς ἀντιδόσεως ἤδη πρῶτον εἰς τὴν ἀρχαίαν γραφὴν διασκευαθεὶς καὶ ὀγδοήκοντα περί που σελίδας ἐπαυξηθεὶς σπουδῇ Ἀνδρέου Μουσοξύδου ἱσοριογράφου τῶν Ἰωνίων νήσων. Ἐν Μεδιολάνῳ ἐκ τῆς τυπογρ. I. I. Δεσεφάνου. ᾳ. ω. ι. β.* XIV. 163 pp. 8. Non satis diligenter in codice usurpando atque editione curanda editorem versatum esse, quod aliunde cognovimus, dolemus.

81) Edidit is librum de philologorum Italorum et paedagogorum saec. XV., Victorini Feltrensis, Guarini Veron. et Philelphi disciplina, sequutus Rosminium. (Vittorino

editore Fragmentorum Nicolai Damasc., addita vernacula versione et animadversionibus criticis tum in hanc orationem tum in alios scriptores classicos, atque etiam spem fecit appendicis variarum lectionum ex aliis codicibus Ambros. bibliothecae [82]).

Amisimus inde ab eo tempore, quo primus huius voluminis fascic. prodiit, aliquot egregios philologos, in his primum et tempore et dignitate et disciplina saluberrima, *Chr. Gottl. Heynium* [83]). Qui, quum Chemnicii

---

von Feltre, oder: die Annäherung zur idealen Pädagogik im 15. Jahrh. Nebst Nachrichten über die Methoden Guarino's und Filelfo's. Bearbeitet nach de Rosmini von Joh. Casp. von Orelli. Zür. 1812. 8.)

82) Eam tamen spem valde minuit nuperrime Vir clar. litteris ad nos datis, quibus significavit, se, quum Mediolani non vivat, nec codicem illum Isocratis, qui et alia nova continere dicitur, nec antiquum Platonis codicem, qui Eman. Chrysolorae fuit, conferre, ut constituerat, potuisse.

83) Petiimus ea quae sequuntur e duobus libellis: *Ad memoriam viri incomparabilis Csti. Gottl. Heynii*, Chemniciensis, Gottingae d. XIV. m. Sept. (Iulii) defuncti, in Lyceo patrio, cui inde ab a. cIↃIↃCCXLI. usque cIↃIↃCCXXXXVIII. operam dedit, ipso eius die natali, LXXXIIImo i. e. proximo XXVmo M. Sept. pie recolendam humanissime invitat *Frider. Liebegott Becherus*, Philos. D. AA. LL. Mag. — Lycei Chemn. Rector. Prolusionis causa insunt quaedam de b. Heynii vita iuvenili, ingenio, doctrina moribusque in suorum discipulorum gratiam repetita. Chemnicii 1812. Stannis Kretschmarii. 23. pp. 4. (Laudandum valde est hoc Becheri institutum, quod et meritis Heynii, popularis, et beneficiis in scholam patriam et adolescentium studiis ita mirifice excitandis debebatur. Recitatum in illis solemnibus est carmen latinum a *Kreyssigio*, quem supra laudavimus, Rectore Lycei Annaemont. in memoriam Heynii compositum et typis descriptum.) *Memoria Christiani Gottlob Heynii* commendata in Consessu Reg. Societ. Scient. ad d. XXIV. Oct. MDCCCXII. ab *Arn. Herm. Lud. Heeren.* Gottingae typ. Dieterich. 22. p. 4. Ab hoc celeberr. Heynii genero uberior vitae soceri enarratio exspectanda est.

d. XXV. Sept. a. MDCCXXIX. parentibus honestis sed inopibus natus esset, dura usus est iuventute, ita ut ipse ea de re scriberet: „ex omni mea iuvenili aetate, si eam memoria apud me repeto, nihil prorsus occurrit, quod iucundum memoratu sit. In summa egestate, in penuria omnium commodorum, quae vitam optabilem vel tolerabilem saltem reddunt, nil aliud expertus sum, quam aliorum iniurias ac oppressionem." Ex illis tamen calamitatibus nactus est animum bene firmatum, nullis fortunae casibus umquam fractum, et libertatis sensum, quem numquam postea abiecit. Litteris operam dedit in Lyceo Chemniciensi, magistris usus Beilio Conrectore, et Hagero Rectore, ultimo anno etiam Krebsio, Ernestinae disciplinae alumno, institutionis ratione nondum satis recte, ita tamen, comparata, ut et diligentia Heynii atque industria excitaretur, et ingenium eius conformaretur ad latinam poësin, cuius ope postea plurimos fautores et adiutores nactus est. In academia Lipsiensi inde ab a. XLVIII. per quadriennium commoratus, ibique potissimum I. A. Ernestii, Bachii, Christii, usus est disciplina, ex qua antiquitatis et artis antiquae, iuris Romani omninoque litterarum humanitatis omnium hausit meliorem cognitionem, ipse autem in legendis deinceps graecis scriptoribus pertinaci studio versatus ita est, ut corporis animique valetudinem in summum discrimen adduceret. A. LIII. parvo admodum stipendio inter custodes bibliothecae Brühliae, postea regiae, relatus est, quae res et plurimorum librorum usurpandorum et cognoscendorum egregiorum virorum, in his Winkelmanni, dedit ei opportunitatem. In oppugnatione et incendio Dresdensi anno saec. super. LX. duplicem accepit, domesticam ac litterariam, cladem libris scriptisque omnibus igni consumtis. Ediderat tum iam Tibullum (a. 1755.) et Epicteti enchiridion. Itaque cum aliquot annis post Ruhnkenius in academiam Gottingensem evocatus esset, maluisset autem in Batavis manere, huius commendatione Gesnero est successor datus Heynius, et, quum ex gravissimo morbo vix convaluisset, mense Iunio a. 1763. Gottingam adiit, ubi, quamquam curis malisque domesticis impeditus, tamen se totum novi muneris officiis dedit, quae et varia erant et insolita, Munchhusius autem, qui tum Georgiae Augustae suae

curam gerebat, ita familiariter uti coepit Heynio, in quo ingenium ad res agendas aptissimum, animum ad publica prius quam sua commoda curanda paratissimum, animadvertisset, ut in omnibus, quae academiam spectarent, vix quidquam sine eius consiliis susciperet. Quod quam salubriter et ipse et ii, quibus postea academiae cura erat demandata, fecerint, inter omnes constat. Critices studia tum inter Batavos inprimis vigebant, excellebantque summi Critici, quibus si Heynius emendandi sagacitate cessit, intactus tamen mansit ab eorum temeritate, qui antiquis scriptoribus non sua reddunt, sed aliena obtrudunt. Propria ei laus fuit in interpretandi arte. Ante eum non publice proposita bonae interpretationis exempla erant, quum editores vel in solis verbis formulisque illustrandis, vel in locis difficilioribus expediendis vel in enarrandis etiam copiose, quae omnes intelligebant, versarentur, silentio transirent, quae maxime explicanda essent. Primus Heynius, exemplis in Tibullo et Virgilio editis, docere voluit, quid sit interpretari poëtam. Accedebant scholae per tót annorum decursum habitae quibusque vel ipse auctores veteres explicuit vel in Seminario philologico suis auspiciis ab aliis explicari iussit. Praelectionibus autem suis omnem antiquitatis campum complexus est, etsi non omnem scriptis illustravit. His enim *mythica tempora* potissimum omnesque mythorum rationes tractavit ita, ut saniora proponeret quaeque omnem generis humani antiquissimam historiam rectius explicarent. Poëtarum interpretatione etiam ad artis priscae opera delatus est; erant tamen in ipsa viri indole, quae eum ad illa traherent. In quibus enarrandis Vuinkelmannum eruditionis iusta copia, iudicandi subtilitate et sensus pulcri veritate superavit, primusque fuit, qui haec studia in academicarum disciplinarum orbem in Germania reciperet. Editiones veterum auctorum, quas curavit, ita omnibus se probarunt, ut non modo apud nostros saepe, sed etiam apud exteros repeterentur [84],

---

84) Ita Virgilium ex editione tertia in Britannia (Londini 1793. IV. voll. 8.) repetitum habemus, et eundem in America septentrionali denuo excudi Heynio non diu ante obitum nunciatum est, de nova eius editione apud Parisios cogitari nuper innotuit.

d. XXV. Sept. a. MDCCXXIX. parentibus honestis sed inopibus natus esset, dura usus est iuventute, ita ut ipse ea de re scriberet: „ex omni mea iuvenili aetate, si eam memoria apud me repeto, nihil prorsus occurrit, quod iucundum memoratu sit. In summa egestate, in penuria omnium commodorum, quae vitam optabilem vel tolerabilem saltem reddunt, nil aliud expertus sum, quam aliorum iniurias ac oppressionem.“ Ex illis tamen calamitatibus nactus est animum bene firmatum, nullis fortunae casibus umquam fractum, et libertatis sensum, quem numquam postea abiecit. Litteris operam dedit in Lyceo Chemniciensi, magistris usus Beilio Conrectore, et Hagero Rectore, ultimo anno etiam Krebsio, Ernestinae disciplinae alumno, institutionis ratione nondum satis recte, ita tamen, comparata, ut et diligentia Heynii atque industria excitaretur, et ingenium eius conformaretur ad latinam poësin, cuius ope postea plurimos fautores et adiutores nactus est. In academia Lipsiensi inde ab a. XLVIII. per quadriennium commoratus, ibique potissimum I. A. Ernestii, Bachii, Christii, usus est disciplina, ex qua antiquitatis et artis antiquae, iuris Romani omninoque litterarum humanitatis omnium hausit meliorem cognitionem, ipse autem in legendis deinceps graecis scriptoribus pertinaci studio versatus ita est, ut corporis animique valetudinem in summum discrimen adduceret. A. LIII. parvo admodum stipendio inter custodes bibliothecae Brübliae, postea regiae, relatus est, quae res et plurimorum librorum usurpandorum et cognoscendorum egregiorum virorum, in his Winkelmanni, dedit ei opportunitatem. In oppugnatione et incendio Dresdensi anno saec. super. LX. duplicem accepit, domesticam ac litterariam, cladem libris scriptisque omnibus igni consumtis. Ediderat tum iam Tibullum (a. 1755.) et Epicteti enchiridion. Itaque cum aliquot annis post Ruhnkenius in academiam Gottingensem evocatus esset, maluisset autem in Batavis manere, huius commendatione Gesnero est successor datus Heynius, et, quum ex gravissimo morbo vix convaluisset, mense Iunio a. 1763. Gottingam adiit, ubi, quamquam curis malisque domesticis impeditus, tamen se totum novi muneris officiis dedit, quae et varia erant et insolita, Münchhusius autem, qui tum Georgiae Augustae suae

curam gerebat, ita familiariter uti coepit Heynio, in quo ingenium ad res agendas aptissimum, animum ad publica prius quam sua commoda curanda paratissimum, animadvertisset, ut in omnibus, quae academiam spectarent, vix quidquam sine eius consiliis susciperet. Quod quam salubriter et ipse et ii, quibus postea academiae cura erat demandata, fecerint, inter omnes constat. Critices studia tum inter Batavos inprimis vigebant, excellebantque summi Critici, quibus si Heynius emendandi sagacitate cessit, intactus tamen mansit ab eorum temeritate, qui antiquis scriptoribus non sua reddunt, sed aliena obtrudunt. Propria ei laus fuit in interpretandi arte. Ante eum non publice proposita bonae interpretationis exempla erant, quum editores vel in solis verbis formulisque illustrandis, vel in locis difficilioribus expediendis vel in enarrandis etiam copiose, quae omnes intelligebant, versarentur, silentio transirent, quae maxime explicanda essent. Primus Heynius, exemplis in Tibullo et Virgilio editis, docere voluit, quid sit interpretari poëtam. Accedebant scholae per tot annorum decursum habitae quibusque vel ipse auctores veteres explicuit vel in Seminario philologico suis auspiciis ab aliis explicari iussit. Praelectionibus autem suis omnem antiquitatis campum complexus est, etsi non omnem scriptis illustravit. His enim *mythica tempora* potissimum omnesque mythorum rationes tractavit ita, ut saniora proponeret quaeque omnem generis humani antiquissimam historiam rectius explicarent. Poëtarum interpretatione etiam ad artis priscae opera delatus est; erant tamen in ipsa viri indole, quae eum ad illa traherent. In quibus enarrandis Vuinkelmannum eruditionis iusta copia, iudicandi subtilitate et sensus pulcri veritate superavit, primusque fuit, qui haec studia in academicarum disciplinarum orbem in Germania reciperet. Editiones veterum auctorum, quas curavit, ita omnibus se probarunt, ut non modo apud nostros saepe, sed etiam apud exteros repeterentur [84],

---

84) Ita Virgilium ex editione tertia in Britannia (Londini 1793. IV. voll. 8.) repetitum habemus, et eundem in America septentrionali denuo excudi Heynio non diu ante obitum nunciatum est, de nova eius editione apud Parisios cogitari nuper innotuit.

nullam tamen reperi passus est, quin multa emendaret [85]). Non minora eius in societatem scientiarum Gottingensem quam in academiam fuerunt merita, quarum neutram sine altera stare posse censuit, illam amplificandis, hanc docendis litteris destinatam. Tria eius fuerunt in illo erudito sodalitio officia, sodalis (iam inde ab a LXIII.), commercii litterarii ac negotiorum expediendorum, et curae recensuum litterariorum sub auspicis Societatis prodeuntium, quibus officiis quanta cum industria quantaque cum laude satisfecerit per XLII. annos, nec quisquam ita rerum ignarus est quin sciat, nec ita malevolus ut negare audeat. Coniunxit autem haec quoque studia cum reliquis suis studiis. Contigit autem ei d. XIV. m. Jul. superioris anni repentina, sed admodum placida, mors, mane inter medios labores sedenti, et funus solemniter deductum est d. XVII. eiusd. m. [86]).

Aliquot mensibus post maximam fecimus iacturam in *Francisco Volcmaro Reinhardo* Theologo primario et concionatore aulico Dresdensi, d. VI. Sept, qui, quamquam mature ad theologicas litteras se potissimum applicuit, quibus quantum docendo scribendoque, quantum sanctissimae religioni ipsi orationibus sacris habendis profuerit, quantum Saxonicae ecclesiae curis suis consuluerit, norunt omnes, tamen et antea, quum optimas litteras Vitebergae profiteretur, antiquos auctores, inprimis philosophos veteres, perite tractavit et interpretatus est, id quod commentationes editae testantur [87]), et lectione veterum scriptorum ingenium alere perrexit, quod multa ex iis ad sacram doctrinam illustrandam

85) Ad Homeri quoque minorem editionem prelo iterum subiiciendam omnia ab eo praeparata sunt.

86) v. Ephemerr. litt. Gott. N. 121. a. super. unde separatim edita est: Nachricht von den Feyerlichkeiten bey der Beerdigung des Hrn. C. Gttl. Heyne — Gött. 1812. 16. pp. 4. Elegia etiam in eius obitum, academiae nomine, scripta et edita est a Mitscherlichio.

87) Ut comm. de veterum inductione ad locum Diog. Laert. III, 63. s. aliaeque quae in eius Opusculis academicis collectis editisque a Pölizio T. I. (Lips. 1808.) leguntur.

prolata docent [88]), et philologiam omnem eiusque instituta et cultores favore suo complexus est, quem ipsi experti sumus [89]), eamque cum theologiae studiis arctissime et utilissime coniungendam esse, monitis exemplisque suis ostendit. Memoria immortalis viri Dresdae, Lipsiae, in schola Portensi [90]), quam inprimis adamavit, aliisque locis celebrata multis modis et institutis est, exspectamusque vitas eius ab amicis tum Böttigero, Dresdensi archaeologo, tum Poelizio, Vitebergensis academiae Historico, VV. CC. edendas.

Nocte, quae inter 20. et 21. Jan. intercessit, Vimariae diem obiit octogenarius senex, *Christophorus Martinus Wilandus.* Natus erat Biberaci d. V. Sept. a. XXXIII. super. saec., et postquam, aliis muneribus antea gestis, philosophiam in academia Erfurtensi inde ab a. LXIX. sup. s. docuerat, Vimariam vocatus est a. LXXII., ut principis nunc regnantis studia regeret, ibique inde ab eo tempore versatus est, auctus titulo consiliarii aulici. Quantum autem non patrias tantum litteras emendaverit et ad clariorem dignitatem et elegantiam evexerit, sed veteres etiam, tum Attico Museo (de quo vol. I. p. 395. dictum est) tum versionibus Luciani, Horatii Sat. et Epp. inprimisque epistolarum Ciceronis, cui operi immortuus est, animadversionibusque adiectis, iuverit, non enarrare copiosius nunc licet. *Böttigeri* autem nostri addidimus Propempticon tanto lubentius, quo magis hoc, et Vuilandi cultoribus et antiquitatibus amatoribus probatum iri confisi sumus.

---

88) Tum in aliis libellis, tum in Doctrina morum Christiana.

89) v. Beck. de consiliis et ration. Sem. phil. p. 46.

90) Vidd. *Iusta caris manibus — Fr. Volkm. Reinhardi* SS. Theol. Doct. Sacrorum in aula Regia Dresd. antist. primarii, Consiliarii eccles. et collegii supremi quod res sacras et scholastt. per terras Sax. curat assessoris, a. d. VI. Sept. cIↃIↃcccxII. rebus humanis erepti, persoluta a. d. XVII. mens. eiusd. a Schola Provinc. Portensi. Leucopetrae. 4. Natus erat Reinhardus d. XII. M. Mart. a. LIII. super. saec. in Palatinatu.

Diis Manibus
Chr. Mart. Wilandi.

Quem, cum in vivis esset
Semper parentis loco habuit,
a. d. XII. Kalend. Febr. MDCCCXIII.
ad beatorum insulas transmittenti
Propempticon
C. A. Böttiger.
Tacit. Agric. 45.
Auget moestitiam, quod satiari vultu, complexu
non contigit.

Cippo sepulcrali in Cepotaphio Osmantino[91]) *affigenda.*

Hic plenos calathos exonerate
Charites!
Wilandum, Vostras delicias,
Haec tegit sine pondere terra.
Tu vero felix,
Vir praeconiis nostris maior,
Non vitae tantum claritate,
Sed opportunitate etiam mortis [92]),
Trisaeclisenex [93]),
Tribus, quibus literae vernaculae censentur, saeculis
Nomen immortale inscripsisti,
Poëtarum, quibus patria sese effert,
Chorage,
Sive inexhaustam in ingenii fetibus promendis ubertatem
Sive in flosculis undiquaque delibandis sollertiam felicissimam,
Seu limatissimam elegantiam spectemus,
Ingeniosissime,
Olor, Luscinia, Apis.

---

91) Osmanstädt, prope Vimariam, quod praedium olim fuit Vuilandi.

92) Tacit. Agr. 45.

93) Sic Nestor audit in fragmento Naevii ap. Gell. 19, 7.

Principis
Quem, fugientium literarum Statorem
Exosculatur Germaniae Genius,
Alumni olim *Tui*,
Favore eximio recreatus,
Ad extremam, quam mortalibus contingere fas est, metam
Aevum molle deduxi ti.
Cum fremerent tumultu omnia,
Horrida bella parturiret septentrio,
Cum Cicerone *Tuo*
Cui immortuus es
Illuc evolasti,
Ubi facta, quae displicerent, non audires [94].
Idem tumulus continet
Uxorem lectissimam
Puellamque, Sophiae *Tuae* neptem
Dilectissimam,
His ossa Tua accubant.
Anima pia, serena, defaecata
Qua candidiorem terra non tulit,
Adspirent *Tibi* aurae Elysiae [95],
Et in urna perpetuum ver!
Have [96].

---

94) Cic. ad Div. VII, 30.

95) Inscriptio Regillae Analect. T. II. p. 16. v. 22.

96) Hac opportunitate etiam describi quamquam minoribus litteris ab eodem V. C. scriptum titulum iussimus votivae tabulae, quam comiti Hopffgartenio, nuper d. VIII. Mart. nobis erepto, amicorum Regis principi, quum semisaecularia muneris celebraret, obtulerunt clientes.

„Bonum factum, cuius hodie semisaecularia celebrat civitatis gratulabundae omnis ordo, omnis magistratus, Illustrissimus comes G. Guil. ab Hopffgarten, regi a consiliis Saxoniae regundae sanctissimis, natus a. d. XVII. Febr. MDCCXL. hodie quinquaginta abhinc annos selectis iudicibus qui iuri per Saxoniam dicundo et disciplinae civitatis praesunt adscriptus primus ad rempublicam accessit, ab anno deinde MDCCLXXV. pro cancellario actum rerum administravit, anno MDCCLXXXIV. summi cancellarii provinciam nactus, ipsis deinde Saxoniae gubernaculis in Consilio principis sanctiore admotus est anno MDCCXCI., quod unum resta-

Die V. Febr. in Regiomontana academia, quae nuper etiam alios viros doctos immatura morte amisit, egregius litteris optimis vir, nobis amicus et sodalis, in ipso aetatis flore ereptus est *Car. Gottlob Augustus Erfurdtius*, Prof. ord. litt. vett. et Direct. Semin. philol. in acad. Regiom. Natus erat Sorbigii d. 11. m. Dec. a. LXXX. super. saec. et in orphanotropheo Halensi atque academia Vitebergensi, tum inde ab a. XCVIII. in Lipsiensi litteris theologicis et philologicis operam dedit, et apud nos quidem potissimum in philologia unice tractanda versatus est, adscriptus etiam philologicae societatis sodalibus. A. II. huius saeculi gymnasii Merseburgensis tertius magister, paulo post Conrector est constitutus, et triennio abhinc in academiam Regiom. est evocatus, ubi summa cum industria litteras bonas docuit. Scripta autem eius et laudavimus et manibus omnium, qui his litteris delectantur, versari scimus. Quum autem vix XXXIII annos natus tot ediderit tamque praeclara scripta, quid ab eo porro fuerit exspectandum et quantam fecerimus iacturam, existimari facile potest.

---

bat a MDCCCIV. ad clavum universae civitatis sedere iussus de rebus regni domesticis ad regem retulit, imaginum et meritorum luce inter paucos exsplendescens, regi fidem et industriam, clientibus aequitatem et integritatem, civibus summam sanctimoniam probavit, veri tenacissimus, iustitiae sacerdos castissimus, disciplinae severioris custos rigidus, in rebus novandis circumspectissimus, publicis commodis mirifice consuluit, in utraque fortuna sibi constans exemplar fuit christianae fortitudinis. Ergo quod e multis millibus vix uni contigit, favore regis optimi recreatus, connubiis faustissimis et numerosa subole beatus, vegetus alacrisque quinquaginta togatae militiae stipendia meritus, corona rutacea nuper a rege donatus, corona hodie caput cingit civica. Fave patria, plaudite cives; atque ut haec seni venerabili propria faxit deus o. m. votis piissimis caput suum obstrinxere et ut votorum memoria extaret tabella votiva in sacro pariete suspensa declaravere, quos a manu illi et interioris admissionis esse rex iussit, animam prius quam talis viri cultum, amorem gratumque in beneficia animum depossituri, patrono optimo clientes devotissimi, qui nomina subscripsere: Carolus Fridericus Beniamin Pietzsch, Fridericus David Grahl, Carolus Christianus Kohlschütter D., Iohannes Christophorus Kriebitzsch. a d. II. Decembris MDCCCXII.

Amisimus super. anno etiam eum, qui primus *criticam artem* in libris N. F. sacris recte et instituit et exercuit, postquam ea diu aut nullis erat aut parum certis legibus circumscripta, *Ioh. Iacobum Griesbachium*, primarium Theologum acad. Ienensis, natum Butzbaci in Hassiacis terris d. IV. Ian. a. XLV. qui inde ab a. LXXV. Ienensem academiam, theologiae Professor, ornavit, mortuusque est d. XXIV. m. Mart. a. XII. [97]). Praeter ipsam editionem N. T. criticam et maiorem et minorem, inprimis *Prolegomena*, quibus leges criticae proponuntur, *Symbolae criticae* (II. voll. 8.) quibus multa uberius exponuntur, et *Commentarius criticus* in N. T., cuius duae particulae, quae prodierunt, Matthaeum et Marcum complectuntur, alteri adiectis Meletematis de recensionibus N. T. quibus novis dubitationibus occurritur, consulenda sunt, ut, quantum ille laboribus plurium quam XL. annorum omnem criticam rationem mutaverit, intelligatur.

Duo *Seminaria philologica* superiori anno condita sunt [98]) *Monacense* et *Berolinense;* quorum, quae formula sit et lex, publice constituta, referemus:

Decretum Regium de Seminario philologico Monacensi a Comite de Montegelas, supremo regni Bavariae administro, iussu Regis Bav. editum Monachii V. Idus Martias MDCCCXII [99]).

Mm 2

---

97) De eius meritis et scriptis vernaculo sermone breviter exposuerunt nuper *Köthius* Prof. Ienensis, et *Augustius*, Vratislav. Acad. Theologus. Speramus autem fore, ut vita eius uberius enarretur.

98) In *Thierschii* Actis philol. Monacensium Vol. I. fasc. II. ab initio. Inde, verbo nullo mutato, repetiimus.

99) De *Seminario philologico Erlangensis academiae* nuper accurate exposuit *Geo. Wolfg. Augustinus Fikenscher*, Prof. historiae in gymn. Christiano — Ernest. Baruthi, in sua Descriptione principatus Baruthini (Statistik des Fürstenthums Bayreuth 1811.) Parte I. p. 340. ss. Ediderat iam a. 1795. Coburgi, *Historiae academiae Erlangensis Par-*

Quum Regiae Maiestatis beneficio *Seminarium philologicum*, studiorum in hac urbe Instituto coniungendum, tum ad studia philologiae in hoc ipso literarum ludo augenda, tum etiam ad eos, qui se antiquarum literarum praeceptores professuri sunt, rite et subtiliter excolendos decretum, idque administrandum *Thierschio* professori commissum sit, de illo ordinando stabiliendoque ea, quae sequuntur, accuratiora constituuntor:

1. Ex duplici Seminarii philol. officio, quo ex una parte omnino antiquitatis studium augere, ex altera eos bonarum artium studiosos, qui inprimis doctrina philologica excellentes ad ipsam disciplinam vetustarum literarum tradendam accinguntur, ita praeparare debet,

---

tem primam, duae aliae promissae non prodierunt, et, quum nec in alio eius libro (Vollständige akadem. Gelehrtengeschichte der Universität zu Erlangen — Nbg. 1806., drey Abtheilungen) ea historia ad finem perducta esset, praeclare factum est, quod in hac Descriptione Baruthinae terrae illius etiam academiae omniumque ibi institutorum plena est et accurata proposita descriptio inde a p. 317. Et Seminarium quidem philol. ibi a. LXXVII. super. saec. auctoribus *Theoph. Christoph. Harlesio*, Prof. eloq. et poës., venerando sene, et *Iunkhemio*, sacrorum Ansbac. antistite, auctoribus ita institutum est, ut ei usurae annuae capitis 2000 floren., praeter stipendia sodalium destinarentur (v. Harlesii Auspicia Seminarii philol.. Erlangae, 1777. 4. in Actis hist. eccl. Nov. temp. T. IV. p. 608. ss.). D. VIII. Nov. 1804. 80 floreni praemiis distribuendis constituti sunt; et quum primum octo, inde ab a. 1804. duodecim iuvenes, qui digni viderentur, Seminario adscripti essent, ut per quadriennium muneribus scholasticis praepararentur; nunc autem, reditibus imminutis, non nisi quinque Seminario adscripti sunt. Praescriptum ab initio erat, ut non reciperetur, nisi qui idoneis mentis facultatibus et iusta literarum scientia in ludis minoribus instructus esset, et ut quisque per quadriennium in Seminario maneret et cum theologiae studiis coniungeret philologiae studia et exercitationes. Inde ab a. 1805. etiam exteris et iuris studiosis licuit recipi. Stipendium cuiusque fuit primum 20, inde ab a. 1805. 25 florenorum, nunc rursus imminutum est, praeterea quisque gratuito fruitur convictu. Varia autem constituta sunt lectionum, exercitationum, disputationum, etiam publicarum, genera; de quibus copiosius a Fikenscherio exponitur.

ut etiam severiori iudici probentur, atque in academiam transgressi studium suum rite absolvere possint, sequitur, ut non solum iustae scholae philologicae explicentur et nonnullae scriptiones instituantur, sed ut exercitationibus illis disputationes accedant, quibus peritiores socii interesse iubentur, quo maior vis et gravitas his ipsis disputationibus et certaminibus ad defendendas rationes coortis addatur: id quod tum demum licet assequi, si praeceptori non cum solis tironibus agendum est, verum alii harum exercitationum peritiores corroboratique iuvenes ei adsunt. 2. Ad eam igitur normam varii labores et occupationes huius Instituti sociorum disponendi et dividendi sunt. 3. Ex eodem illo duplici officio, cui a Seminario philol. satisfieri oportet, duae classes eius sodalium constituuntor: priorem efficiant ii, qui subtiliori literarum antiquarum cognitione caeteris praestant, tum e supremae Gymnasii classis, tum ex Lycei discipulis ii, qui ad academicum studiorum curriculum ingrediendum sese praeparant: posteriorem paedagogii in hac urbe subpraefecti, et iuniores literarum antiquarum in nostris scholis praeceptores, comprobati publico examine, quod his, qui ad munera publica aspirant, subeundum est. 4. Prioris generis sodales prae ceteris iustis laboribus exerceri, posterioris tantum disputationibus assidere, scriptionesque, quae ad eas pertinent, elucubrare iubentur. 5. Ne sodalium ii, de quibus bene sperari debeat, adiumento et incitamento suo destituantur, binae stipendiorum classes Seminario philol. decernuntur: stipendia *centenorum* quotannis *florenorum* quae sodalibus adiumento, et *quinquagenorum*, quae incitamento esse volumus; de quibus conferendis et distribuendis haec iam praecipiuntur: 6. Illa eos Seminarii socios sublevanto, qui partim propter eximiam literarum antiquarum cognitionem singulari aliquo adiumento digni, partim propter rei familiaris angustiam tam indigentes sunt, ut ad victum sibi comparandum alios informando quotidie complures horas conterere cogantur. a) De largiendis stipendiis Seminarii Praefecto una cum huius studiorum Instituti Rectore ad supremam ministerii curiam referendum est. b) Haec stipendia tantum ita distribuuntor, ut ii, qui illis fruuntur, non plures, quam quot Seminarii Praefectus concesserit, infor-

mandos suscipiant, ne a suis ipsorum studiis laboribusque Seminarii philol. prohibeantur. c) Solvuntur etiam haec stipendia tertio quoque mense, quo magis ad victum sublevandum faciant. 7. Stipendia, quae incitamento esse volumus, iis attribuuntor sodalibus, qui per annum philologicas scriptiones diligentissime elaboraverint, plurimas et prae ceteris eximias lucubrationes confecerint, atque in examinibus, quae singulis annis exeuntibus in Seminario instituenda sunt, plurimum se profecisse ostenderint. a) Huius igitur generis stipendia anno elapso distribuuntor secundum examinis instituti eventum. b) Examen fiat praesente studiorum Instituti Rectore, cui etiam sententia a Seminarii Praefecto de largiundis stipendiis referenda cum sui ipsius rescriptione in supremam curiam transmittenda est. c) Secundi ordinis stipendiorum nonnulla etiam pro iis scholasticorum munerum candidatis proponi possunt, qui disputationibus assidendo et probatis scriptionibus, quae pro illis elucubratae sunt, excellunt. d) Stipendio primi ordinis dato via ad secundi adipiscendum non praecluditur. 8. In hunc annum [MDCCCXII.] pro rei necessitate stipendia decernuntur a) tria, quae adiumento, centum, b) sex, quae sociis incitamento esse volumus, quinquaginta florenorum singula. Ex his constitutionibus Seminarium philol. extemplo aperiendum est, hocque rescripto regio studiorum Instituti Gubernatio iubetur, hanc sententiam cum *Thierschio* professore communicare, et constituere, quae insuper necessaria et idonea videantur."

Leges philologico Seminario universitatis litt. Berolinensis scriptae et d. XXVIII. *Maii a.* MDCCCXII. *a Collegio quod sacra et institutionem iuventutis publicam curat*, *cuique Schuckmannus*, Vir generosiss., *praeest*, *editae* [100]).

1. Seminarium philologicum est institutum publicum cum academia ipsa coniunctum, cui propositum est, ut ii qui ad litteras, quae antiquitatem spectant, tractandas recte praeparati sunt, exercitationibus quantum fieri possit multiplicibus, quae in penetralia

---

100) Has e vernaculo sermone in latinum ipsi transtulimus.

illarum litterarum ducant, et quibusvis litterariis adiumentis amplius et ita formentur, ut per ipsos haec antiquitatis studia in posterum conserventur, propagentur, amplificenturque. 2. Inprimis igitur ii in Seminarium recipiendi sunt, qui philologiae operam unice dare constituerunt, non, qui alia quacunque disciplina profitenda et exercenda victum sibi olim quaesituri sunt. 3. Non recipietur, nisi is, qui antea saltem per dimidium annum huius aliusve academiae civis fuerit. 4. Recipietur autem severa exploratione instituta, postquam, qui Seminario adscribi cupit, specimen quoddam scriptum exhibuit, et de eo reliquaque eius litterarum necessariarum scientia et facultate examine a Directore instituti habito, idoneus qui adscriberetur repertus est. 5. Exteri, etiamsi in patriam reverti constituerint, aeque ac populares, recipientur, modo necessariis dotibus atque studio et ardore praecipue excellant. 6. Sodales ordinarii nunc quidem octo sunto; eorum autem numeri in posterum, pro rerum rationibus et consensu collegii quod sacra et institutionem publicam iuventutis curat, augeri poterunt. 7. Directori etiam permissum est, iis quibus nondum ordinariis Semin. sodalibus esse licet, sed exspectationem suorum studiorum bonam excitarunt, spem eius rei facere, eosque extra ordinem interesse exercitationibus iubere. 8. Munerum scholasticorum candidatis, quique his muneribus iam funguntur, quibus vel imperatum vel concessum a summis magistratibus est, ut aliquamdiu in academia suae litterarum scientiae augendae et perficiendae causa versarentur, si idonei ad eam rem fuerint, aditus ad Seminarium ita patet, ut ipsi quoque in societatem exercitationum, quibus sodales ordinarii utuntur, veniant. 9. Quemadmodum inhonesta et rudis vivendi agendique ratio, quae deesse ingenium literis ipsis dignum sensumque verae humanitatis docet, aditu ad Seminarium praecludit, ita eadem, ut, qui interest, excludatur, efficiet, et Directori licebit, unumquemque, qui aut male se gesserit, aut ineptus segnisve fuerit repertus, abesse a sodalitio iubere. 10. Seminario praeerit philologiae magister, qui idem ordinarius professor philosophorum ordinis in acad. Berol. erit. Annuum et stipendium 100 imperialium e reditibus acadd. constitutum est. 11. Exercitationes et labores

Seminarii, latino sermone omnes peragendi, erunt hi: a) accurata graecorum et latinorum auctorum vett. interpretatio, quacum critica ars coniuncta semper erit, binis per hebdomadem diebus; b) scriptae elaborationes et sermocinationes ac disputationes vel de locis auctorum vett. vel de aliis argumentis ex antiquitatis omnis scientia petitis. Ad scriptionem componendam octo hebdomades cuique sodali concedentur, sed ut iusto tempore ea exhibeatur, ita severe curabitur, ut, qui bis sine idonea excusatione officio defuerit, ideo excludi e Seminario possit. Scripta Director adservare iubetur, ut, si opus sit, suum de singulis sodalibus iudicium probare apud eos, quibus hoc postulandi ius est, possit. Bis per quaternas hebdd. vespere apud Directorem Semin. convenient Sodales, ita ut prima vice praelegantur eiusmodi scripta, et de iis, duce Directore, qui scripta aut ab omnibus deinceps sociis ordinariis aut a nonnullis legi iusserit, sententiae dicantur, iudicia ferantur et ita latine loquendo et disputando socii exerceantur; altera vice quaestiones proponantur de iis si quae ipsis obscura manserint in litteris quas tractant. Cuivis socio ordinario potestas fiet, tales quaestiones proponendi; sed quaternis officium hoc imponetur, ut unam quisque in quoque conventu quaestionem proponat. 12. Iis sociis, quorum insignes fuerint in his litteris progressus, in distribuendis stipendiis aliisque beneficiis academicis inprimis consuletur, et, ubi ea de re ad collegium, cui sacrorum publicaeque institutionis cura est, Director retulerit suamque sententiam speciminibus illorum additis confirmaverit, praemia ex acad. aerario decernentur. Et quum exspectari possit, Directorem ita sociorum studia esse moderaturum, ut quisque mature sibi eligat philologicum argumentum scripto, quod edi aliquando recte possit, pertractandum; iis sociis, qui in ipso exitu e Seminario, plerumque cum discessu ex academia coniuncto futuro, specimen diligentiae et eruditionis publice ediderint, sumtus ei typis mandando et summis honoribus in philoss. ordine consequendis impendendi reddentur. Ei rei ut et praemiis antea memoratis et remunerationi Directoris constituta est summa 500 imperialium, quotannis ex

academiae reditibus solvenda, quibus quidem praemia et reliquae impensae faciendae a Collegio ecclesiastico et scholastico, ex relatione Directoris, sub finem cuiusque semestris adsignabuntur. 13. Quotannis, finitis aestivis lectionibus, certe ante initium hibernarum, Seminarii Director litteris ad Collegium illud supremum missis uberius exponet de institutis exercitationibus, de Seminarii sodalibus, de iis qui inter eos emineant, additis eorum speciminibus, et de praemiis decretis. Adiungi poterit commendatio eorum, qui iam digni magistrorum muneribus reperiantur. Primam collegium exspectat de his omnibus relationem mense Augusto vel Septembri anni XIII.

Ex nostro Seminario post ea, de quibus T. I. p. 497. s. dictum est, tempora, discesserunt M. *Lud. Frid. Otto Baumgartenus Crusius*, in acad. Ienensi Professor theol. extra ordinem sed cum stipendio annuo constitutus, M. *Otto Mauritius Müllerus*, in gymnasium Züllichaviense ad optimas litteras tradendas vocatus, *Frider. Guilielm. Kessel*, Collaborator in schola elect. Misenensi m. Oct. superioris anni delectus, et *Gustavus Schneiderus*, qui in Helvetiam litterarum causa abiit. Nunc autem ordinarii Seminarii sodales sunt:

M. *Christianus Fridericus Illgenius*, Chemnicensis, qui brevi facultatem docendi in hac acad. sibi parabit,
M. *Gustavus Ferdinandus Lossius*, Lips. ad aed. D. Petri Conc. vespert.
Augustus Frankius, Ileburgensis,
M. *Carolus Frid. Adamus Beierus*, Servestanus,
Christianus Theoph. Helbigius, Zwiccaviensis,
Carol. Frid. August. Nobbius, Portensis,
Sigism. Iacobus Immanuel, Hamburgensis,
Frider. Iac. Gottlobus Müller, Lips.
Gustav. Adolph. Haraldus Stenzelius, Servestanus,
Iohannes Andreas Hercherus, Rudolstadiensis,
M. *Guilielmus Ern. Weberus*, Wimariensis,

Car. August. Rüdigerus, Ichstadio Thuringus.

Extra ordinem Seminario adscripti sunt:

Iohannes Ludovicus Rülingius, Merseburgensis,
Ernestus Frid. Poppo, Gubenensis,
Fridericus Heinzius, Gothanus,
Car. Gottlob Daniel Fellerus, Bischofswerdensis,
Ernestus Kästnerus, Vimariensis, qui nuper nomine Sociat. latinae Ienensis, cuius sodalis est, Animadversiones in quaedam Lucani et Propertii loca edidit.

Ab illis, quos antea dixi vel abiisse hinc vel nunc interesse Seminario tum tractata sunt interpretando, commentando et emendando, trinis fere semestribus, e graecis, Sophoclis Antigonae aliarumque fabularum chorica cantica, Euripidis Phoenissae et Orestes, Theocriti quaedam loca et epigrammata, Tyrtaei et Solonis Reliquiae, Thucydidis prooemium et Lib. I. pars, Platonis Crito, Aristotelis Ethicorum et Politicorum particulae, Luciani plures dialogi, e latinis Ciceronis Libri de Orat. et aliquot orationes (pro Archia, in Catil., p. Lege Manil.), Tibulli et Propertii Carmina, tum recitatae etiam, de quibus subtilius dissereretur, commentationes varii argumenti, ut de metris quibusdam, de philosophicis formulis Aristotelis cum recentioribus comparatis. In veterum autem scriptis ita versati sunt socii, ut nunc brevius explicarent nunc uberius exponerent scriptores quos sibi legerant, nunc critice locos quosdam, inprimis metricos ex antistrophicis graecis, tractarent, nunc versiones varii generis exhiberent, ceterum ad naturam loci et scriptoris cuiusque et ad suum idque certum consilium semper respicerent. Hae communes omnibus fuerunt exercitationes binis per hebd. horis institutae. Alterius generis exercitationes, item binis per hebd. horis habitae, quibus plerique socii usi sunt, versatae sunt in eo, ut encomium Agesilai, quod Xenophonti tribuitur, Lucianique Dialogi mortuorum aliquot, et Virgilii Aeneidos Liber II. explicaretur, quaerendo magis et disserendo, quam continua oratione, apte et accommodate ad usum superiorum ordinum in scholis minoribus, moderante et monente Directore Semin.,

XV. alumnis, ordinis primi secundive laudatissimae scholae Thomanae, quibus, consentiente eius Curatore, *Stieglizio*, V. Ill. et meritissimo, Rector Scholae Cel. Prof. *Rostius* auctor fuerat, ut has nostras scholas adirent. Quod ut eos fecisse studiosissime laetati sumus; ita Summus Senatus Ecclesiasticus Dresdensis, cuius egregiam liberalitatem et providam curam veneramur, constituit numorum summam, ex stipendiorum Regg. aerario solvendam, qua emerentur boni libri, sub exitum anni cuiusque, Thomanis illis iuvenibus, gratificandi causa, donandi. Ex sociis *Otto Maur. Müllerus* edidit Seminarii iussu et sumtu *Dissertationem de M. T. Ciceronis Libris* III. *de Oratore etiam post Criticorum curas nondum satis castigatis* (33. pp. 8. mai. ap. Tauchnizium), qua et de codicibus vett., quos paucos et mutilos editores viderunt, inprimisque de codice bibl. Dresdensis nondum collato, in quo auctor tamen nonnullas bonas lectiones reperit, disputatur, et de editionibus tum vett. aut omnino non aut non satis accurate comparatis tum recentt. subtiliter et critice exponitur, denique nonnulla libri I. loca tractantur. Alii sociorum labores his actis continentur, ut et Societatis philol. sociorum. Incrementa etiam nonnulla et aerarium et bibliotheca Seminarii cepit.

Quem p. 241. indicavimus, Io. Laurentii Lydi liber editus est, ita inscriptus:

Ioannis Laurentii Lydi Philadelpheni *de Magistratibus Reipublicae Romanae Libri tres, nunc primum in lucem editi, et versione, notis indicibusque aucti a Ioanne Dominico Fuss. Praefatus est Carolus Benedictus Hase,* Codd. Graec. et Lat. in bibl. imp. Paris. sub Conservatore Custos. Parisiis, ex offic. I. M. Eberharti, MDCCCXII. LXXXVII. 316. pp. 8. mai.

Hasii, V. Cl. Commentarius praemissus, isque doctissimus, absolvitur 5 sectionibus: 1. de Io. Lydi vita et scriptis (quorum genuina sunt haec: de mensibus liber, de magistratibus Rom.; de ostentis). 2. Fa-

ta scriptorum Lydi medio aevo (et testimonia de iis). 3. Fragmenta scriptorum Lydi, ante inventionem codicis Caseolini [1]) in bibliothecis passim extantia. 4. Qui editionem horum fragmentorum adhuc aggressi sint. 5. De codice Caseolino atque hac operis de magistr. editione. Codex olim fuit in bibliotheca Nicolai Maurocordati Valachiae principis instructissima illa, sed post principis mortem a. super. saec. XXX. magnam partem dispersa, postea venit in bibliothecam Constantini Slutzaris, in villa Curucismae ad Bosporum. Ibi quum eum a. 1785. detexisset Villoisonus, isque legato Galliarum Choiseulio Gouffierio, Comiti, indicasset, hic, ut codex sibi donaretur, apud Constantium Morusium effecit, et librorum Ioannis Lydi editionem Villoisono commisit. Qui quum mortuus asset, ea res primum ad Hasium, et, quum hic quoque aliis laboribus detineretur, ad Fussium, Marcoduranum, delata est, atque sumtibus Gouffierii editio prodiit. Codex membran., saec. IX. vel X. ineunte scriptus et ex vetusto codice saec. VII. ductus, continuisse tria Lydi opuscula videtur, sed liber de mensibus totus perditus (praeter duo folia seiuncta et ita affecta ut vix legi possint), estque ita habitus, ut in cella vinaria potius quam bibliotheca adservatus videatur; unde nonnunquam scriptura ex ingenio restitui debuit. Libri de ostentis quantum superest, Hasius ipse edet. Velimus ab eo etiam libri s. epitomae de mensibus repetitionem emendatam addi. Liber de Magistr. inprimis ad historiam et instituta civilia, magistratus, titulos, reditus, et iura seriorum temporum, quibus propior fuit Lydus, cognoscenda librosque iuris Rom. illustrandos utilis est.

De editionibus *Platonis* recentibus (p. 244. promissis) proxime dicetur.

---

1) Ita appellatus est ex possessore, qui nunc est, et cuius maiores inde a. X. saeculo Comitum de Caseolo nomine insignes fuerunt.

Iacobus Morellius, V. C. Venetae bibliothecae praefectus, per litteras me monuit, Lexicon illud cuius tanquam inediti T. I. p. 194. mentio facta est, non esse nisi Syllogen nominum Atticorum a Manuele Moschopulo confectam, iam ab anno 1524. Venetiis in aedibus Aldi typis editam, cuius editionis itidemque Parisiensis a. 1532. in Bibliotheca Graeca Fabricii et Harlesii T. V. p. 550. T. VI. p. 176. mentio sit facta.

Disputationibus *Ioann. Theoph. Kreyssigii* de *Livii* et *Sallustii* fragmentis p. 431 ss. memoratis addidimus postremo loco eius programma de editione ipsa, locis nonnullis omissis:

T. Livii Patavini et C. Crispi Sallustii historiarum fragmenta de bellis a Sertorio ac Spartaco concitatis Romae et Lutetiae Parisiorum reperta.

Quod Brunsius atque Iuvenatius abhinc annis quadraginta ex codice palimpseato sive rescripto, Romae in Bibliotheca Vaticana adservato, summa diligentia eruerunt T. Livii Historiarum Lib. XCI. Fragmentum, in quo candidissimus ille, ut Livium Senecae verbis adpellem, omnium magnorum ingeniorum aestimator de bello Sertoriano, in Hispania gesto, denuo me editurum et pristinae integritati utcumque restiturum esse, iam ante hos sex annos, libello praenuntio, qui nunc multis de causis mihi displicet, eam in rem conscripto atque divulgato, publice sum professus. Tantum autem abest, ut, quum iam tum permultos illius Fragmenti locos artis criticae et hermeneuticae auxilio etiamnum indigere perspexissem, consilii ultro firmiterque suscepti me nunc ex tanto intervallo poeniteat, ut, quum in eiusmodi rebus diem, quod aiunt, diem docere experientia magistra intellexissem, ab illo inde tempore in adparatu critico et hermeneutico, ad hunc laborem profligandum necessario, undique conquirendo nihil intentatum reliquerim, quo novam Fragmenti Liviani editionem perfectam et omnibus numeris absolutam reddere possem. Atque conatibus hisce literariis eventus semper et ubique ita respondit, ut, in-

signem amicorum ac fortunae favorem expertus, non solum Fragmenti apographum, Brunsii manu adcuratissime exaratum, aliasque schedas, quibus idem, quum Romae ageret, illius particulas ex codice petitas inscripsit, nec non egregias aliorum symbolas, pro eximia virorum doctissimorum liberalitate, nanciscerer, sed etiam omnes omnino, quum a paucis, iisque levioris momenti discesseris, Fragmenti Liviani editiones et versiones, nec non alios libros ac libellos, magnam partem rarissimos, qui ad eius historiam atque explicationem pertinent, vel mecum communicatos, vel dono acceptos, vel meo mihi aere coemtos in promtu haberem. Quibus quidem praesidiis instructus ad umbilicum paene adduxi Fragmenti praestantissimi editionem, quae praeter procemium, quod notitiam, quam vocant, literariam continebit simulque instituti rationem uberius declarabit, Brunsii ad Kennicottum epistolam, quae Fragmenti reperti historiam enarrat eiusque faciem externam describit, tum, argumento praemisso, ipsum Fragmenti textum ad codicis Vaticani sive potius apographi Brunsiani fidem vulgari nostro charactere quadrato diligentissime repraesentatum, itemque minuto expressum ac supplementis expletum, deinde adnotationes Iuvenatii atque Broterii selectas, Sivrii et Brossii excerptas, Brunsii autem, Ihrii, Ernestii, Toupii, aliorumque integras, cum meis qualibuscumque observationibus, porro Anvillii commentationem de nominibus populorum et oppidorum, quorum mentio in Fragmento iniicitur, gallico sermone conscriptam, denique anglicam auctoris anonymi ac gallicas Harduini atque Sivrii versiones comprehendet. Praeterea placuit Sertorio comitem addere Spartacum, et C. Crispi Sallustii Historiarum Libri III. Fragmenta sex, Lutetiae Parisiorum saeculo sexto decimo in Bibliotheca tum Regia reperta atque, nisi me omnia fallunt, itidem ex codice palimpsesto sive rescripto depromta, in quibus cultissimus ille Thucydidis aemulus historiam belli servilis, Spartaco duce in Italia concitati, persequutus est, Fragmento Liviano literis maiusculis et minusculis excusa ita subiungere, ut has operis incomparabilis particulas, multo magis quam illud laceras ac depravatas, post Dousae, Freinshemii, Bimardi et Brossii curas denuo ad rationes criticas exigerem, atque,

si minus in integrum restituerem, passim tamen eodem prorsus modo, quo tertium horum Fragmentorum speciminis loco proposui, ex ingenio supplerem atque emendarem. Quo commodius autem citiusque hoc opusculum, cui coronidis vice index rerum et verborum subiicietur, in tanta, quae nunc est, mercaturae librariae difficultate, possit evulgari, meis illud sumtibus, a sordida lucri cupiditate alienissimus, eleganter atque adcurate typis exscribendum curabo, sub ea conditione, ut philologis aliisque studiorum humanitatis ac literarum cultoribus et fautoribus, qui, hoc programmate ad inceptum meum omni ope atque opera iuvandum ea, qua decet, observantia invitati, nomina sua intra proximum semestre vel apud Ioannem Ambrosium Barthium, bibliopolam Lipsiensem, vel apud me per literas, ipsorum impensis mittendas, subscribendo professi fuerint, volumen modicum, quod sexdecim vel viginti plagulas formae octonariae maioris complectetur, uno circiter thalero monetae Saxonicae constet, ceteri vero, qui non subscripserint, alterum prope tantum pro singulis libelli exemplis pendant.

Quamquam opera diligentissima data est, ut ab erroribus typogr. omnibus purgaretur hic liber, manserunt tamen nonnulli, operis non parentibus, quos aliosque, si qui non animadversi sint, ut emendent lectores, rogamus. P. 46. l. 10. *Nemesianus* pro *Nemesio* ponendus est. P. 234. s. *Ruhnkenii* nomen aliquoties perperam expressum. P. 310. l. 28. leg. *Perizonius*, et 339. l. 2. *Clercq*. P. 341. l. 31. *opinionem*. P. 386. l. 18. *Philostr*. P. 403. l. 13. *Catullo* — de sententia ipsa ibi proposita dubitari potest. — P. 398. l. 20. *Clytaemn*. P. 425. l. 5. *ψῆφον*. P. 458. l. 28. *Βούτης*.

I. Index librorum, auctorum, locorum.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

C.

D.

E.

L.

M.

N.

O.

W.

X.

II. Index rerum et verborum.

A.

B.

C. X.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P. Φ. Ψ.

Q.

R.

S.

T.

V.

U.

Υ.

Ω.

Vide pag. sequ.

λϛ. Τῷ Μεγάλῳ Λογοθέτῃ, τῷ Μετοχίτῃ.

...ιά με δρῶσιν οἱ παιδεύειν τὰ φίλτατα σφόδρα λίαν καταναγκάζου
...μηδὲν δὲ τῶν ἀναγκαίων πορίζοντες. Καὶ μὴν Μωϋσέως μὲν σιωπῶ
...ια μέγα βοῶντος, ἀκούει Θεὸς, καὶ, τί βοᾷς πρός με; φησίν· ἐμοῦ δὲ Σ
...όρειον κράζοντος, οὐδ᾽ ἴχνος ἠχοῦς ἐξακούεται, οὐδὲ γρῦ τὸ παράπ
...ποκρίνεται. Εἶτα ἀνεκτὰ ταῦτα, ὦ Δίκη καὶ Παιδεία καὶ τῶν καλῶ
...ασταὶ, τοὺς μὲν ἐθελοκωφεῖν, ἐμὲ δ᾽ ᾄσθαι ἀγέραστον, καί γε μὴν ἄσ
...καδώρητα φορμίζειν μέλη; Ἢ φαίη τις ἂν ἀνεκτά· ἀλλ᾽ ἀντιφθέγξ
...αὖ Μωϋσῆς, Μὴ φιμοῦν βοῦν ἀλοῶντα· πρὸς δὲ καὶ Ἡσαΐας ὁ μεγα
...φωνότατος, δεῖν λέγων καὶ φαγεῖν καὶ πιεῖν τὸν δουλεύοντα. Οἱ δὲ
...οἶδ᾽ ὅτι μαθόντες, προῖκα δουλεύειν οὐ προαιρούμενοι, προῖκα με πα
...ιν αἱροῦνται. Καὶ μὴν αὐτοὶ μὲν ἐπὶ σκιμπόδων ἱερῶν προκαθέζοντα
...ὶ κλινῶν ἐλεφαντίνων καὶ Μιλησίων στρωμάτων ἀνατάδην καθεύδ
...ῖτα διυπνισθέντων δὲ, θεραπεία συχνὴ περιΐσταται, σιτώνων τε κ
...ώνων προνοηταὶ, οἱ μὲν λόγους ἀποδιδόντες προσόδων, οἱ δὲ ἀπίασι
...ποθήκας ἐμπλήσοντες· αἱ δὲ στενοῦνται μὲν, ὥστε καὶ διεσπάσθαι
...ροῦ. Ἐμοὶ δὲ στενὴ καὶ λεία γαστὴρ, καὶ λεπτῇ χειρὶ πόδα πιέζω πα
...ύλιξ δὲ οἷα χείλη μὲν ἐδίηνεν, ὑπερῴην δ᾽ οὐκ ἐδίηνε· καὶ τὸ λαρυγγίζει
...ὶ προσῳδιῶν, πρόσοδος δὲ οὐδαμοῦ· καὶ τῷ λύκῳ τῆς παροιμίας ἔοικ
...άτην χαίνων, καὶ κατὰ τοὺς γύπας ἀέρα ἐγκυμονῶν. Ἀλλ᾽ εὖ ποιοῦν
...ῶν εὐπορούντων, εὖ γ᾽ ἂν ἔχοι κᾀμοί· εἰ δ᾽ οὖν, ποταμῶν ἄνω.[x]

λθ. Τῷ Μεγάλῳ Λογοθέτῃ.

Ἐπειδὰν ἀναγκαῖον ᾖ τὸ πιέζον, οὔτ᾽ ἐγγωνιάζειν οὔτ᾽ ἐρυθριᾶν
χρήσιμον· τοὐναντίον δὲ μᾶλλον, τὴν ἀνάγκην παῤῥησιάζεσθαι. Κ
...κει σπάνις με σίτου· ἧς λιμὸς καὶ θάνατος τέκνα, ἀδελφὼ διδυμά
Προσιὼν ᾐτησάμην τοῖς φοιτηταῖς· ἀλλ᾽ ἐσχασάμην τὰς κώπας ἐπὶ
...ρᾶς, καὶ, ζητῶν ἄρτον, σπιλάσι ἐνέκυρσα. Πλοῦν ἄλλον, τῷ σῷ προ
...σίζω λιμένι, καὶ ταῖς εὐναῖς τῶν ἐλπίδων εὐνάζομαι. Ἔστι γάρ σοι
φύσις καὶ τέχνη, ἐκ καταιγίδων καὶ ναυαγίων προσορμίζειν ὁλκά
Εἰ δὲ καὶ τοῦ σοῦ λιμένος ἂν ἐξοκείλαιμι, (ἀλλὰ μὴ, σῶτερ, μὴ, ἐλε
...ιε) οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως ἐξ οὐρίων ὁ πλοῦς· ἀλλ᾽ ἀντίπρωρος καὶ κατὰ
...ωαν ἡ θραῦσις τοῦ σκάφους, καὶ ὑπὲρ κεφαλῆς ἠρτημένος ὁ κίνδυ
...ὴ μὴ, σύ γε, ὅρμε γαλήνιε.

[x] In Epist. 81. extr. ad eundem scripta hoc dixit. Οἱ δὲ (πατέρες τῶν φοιτητῶν), οὐκ οἶδ᾽ ὅτι μαθόντες, φείδονται μὲν τῶν οἰκείων, φείδονται δ᾽ οὐδὲν τῶν βασιλέως, αἰτοῦ τὰ πισήμια κινοῦντες. Εἰ μὲν οὖν μεταβάλοιεν· εἰ δ᾽ οὖν, ἐγὼ μὲν οἴκοι μενῶ, οἱ φοιτηταὶ δὲ παιζόντων ἐπ᾽ ἀγορᾶς.

Ex Notices et Extraits des Manuscrits de la Bibliothèq
nationale. Paris An. IX. Tom. 6me 4o pag. 27.

Lettres (93) de Théodôre le Hyrtacènien.

ξε. Τῷ Μεγάλῳ Λογοθέτῃ, τῷ Μετοχίτῃ.

Ὅταν αὐτὰ τὰ πράγματα τὴν ἑαυτῶν οἷά τις συνιστῶσι κατάσ
περιττὸν ἂν εἴη τῆς θύραθεν δεῖσθαι συστάσεως. Ὁ καλὸς δὲ κα
τῶν βασιλικῶν προκαθήμενος ὄλβων, ὥσπερ κἂν τοῖς ἄλλοις π
εκτεῖ τῶν καλῶν, οὕτω δὴ καὶ τοῦτο τὸ περιττὸν εὖ ἡγεῖται τῶν
καίων. Νυττόμενον γάρ σε περὶ πρόνοιαν ἐμὴν οἴκοθεν, προσν
δὴ καὶ αὐτός. Ἀλλὰ τῷ μὲν τοιῷδε τυγχάνοντι πολλὰ κἀγαθὰ
τοῦ θεοῦ γίγνοιτο. Σοὶ δὲ καὶ τῇ σῇ φύσει τί τις ἀντάξιον εὔξ
τῆς ὑπὲρ ἐμοῦ προμηθείας; Εἰ δὲ καὶ μήπω πρὸς ἔργον ἐκβέβη
ἐκβαίη γ' ἄν· ἄριστος γὰρ οἰωνὸς, ἡ τοῦ βασιλέως κατάνευσις,
φύσις καὶ τέχνη περὶ τὴν ἀρίστην τῶν πραγμάτων διαίτησιν. Ἐπ
οὕτω μὲν ἔχεις προνοίας, οὕτω δὲ Πειθὼ περισκιρτᾷ σου τὴν γλῶ-
ὥς τις ἀηδὼν δρυὸς ἐφεζομένη πετάλῳ, τοῦ κρείττονος θήγουσα
πείσεται μὲν αὐτῇ Βασιλεὺς, ἀφαιρεθήσεται δέ μοι πενία τῆς κεφα
οἰχήσεται δὲ τὰ χείρω, καὶ τὰ βελτίω περισκιρτήσει. Σοὶ δ' ἀντὶ
των τῆς τοῦ θεοῦ βασιλείας εἰς αἰῶνας αἰώνων ἀπόλαυσις.

νζ. Τῷ Μεγάλῳ Λογοθέτῃ.

Εἶτα κολοιὸν μὲν, ὄρνεον μέλαν, πρόνοιά τις τοσοῦτου ὡραίου σ
στησεν, ὥστε καὶ βασιλείας ὀρνέων ἀξιωθῆναι· τοὺς πρὸς Ἑρ
δὲ μεγίστης εὐδαιμονίας τετυχηκότας, τοὺς Ἑρμαϊκοὺς δὲ περι
τας θεράποντας, καὶ ταῦτα ἱκανοῦντας Ἑρμῇ χρυσοῦν ἀναστη
ἀνδριάντα, οὐκ ἂν εἴη δυσχεραίνων Ἑρμῆς; Καὶ μὴν ἔνεστι κ
σις καὶ τέχνη καὶ τύχη, τοὺς ἐκείνῳ θητεύοντας συνιστάναι βα
ους, καὶ δεικνύναι ταὼς ἀντὶ κολοιῶν, καὶ κύκνους λιγυροὺς
κρωζόντων κοράκων.

Ex Epist. 67. ad Patriarcha filium.

—Ἔρως ἑκάστῳ σφοδρὸς γαίης φίλης πατρίδος· οἷον ἂν εἴ τις νεὼς ἐξάπτοι κ
τιον, ὁτὲ μὲν σῶζον τὴν ναῦν, ὁτὲ δὲ παρ' ἐκείνης σωζόμενον. Τουτὶ τὸ
θος πῶς δοκεῖς τῶν ἄλλων μᾶλλον ἐνεῖναι μοι; ὁπότε δὴ δι' αὐτὸ καὶ τὴν
τάκω προσηγορίαν ἔσχον ἐπωνυμίαν. Ἀμέλει τοι περικαομένῳ μοι τῆς π
δος, ἔδοξεν ἔρωτος αὕτη ψυχαγωγία σφοδροῦ, τῶν ἐπ' ὄρους Κυζίκου μ
δρίων ἱδρυμένων πολλῶν ἑνὸς ἐγκρατῆ καταστῆναι.





THE NEW YORK PUBLIC L
REFERENCE DEPARTM

This book is under no circumsta
taken from the Building



